IHS

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
15 — H
20
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuerendo Patri in Christo
Patri Gualtero Mundbrot
Aſsiſtenti Societis IESV
per Germaniam
dabat Interpres.
1. 6. 44.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Aßistentia Germanica S. c9.

TRACTATVS
AMORIS DIVINI,
CONSTANS LIBRIS DVODECIM,

Per

Reuerendiſs: & Illuſtriſs: Dominum

FRANCISCVM DE SALES

IDIOMATE GALLICO CONSCRIPTVS:

Inde Anno 1629. Rothomagi eodem idiomate excuſus.

Nunc autem

Per P. HENRICVM LAMORMAINI, Societatis IESV Sacerdotem in Latinum traductus,

Ac demum

Formis Matthæi Coſmerovij, In Aula Colonienſi, editus.

IHS

****

VIENNÆ AVSTRIÆ,
M. DC. XLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
IOANNI MATTHIÆ PRICKELMAYR,
DOMINO DE ET IN GOLDEGG,
SAC. CÆS. MAIEST. FERDINANDI III. CONSILIARIO INTIMO,
ET
AVLÆ CANCELLARIO, &c.

Patrono ac Mecœnati ſuo plurimùm colendo, &c.

Hieronymus Oſorius libro quarto ſcribens de rebus geſtis Emmanuelis Luſitaniæ Regis, refert apud Monomotapenſes (ſunt ij Occidentales Æthiopes) in more poſitum eſſe, vt Rex ſingulis annis ex domeſticis & familiaribus ſuis aliquot mittat, qui ignem nouum Principibus & Magnatibus in illius ditione degentibus, nomine ſuo impertiant; vt inde reliquis hominibus diſtribuatur. Hunc ignem qui recipere recuſant, proditores & rebelles exiſtimantur, & tan-

Digitized by Google

quam maieſtatis rei extremo ſupplicio puniuntur. Vbi Legati ad Aulas & ſedes Principum vectigalium pertigerint, omnis alius ignis extinguitur; ac deinde nouus à Legatis excitatur, eoq́ excitato omnes eò commeant, vt ignem nouum inde in domos ſuas inferant. Huius cæremoniæ dictus Monomotapenſium Rex (an id conſuetudine inductum, an verò mandato aliquo Superiorum Regũm præceptum ſit, non habeo dicere) eo, quo dixi, modo quotannis memoriam in vniuerſis ſuis Regnis renouat. Chriſtus Seruator noſter tanquam Patris Supremi & vnici totius terræ cæliq́ Regis Legatus VENIT IGNEM MITTERE *(amorem ſcilicet DEI)* IN TERRAM, ET QVID VULT NISI VT ACCENDATVR? *Accendit ipſe Chriſtus per ſe ipſum quandiu in terris cum hominibus viſibiliter verſatus eſt; at rediens ad Patrem multis huius ignis circumferendi curam commiſit; multi etiam diuinitùs inſpirati ſuâ ſponte alijs communicandi munus ſuſceperunt. Inter quos non poſtremus fuit Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus*

Franciſcus

Franciſcus de Sales, Epiſcopus Geneuenſis: quia, ccenſus incredibili deſiderio promouendi & propagandi inter mortales amorem diuinum, de eo Tractatum duodecim libris conſtantem tam pium, tam rarum, tam remotum á ſenſibus multorum, tamq́; admirabilem conſcripſit, vt non immeritò, velut alter Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, è pectore Saluatoris eum hauſiſſe videatur. Nec putes, Lector, meum ſolùm de hoc libro eſſe iudicium, ſed eorum omnium, qui adhuc ruditer translatum legerunt, lectumq́; vno ore & conſenſu vſq; adeò laudarunt, vt dixerint ſe nihil tale vnquam de diuino amore ſcriptum legiſſe, vel vidiſſe; futurum proinde, vt (ſi pro Latinis latino idiomate excudatur, vti pro Gallis, Gallicæq; linguæ gnaris excuſus eſt) prima in genere cæleſtis amoris trophæa reportet.

Ergóne inquiunt Germania, Hungaria, Polonia, Bohemia, & reliquæ Chriſtianitatis Regiones, Regna ac Prouinciæ, hoc adeò inſigni ac efficace, ad imprimendum cordibus hominum Amorem diuinum, Tractatu

 carebi-

Digitized by Google

carebimus? minimè: venit enim ad meas manus formis Gallicis euulgatus: in quo cùm aliqua hinc inde legiſſem, apprimè placuit. Nec mora (ratus multorum corda hoc diuino igne accenſum iri, ſi eo ſermone proponeretur, quo, ſi non ab omnibus, minimùm à doctis intelligi poſſet) translationem latinam incœpi: DEOq; vires ſuppeditante, ad finem perduxi. Et tunc demum de Patrono ac Mecœnate, qui ita ſit POTENS IN OPERE ET SERMONE, *quatenus valeat efficere, vt hic ſacer ignis non ſolùm ad vnius Regni, adinſtar Monomotapenſium limites; ſed vſq; ad vniuerſi Orbis terrarum fines deportetur, acceptetur, & accendatur, ſeriò circumſpicere cœpi: & in Te vnum, in quo ſingulariter dictæ fulgent conditiones, oculos conieci, bonaq; tua (vt ſpero) cum gratia delegi; delegi inquam, quia & te dilexi; & quæ ad ſcopum, ad quem collineabam, faciebant, in te copioſè reperi. Et quoniam dilexi, ideò ſimul optima quæq; tibi optaui; nec in hac vita ſolùm, ſed maximè in futura: in qua præter eſſentialem beatitudinem, quæ omnibus*

mnibus

Digitized by Google

mnibus beatis confertur, etiam accidentalis gloria (vt ius diuinum humano iunctum olim edoctus es) toties datur in cælis, quoties boni quippiam ſit à viatoribus, cuius occaſionem, vt fieret, reliquimus in terris. Hoc ego bonum, dum te ad ſacrum hunc ignem diſpertiendum deligo, tibi toto corde in cælis exopto.

Dixi me copioſè in te reperiſſe, quæ ad meum ſcopum faciebant; quia quemadmodum ex officio Imperatoris FERDINANDI III. *in dicendo perſonam ſuſtines, ſic in hoc libro ipſiuſmet* DEI: *ita vt totus liber ſit velut vna continua oratio Supremi Imperatoris nomine, Amorem* DEI *ſuadentis, aut imperantis. Vale Vir Illuſtriſſime, & Reuerendiſſimum Illuſtriſſimumq́; Præſulem Franciſcum de Sales iamdudum in Cælitum domicilio receptum, tibi, quòd opus de diuino amore à ſe conſcriptum, & ferè adhuc intra Galliæ fines latitans, in ampliorem campum eduxeris, gratias his terminis agentem audi. Quòd Vir integerrime, amor* DEI, *quem dum inter mortales agerem, in Gallia excitare conatus ſum, tuâ operâ &*

auſpicijs

Digitized by Google

auſpicijs in Germania, Hungaria, Bohemia, Polonia, & conſequenter in omnibus Imperij Romani finibus; imò in tota Chriſtianitate excitetur, plurimùm tibi gratulor, mihi gaudeo, & gratias ago quàm maximas, quòd facem, quam non prætuli alterius nationis hominibus, præterquam Gallicæ, Tu præferas ad vitam æternam, poſt hanc in cælis inueniendam; cui bono quanta debeatur & detur merces, experimento meliùs intelligitur, quàm multis verbis exprimatur.

Perge porrò, Ampliſſime Cancellarie, & vt viam planiorem veniendi ad cælum opere hoc Diuini Amoris tibi feciſti; ita pluribus alijs operibus, quæ tuum comitantur officium, facito planiſſimam.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EGo Ioannes Rumer Societatis IESV per Prouinciam Auſtriæ Præpoſitus Prouincialis, ex commiſſione Admodum R. P. N. Mutij Vitelleſci Præpoſiti Generalis, facultatem concedo, vt Tractatus de Amore DEI duodecim libros complectens, per Reuerendiſſ: Dominum Franciſcum de Sales, Epiſcopum Geneuenſem Gallico idiomate conſcriptus, & 1629. in lucem editus, nunc autem per Patrem Henricum Lamormaini Societatis noſtræ Sacerdotem in Latinum translatus, & à ſæpius dictæ Societatis Reuiſoribus approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & officij mei ſigillo munitas dedi. Viennæ Auſtriæ 3. Maij 1643.

JOANNES RUMER.

Digitized by Google

BREVIS ADMONITIO INTERPRETIS AD LECTOREM.

NE lector in primo ſtatim aditu ad lectionem huius Tractatûs remora tibi obijciatur, eaque obiecta vel nauſeare, vel omnino ablegare vlteriorem eius lectionem te faciat, quædam notes velim: quæ & ipſe Auctor Libri in ſua ad lectorem præfatione Gallica monet notanda.

Primò, quòd etſi nonnullis, antequam ſuauiſſimos huius libri fructûs intimè deguſtent, videri poſſet iuſto longior, eò quòd credant ad vtilitatem percipiendam ex lectione huius Tractatûs non requiri, vt ratiocinando ad imas vſq; radices perueniatur; ſed ſat eſſe, ſi flores, ſi folia, ſi fructus eo modo proponantur, quo in praxim ea deduci valeant; non diffiteor amice lector, primos quatuor libros huius Tractatûs, & aliqua aliorum librorum capita (& in ſpecie caput decimum tertium libri ſeptimi quod deſumptum eſt ex ſermone, quem Auctor habuit Luteciæ Pariſiorum in Feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis Anno 1602.) abſque notabili detrimento, & fors nullâ offenſione Lectorum huius Tractatûs, (qui ſolam praxin SANCTÆ DILECTIONIS requirunt) omitti potuiſſe; at complures alij offendi potuiſſent, ſi in libro inſignito TRACTATU AMORIS DIUINI non inueniſſent omnes partes, quæ ad perfectam Diuini Amoris cognitionem ſpectant: quin & dicere potuiſſent, bonum ideò eſſe bonum quia conſtet omnibus ſuis partibus; non autem conſtaret omnibus, ſi apparatus totius operis, de quo agitur libro primo, deſideraretur; ſi item DEDUCTIO generationis ejuſdem amoris, de qua libro ſecundo tractatur, eſſet omiſſa; ſi PROGRES-

ſus

Digitized by Google

SUS AC PERFECTIO ſæpiùs dicti amoris libro tertio declarata, abeſſet; ſi denique tractatio IMMINUTIONIS & omnimodæ AMISSIONIS charitatis, de qua libro quarto diſſeritur, fuiſſet prætermiſſa, dubio procul Tractatus hic ſuâ non conſtitiſſet integritate. Deinde ſi debeo dicere, quod ſentio, tam neceſſarios dictos quatuor primos libros volenti perfectè cæteros intelligere iudico, quàm deſideranti cum fructu audire Philoſophiam, neceſſaria eſt Logica. Sunt enim in illis permulti termini, qui, niſi intellectâ eorumdem ſignificatione, nec ipſi, nec octo alij ſequentes libri plenè penetrabuntur.

Eſt & aliud, beneuole Lector, quod te rogatum velim: nempe ne ſtyli humilitate, ſubindeque fortaſſis inconſtantiore dicendi charactere moueâre, ſed mente volue dictum Religioſiſſimi Viri Thomæ de Kempis, ex Ordine Canonicorum S. Auguſtini: REGNUM, inquit, DEI NON EST IN SERMONE, SED IN VIRTUTE; ſimul etiam cogita nihil in hac vita omni ex parte BEATUM & conſtans eſſe. Candidè tibi fateor in hoc libro è Gallico ſermone in Latinum transferendo me minimùm laboraſſe vt eleganti ſtylo, ſed plurimùm vt claro verterem: an autem aliquid eo in genere aſſecutus ſim, tuum eſto iudicium. Sat eſt, me conſcium eſſe, quòd arborem fructibus oneratam, & non ſolis folijs exornatam tibi exhibere voluerim. vale, & vbi fructus huius arboris ſenſeris eſſe dulces gutturi tuo (ſenties autem, ſi decerpere non pigeat) memor ſis obſecro apud DEUM non tam mei, qui arborem ſolùm cum fructibus tibi detexi, & oſtendi, quàm optimi liberaliſſimiq; Patroni & Mecœnatis, qui ſcalas, vt hanc arborem conſcendere, & fructus ex ea decerpere poſſes, comparauit.

Digitized by Google

TRACTATVS
De
AMORE DEI,
LIBER PRIMVS.
COMPLECTENS APPARATVM totius Tractatus.

CAPVT

I. QVòd ob pulchritudinem humanæ naturæ Deus omnes animæ facultates vnius voluntatis imperio ſubiecerit. Pagina 1.
II. Quomodo voluntas diuerſimodè regat animæ potentias. 4.
III. Quomodo voluntas regat appetitum ſenſitiuũ. 6.
IV. Quòd amor dominetur in omnes affectiones & paſsiones, quin & ipſam voluntatem gubernet, eſto illa etiam in illum habeat dominium. 9.
V. De affectionibus voluntatis. 11.
VI. Quomodo Dei Amor reliquis amoribus dominetur. 14.
VII. Deſcriptio amoris in Genere. 16.
VIII. Qualis ſit conueniẽtia, quæ excitat Amorem. 21.

IX. Quòd

IX. Quòd Amor tendat ad vnionem. 23.
X. Quòd vnio, ad quam amor tendit, ſit ſpiritualis. 25.
XI. Eſſe duas portiones in anima, & quómodo? 32.
XII. In dictis duabus portionibus animæ eſſe quatuor rationis gradus differentes. 35.
XIII. De differentia Amorum. 38.
XIV. Quod Charitas nominanda ſit Amor. 40.
XV. De conuenientia ſeu affinitate, quæ eſt inter DEUM & hominem. 41.
XVI. Ineſſe nobis naturalem inclinationem ad DEUM amandum ſuper omnia. 44.
XVII. Nobis non ineſſe naturalem potentiam DEUM amandi ſuper omnia. 46.
XVIII. Inclinationem naturalem amandi DEUM non eſſe inutilem. 48.

LIBER SECVNDVS.

Hiſtoria de Generatione & cæleſti ortu diuini Amoris.

CAPVT.

I. Perfectiones Diuinas non eſſe niſi vnam, ſed infinitam. pag. 51.
II. Vnum ſolùm DEO ineſſe actum, qui eſt propria eius diuinitas. 54.
III. De prouidentia diuina in genere. 57.
IV. De prouidentia ſupernaturali, quam DEUS exercet erga creaturas rationales. 62.
V. Diuinam prouidentiam hominibus prouidiſſe de copioſiſſima Redemptione. 65.
VI. De quibuſdam fauoribus ſpecialibus, exhibitis & exercitis in Redemptione hominum per diuinam prouidentiam. 67.
VII. Quam admirabilis ſit prouidentia diuina in diuerſitate gratiarum, quas hominibus benignè elargitur. 70.
VIII. Quantopere DEUS deſideret, vt ſe amemus. 73.
IX. Qualiter amor æternus aduerſus nos ſuâ inſpiratione præueniat corda noſtra, vt ſe amemus. 75.

X. Quòd perſæpe Dei inſpirationem repellamus, & Deum amare recuſemus. 78.
XI. Per diuinam non ſtat bonitatem, quò minùs excellentiſſimum amorem habeamus. 81.
XII. Quòd allectationes, ſeu illicia diuina nos in plena libertate relinquant, nos vt vel ea ſequamur, vel repellamus. 84.
XIII. De primis motibus Amoris, quos illectus diuini procreant in anima, antequam habeat finem. 87.
XIV. De ſenſu ſeu motu Amoris diuini, qui per fidem recipitur. 91.
XV. De magno amoris ſenſu, quem per ſpem ſanctam recipimus. 94.
XVI. Quomodo amor in Spe exerceatur. 96.
XVII. Quòd amor ſpei ſit valdè bonus, licet imperfectus. 99.
XVIII. Quòd amor exerceatur in Pœnitentia, & primò quòd diuerſa ſint genera, & ſpecies pœnitentiæ. 102.
XIX. Pœnitentiam abſque amore eſſe imperfectam. 106.
XX. Quomodo mixtio amoris, & doloris fiat in Contritione. 107.
XXI. Qualiter illicia ad diuinum amorem impellentia nos iuuent, & comitentur vſque ad ipſam fidem & Charitatem. 112.
XXII. Breuis deſcriptio Charitatis. 115.

LIBER TERTIVS.

De progreſſu & perfectione Amoris.

Capvt.

I. Quòd diuinus amor ſemper magis ac magis in quolibet poſſit augeri. pag. 119.
II. Quomodo Chriſtus facile reddiderit Amoris augmentum. 122.
III. Anima charitate comitata quales in ea faciat progreſſus. 125.
IV. De ſancta perſeuerantia in diuino Amore. 130.
V. Quòd felicitas moriendi in diuina charitate ſit ſpeciale Dei donum. 133
VI. Quòd in hac vita mortali nequeamus ad perfectam cum Deo vnionem pertingere. 136.
VII. Quòd charitas ſanctorum in hac mortali vita æquet charitatem

Beatorum in altera, imò & quandoque ſuperet. 138.
VIII. De incomparabili amore DEI Matris, Dominæ noſtræ clementiſſimæ. 140.
IX. Præparatio ad diſcurſus faciendos de vnione Beatorum cum DEO. 144.
X. Quòd deſiderium præcedens admodum augebit vnionem Beatorum cum DEO. 146.
XI. De vnione Beatorum Spirituum ſeu animarum cum DEO, in viſione diuinitatis. 148.
XII. De vnione æterna Beatorum ſpirituum cum DEO, in viſione Natiuitatis æternæ Filij DEI. 150.
XIII. De vnione Beatorum Spirituum cum DEO, in viſione Proceſſionis Spiritus ſancti. 152.
XIV. Quòd ſanctum lumen gloriæ ſeruiet Beatorum ſpirituum vnioni cum DEO. 154.
XV. Quòd vnio Beatorum cum DEO ſit habitura gradus diuerſos & inter ſe differentes. 156.

LIBER QVARTVS.

De remiſſione, imminutione ac omnimoda charitatis amiſsione.

CAPVT.

I. Quòd amorem DEI poſsimus amittere, dum ſumus in hac vita mortali. 159.
II. De tepiditate & remiſſione animæ in amore diuino. 162.
III. Quomodo deferatur amor diuinus propter amorem creaturarum. 165.
IV. Quòd amor diuinus vno momento perdatur. 168.
V. Quòd defectus & remiſsionis feruoris charitatis ſola & vna voluntas creaturarum ſit cauſa. 171.
VI. Quòd agnoſcere debemus à DEO prouenire omnem amorem, quem ei deferimus. 174.
VII. Quòd euitanda ſit omnis curioſitas, & humiliter acquieſcendum ſapien-

ſapientiſſimæ Dei prouidentiæ. 177.
VIII. Exhortatio ad amoroſam ſubmiſſionem, quam debemus decretis diuinæ prouidentiæ. 181.
IX. De imperfecto & humano amore, qui ſæpe in anima, factâ iacturâ charitatis, remanet. 184.
X. Quàm periculoſus ſit amor iſte imperfectus. 187.
XI. Modus quo dignoſci poſsit amor imperfectus. 189.

LIBER QVINTVS.

De duobus principalibus exercitijs diuini amoris, quæ fiunt per complacentiam & beneuolentiam.

CAPVT

I. De ſacra diuini amoris complacentia, & primò in quo illa conſiſtat. 193.
II. Quòd per ſanctam complacentiam admoti vberibus Chriſti, reddamur ſimiles infantibus. 196.
III. Quòd ſacra complacentia cor noſtrum tradat Deo, & faciat nos ſentire perpetuum deſiderium in ipſa fruitione. 200.
IV. De amoroſa compaſſione, ſeu condolentia, per quâ complacentia amoris adhuc dilucidiùs declaratur. 204.
V. De condolentia ſeu compaſsione, & complacentia Amoris in Paſsione Domini. 207.
VI. De amore beneuolentiæ, quam exercemus erga Deum per modum deſiderij. 210.
VII. Quomodo deſiderium exaltandi & magnificandi Deum ab oblectationibus & delectationibus terrenis nos abſtrahat, & ad perfectiones diuinas attentos reddat. 212.
VIII. Quomodo ſancta beneuolentia producat honorem ſeu laudem dilecti cæleſtis. 214.
IX. Qualiter beneuolentia nos inducit ad inuitandas omnes creaturas ad Dei laudes decantandas. 218.

X. Qua-

X. Qualiter deſiderium laudandi DEUM faciat nos aſpirare ad cælum. 220.
XI. Quomodo exerceamus amorem beneuolentiæ in laudibus, quas tum Redemptor noſter, tum eius Mater Deo dixerunt. 223.
XII. De ſumma laude, quam Deus ſibi ipſi attribuit, & de exercitio beneuolentiæ, quod in illa facimus. 226.

LIBER SEXTVS.

De exercitio ſancti amoris in Oratione.

CAPVT.

I. Deſcriptio Theologiæ myſticæ, quæ nihil aliud eſt quã oratio. 229.
II. De meditatione, quæ eſt primus gradus Orationis, vel Theologiæ myſticæ. 233.
III. Deſcriptio contemplationis, & de primo diſcrimine ſeu differentia, quæ inter illam & meditationem deprehenditur. 237.
IV. Quod in mundo hoc amor accipiat ſuam natiuitatem, ſed non excellentiam notitiæ Dei. 239.
V. Secunda differentia inter Meditationem & Contemplationẽ. 242.
VI. Contemplationem fieri ſine labore, quæ eſt tertia differentia inter illam & meditationem. 246.
VII. De amoroſa recollectione animæ in ipſa contemplatione. 249.
VIII. De quiete animæ recollectæ in ſuo dilecto. 252.
IX. Quomodo hæc ſacra quies in actum reducatur. 255.
X. De diuerſis gradibus iſtius quietis, & quomodo ea ſit conſeruanda. 257.
XI. Proſecutio diſcurſus diuerſorum graduum ſanctæ quietudinis, & de excellente abnegatione ſui ipſius, quæ ſubinde eſt in vſu. 260.
XII. De Reſolutione vel liquefactione animæ in Deum. 263.
XIII. De Vulneratione Amoris. 266.
XIV. De nonnullis alijs medijs, per quæ amor ſanctꝰ vulnerat corda. 270
XV. De languore doloroſo cordis dilectione vulnerati. 273.

LIBER SEPTIMVS.

De vnione animæ cum DEO, quæ perficitur in oratione.

CAPUT
I. Quomodo amor vniat animam cum DEO in oratione. 279.
II. De diuerſis gradibus ſanctæ vnionis, quæ fit in oratione. 284.
III. De ſupremo gradu vnionis per ſuſpenſionem & raptum. 288.
IV. De Raptu Spirituali, & de prima eius ſpecie. 292.
V. De ſecunda ſpecie Raptus. 294.
VI. De notis boni Raptûs, & de tertia ſpecie illius. 296.
VII. Quomodo amor ſit vita animæ; & continuatio diſcursûs vitæ Ecſtaticæ. 299.
VIII. Admiranda exhortatio S. Pauli ad vitam Ecſtaticam & ſupernaturalem. 302.
IX. De ſupremo effectu amoris affectiui, qui eſt mors amantium, & inprimis eorum, qui moriuntur in amore. 305.
X. De ijs qui mortui ſunt per & propter amorem Diuinum. 308.
XI. Nonnullos inter Diuinos amatores mori ex amore. 310.
XII. Hiſtoria admirabilis de obitu Nobilis cuiuſdam, qui mortuus fuit ex amore ſuper montem Oliueti. 313.
XIII. Beatiſſimam Virginem DEI Matrem mortuam eſſe ex amore in Filium. 316.
XIV. Mortuam fuiſſe Glorioſam Virginem amore ſummè ſuaui & tranquillo. 320.

LIBER OCTAVVS.

De amore conformitatis, per quem voluntatem noſtram vnimus DEI voluntati, quæ nobis eius præceptis, conſilijs, & inſpirationibus indicatur.

CAPVT.

Digitized by Google

CAPUT
I. De amore Conformitatis prouenienti ex ſacra cōplacentia. 325.
II. De Conformitate ſubmiſsionis, quæ procedit ex amore beneuolentiæ. 328.
III. Quomodo nos conformare debeamus diuinæ voluntati, quæ vocatur voluntas ſignificata. 330.
IV. De Conformitate noſtræ voluntatis cum illa, quam DEUS habet ad nos ſaluandos. 333.
V. De Conformitate noſtræ voluntatis cum voluntate DEI, quæ nobis ſignificata eſt per eius mandata. 335.
VI. De Conformitate noſtræ voluntatis cum illa, quam DEUS nobis ſignificauit per ſua Conſilia. 338.
VII. Quòd amor voluntatis DEI ſignificatæ in mandatis, nos inducat ad amorem Conſiliorum. 341.
VIII. Contemptum conſiliorum Euangelicorum eſſe magnum peccatum. 344.
IX. Proſecutio diſcurſûs inchoati, quomodo debeat quilibet amare, licet non obligetur, & exercere omnia conſilia Euangelica; quomodo item ex ijs exercere debeat illa, quæ poteſt. 347.
X. Quomodo ſe conformare oporteat voluntati diuinæ, quæ nobis per inſpirationes ſignificata eſt, & primò de varietate mediorum per quæ DEUS nos afflat ſuis inſpirationibus. 351.
XI. De vnione voluntatis noſtræ cum diuina in inſpirationibus, quæ pro praxi extraordinaria virtutum datæ ſunt; & de perſeuerantia in vocatione, quæ eſt prima nota inſpirationis. 354.
XII. De vnione voluntatis humanæ cum diuina in inſpirationibus, quæ ſunt contra, vel præter ordinarias leges, & de pace ac ſuauitate cordis ſecundâ notâ inſpirationis. 358.
XIII. Tertia inſpirationis nota eſt ſancta obedientia, quæ Eccleſiæ & ſuperioribus præſtatur. 366.
XIV. Breuis methodus ad cognoſcendam DEI voluntatem. 364.

LIBER NONVS.

De amore ſubmiſſionis, per quem amorem voluntas noſtra ſe vnit DEI beneplacito.

CAPUT

I. De vnione noſtræ voluntatis cum diuina, quæ vocatur voluntas beneplaciti. 367.

II. Vnionem noſtræ voluntatis cum beneplacito DEI principaliter fieri in tribulationibus. 370.

III. De vnione noſtræ voluntatis cum beneplacito diuino in afflictionibus ſpiritualibus per reſignationem. 373.

IV. De vnione noſtræ voluntatis cum DEI beneplacito per indifferentiam. 375.

V. Sanctam indifferentiam extendere ſe ad omnes res. 378.

VI. De praxi indifferentię amoroſæ in rebus ſpectantibus ad ſeruitium diuinum. 380.

VII. De indifferentia, quam in praxim deducere debemus in eo, quod facit ad noſtrum in virtutibus progreſſum. 384.

VIII. Quomodo vnire debeamus noſtram voluntatem DEI voluntati in permiſſione peccatorum. 388.

IX. Quomodo puritas indifferentiæ ad praxim ſit deducenda in actionibus ſacri amoris. 391.

X. Modus cognoſcendi mutationem in ſubiecto huius ſancti amoris. 393.

XI. De perplexitate cordis, quod amans ignorat, an placeat dilecto. 395.

XII. Quomodo inter dolores & moleſtias intenſiores anima non cognoſcat amorem, quem habet erga DEUM, & de occaſu amabiliſſimæ voluntatis. 398.

XIII. Quomodo voluntas mortua in ſe, purè viuat in DEI voluntate? 401.

XIV. Decla-

XIV. Declaratio eorum, quæ dicta ſunt de occaſu, morte & tranſitu noſtræ voluntatis. 404.
XV. De excellentiſſimo exercitio, quod facere poſſumus inter dolores & afflictiones interiores & exteriores huius vitæ, ſuppoſitâ indifferentiâ, & omnimodâ mortificatione, & abſolutâ vnione voluntatis humanæ cum Diuina. 407.
XVI. Perfecta exſpoliatio animæ vnitæ Dei voluntati. 410.

LIBER DECIMVS.

De præcepto Deum amandi ſuper omnia.

Caput
I. De ſuauitate mandati, quod nobis Deus dedit, vt ſe amemus ſuper omnia. 415.
II. Quòd diuinum hoc de amore mandatum pertineat quidem ad cœlum, ſed datum ſit huius mundi fidelibus 418.
III. Quomodo toto corde ſacro amori impenſo, poſſit nihilominus differenter amari; & ſimul amando Deum, etiam plures aliæ res amari poſſint. 419.
IV. De duobus gradibus perfectionis, quibuscum præceptum hoc poteſt obſeruari in hac vita mortali. 423.
V. De duobus alijs gradibus maioris perfectionis, quibus conſcenſis, amare poſſumus Deum ſuper omnia. 426.
VI. Dei amorem ſuper omnia eſſe communem omnibus amantibus. 430.
VII. Declaratio præcedentis capitis. 432.
VIII. Hiſtoria memorabilis ad bene concipiendum in quo ſita ſit vis, & excellentia amoris ſacri. 435.
IX. Confirmatio dictorum per celebrem & notabilem comparationem. 439.
X. Quomodo debeamus amare diuinam bonitatem, magis quàm nos ipſos. 442.
XI. Quomodo ſanctiſſima charitas producat amorē proximi. 445.
XII. Quomodo amor producat zelum. 447.

XIII. Quomodo Deus æmuletur pro nobis. 449.
XIV. De zelo vel zelotypia, quam habemus pro Deo. 450.
XV. Monita pro dilectione ſancti zeli. 456.
XVI. Exemplum plurium ſanctorum, qui videntur exercuiſſe zelum cum cholera, nihil continere contra doctrinam ſuperioris capitis. 460.
XVII. Qualiter Chriſtus Dominus excellentiſsimos quoſquo actus amoris exercuerit. 465.

LIBER VNDECIMVS.

De ſuprema auctoritate, quam habet ſacer amor ſupra omnes virtutes, actiones, & perfectiones animæ.

Caput
I. Quam gratæ ſint omnes virtutes Deo. 469.
II. Ab amore ſacro reddi virtutes longè gratiores Deo, quàm illæ ſint propriâ naturâ. 473.
III. Eſſe virtutes aliquas, quas præſentia diuini amoris extollit ad altiorem excellentiam, quàm alias. 475.
IV. A diuino amore magis adhuc eſt & excellentiùs ſanctificari virtutes, quando eæ exercentur modo ab eo præſcripto. 477.
V. Quomodo ſacer amor miſcet ſuam dignitatem inter alias virtutes, eas in particulari perficiens. 480.
VI. De excellentia valoris, quem ſacer amor communicat actionibus, quæ ex ipſomet procedunt, & ijs, quæ ab alijs virtutibus profluunt. 483.
VII. Nullas perfectarum virtutum vnquam eſſe ſine alijs. 487.
VIII. Quomodo charitas omnes virtutes comprehendat. 491.
IX. Quòd virtutes accipiant & trahant perfectionem ſuam ex ſacro amore. 494.
X. Digreſsio ſuper imperfectionem virtutum Paganorum. 497.
XI. Quomodo actiones humanæ ſint ſine valore & merito, quando ſunt ſine vero amore. 502.

Digitized by Google

XII. Quomodo amor ſanctus rediens in animam reuiuiſcere facit omnia opera, quæ peccatum priuârat vitâ, vel potius mortificauerat. 505.
XIII. Quomodo debeamus reducere omnem praxim virtutum & actionum noſtrarum ad amorem ſanctum. 509.
XIV. Praxis eorum, quæ dicta ſunt ſuperiori capite. 512.
XV Quomodo charitas in ſe ſancti Spiritus dona cõprehendat. 515.
XVI. De amoroſo timore ſponſarum, continuando inceptum diſcurſum. 518.
XVII. Quomodo timor ſeruilis maneat cum amore diuino. 520.
XVIII. Quomodo amor vtatur timore naturali, ſeruili & mercenario. 523.
XIX. Quomodo amor ſacer comprehendat 12. fructus Spiritûs ſancti, cum octo beatitudinibus Euangelicis. 527.
XX. Quomodo diuinus amor adhibeat omnes paſsiones & affectiones animæ, eaſque reducat ad ſuam obedientiam 530.
XXI. Quòd triſtitia fere ſemper ſit inutilis, imò & contraria ſeruitio & obſequio diuini amoris. 534.

LIBER DVODECIMVS.

Complectens aliqua monita, quæ iuuant animam ad progrediendum in ſancto amore.

CAPVT

I. Progreſſum in ſancto amore non dependere à complexione naturali. 539.
II. Quod oporteat habere continuum deſiderium amandi. 541.
III. Vt habeatur deſiderium ſacri amoris, oportet alia deſideria reſcindere. 542.
IV. Quod occupationes legitimæ nos non impediant in vſu & praxi diuini amoris. 544.
V. Exemplum comprimis amabile circa hoc argumentum. 546.

VI. Adhi-

VI. Adhibendas & arripiendas eſſe omnes præſentes occaſiones, quæ inſeruiunt, diuino amori exercendo. 547.
VII. Adhibendam eſſe curam, vt opera noſtra quám exactiſsimè perfectiſsimeque faciamus. 548.
VIII. Medium generale ſeu modus applicandi noſtra opera DEI obſequijs. 549.
IX. De aliquibus alijs medijs ac modis applicandi magis ſpecialiter noſtra opera amori diuino. 552.
X. Exhortatio ad ſacrificandum DEO noſtrum liberum arbitrium. 555.
XI. De motiuis quæ habemus pro ſancto amore. 558.
XII. Methodus vtiliſsima ad adhibenda hæc motiua. 559.
XIII. Montem Caluariæ eſſe veram Academiam dilectionis. 560.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO DEDICATORIA AVCTORIS,

Ad

B. VIRGINEM,

&

S. JOSEPHUM.

MAter DEI Sanctiſsima, vas electionis incomparabile, Regina dilectionis ſuprema: amore digniſſima, ſimul ô amantiſſima, dilectiſsima omnium creatorum: in te ſibi complacens cæleſtis Patris amor ab omni æternitate cor tuum ad omnem omnino ſancti amoris perfectiõem deſtinauit, vt in tempore amares filium amore materno, quem ille ante omnia ſæcula vnico & inuariabili amauit paterno. O JESU mi Saluator, cui verba tui amoris

poſsim meliùs dedicare, quàm dilectiſsimæ Matri tuæ?

Sed & ô Mater, triumphatrix glorioſiſsima, quis valeat in tuæ Maieſtatis vultum ſtabiles adeò figere oculos, quin ſimul in cingentem latus tuum Beatum Joſephum defigat? quem dilectus filius tuus toties amore tui, titulo Patris honorare voluit, eum tibi jungendo cæleſti vinculo, matrimonio ſcilicet prorſus virgineo, imò Angelico, quò is tibi eſſet ſubſidio in munere gubernandi & educandi diuinam ſuam infantiam. O Magne Joſeph, Sponſe MATRIS DILECTI Amantiſsime! ô quoties inter brachia geſtâſti amorem & delicias cæli ac terræ, quando amantiſsimis amplexibus, ſuauiſsimiſque diuini iſtius Infantis oſculis incenſa tota quanta anima tua inenarrabili gaudio diffluebat, & ſimul tenerrimas, quæ ſequuntur voces identidem ab eodem repetitas patulis auribus excipiebat. O quanta dulcedo animi audire à Filio DEI, TU SUMMUS MEUS AMICUS ES, PATER MEUS DILECTISSIMUS.

Ponebantur olim lucernæ veteris templi ſuper aureos liliorum flores. O MARIA, ô JOSEPH! PAR SINE PARI, lilia ſacra incomparabilis pulchritudinis, inter quæ *Dilectus paſcitur* & paſcit ipſe omnes ſui amantes! ô ſi quæ ſpes affulgeat, fore, vt aliquan-

aliquando hoc ſcriptum amoris illuſtret & inflam-
met FILIOS LVCIS, vbi locorum meliùs poſſim
illud collocare, quàm inter veſtra lilia? Veſtra di-
co lilia, in QVIBVS Sol iuſtitiæ, ſplendor & candor
increati luminis adeò ſibi complacuit, vt in ijs in-
effabilis dilectionis cordis ſui delicias aduerſum
nos poneret. O Mater vnicè dilecta TUO DILE-
CTO! ô Sponſe multùm Dilecte, TUÆ DILECTÆ!
Ad veſtros proſtratus pedes (qui meum Saluato-
rem toties portârunt) hoc exiguum opus amoris
immenſæ dilectionis veſtræ magnitudini VOVEO,
DICO & CONSECRO. Sed & vos per dulcis ve-
ſtri JESU (qui Rex eſt cordium) cor, quod veſtra
adorant corda, coniuro, vt mihi & omnibus, qui
hoc ſcriptum lecturi ſunt, potenti veſtro apud Spi-
ritum ſanctum feruore impetretis gratiam, quâ
animati & roborati, etiam luce hodiernâ omnes
cordis noſtri affectiones & deſideria in perfectum
& conſummatum holocauſtum diuinæ bonitati
immolemus: vt poſthac viuamus, moriamur & re-
uiuiſcamus à mortuis æuo ſempiterno inter flam-
mas cæleſtis ignis, quem Dominus noſter, filius ve-
ſter, in cordibus noſtris adeò accendi deſiderauit,
vt eam ob cauſam ad mortem vſque, & quidem
mortem crucis, nullos labores, nulla tormenta a-
more noſtri ſubire detrectârit.

Digitized by Google

VIVAT IESVS.

PRÆFATIO AVCTORIS

Ad

LECTOREM.

DOcet Spiritus S. libros Sponſæ diuinæ, id eſt Eccleſiæ, ſimiles eſſe cocco, & fauo diſtillanti mel, vt quilibet ſciat omnem doctrinam, quam illa annuntiat conſiſtere in ſacra dilectione, quæ rubedine fulgentior eſt quouis cocco, propter ſanguinem Sponſi, qui illam inflammat; dulcior melle ob ſuauitatem DILECTI, qui eam delicijs cumulat. Hinc cæleſtis Spiritus volens exhibere principium publicationis ſuæ legis, congregatis diſcipulis, quos ad officium hoc deputauerat, dedit diſpertitas linguas tanquam ignem, hoc modo apertè oſtendens, quòd prædicatio Euangelij tota deſtinata eſſet ad corda hominum inflammanda.

Repræſenta tibi columbas pulchritudine eximias in radijs ſolaribus conſtitutas, videbis eas toties variari coloribus, quoties diuerſificaueris poſituram & ſitum, quibus eas intueris; quia ſcilicet eorum plumæ ita propriæ ſunt recipiendo ſplendori, vt cùm ſol miſcuerit claritatem earum pennis, in eis pellucidorum ac tranſlucentium obiectorum innumera varietas ſe offerat, quæ magnam diſſimilitudinem & multitudinem nubium producit, & ſimul commutationem colorum; ſed colorum

rum

Digitized by Google

rum ita viſu delectabilium, vt omnes alios colores ſuperent; quin & opus encauſto depictum, & pretioſiſsimis quibuſque lapidibus artificioſè elaboratum; colorum inquam ita reſplendentium & exquiſitiùs inauratorum, quàm natiuo ipſarum auro exornentur. Nam & hoc ſenſu & conſideratione Regius Propheta dicebat Iſraëlitis: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Pſal. 67 v. 14.

Omnino Eccleſia tota quanta circumdata eſt excellenti varietate monitorum, ſermonum, tractatuum, nec non magno numero piorum librorum, quæ omnia eximia cum pulchritudine & ſuauitate oculis ſubijciuntur; & hoc propter admirabilem mixturam, quam ſol iuſtitiæ facit radijs ſuæ ſapientiæ cum linguis paſtorum (quæ eorum ſunt plumæ) & cum plumis, quæ nonnunquam ſubeunt vices linguarum, & conficiunt egregium apparatum pennarum huius myſticæ columbæ. At inter omnem diuerſitatem colorum doctrinæ, quam illa promulgat, & paſſim vbiq; patefacit probatum ſanctæ dilectionis aurum eſt, quod mirè ſe videndum exhibet, inaurans incomparabili ſuo ſplendore omnem ſanctorum ſcientiam, eandemque exaltans ſuper omnem omnino aliam ſcientiam. Quicquid illud eſt, totum amoris eſt, totum in amore, totum propter amorem, & totum ex amore in ſancta DEI Eccleſia.

Verùm cùm perbene nobis conſtet omnem diei claritatem à ſole prouenire, dicimus tamen ordinariè ſolem non lucere, niſi quando apertè circumcirca iacit ſuos radios; ſimili modo quamuis omnis doctrina Chriſtiana ſit ex ſacro amore, tamen non omnem Theologiam honoramus indiſtinctè titulo diuini amoris, ſed ſolùm partes illius, quæ originem, naturam, proprietates & operationes illius in particulari reſpiciunt.

Negari non poteſt, quin complures Scriptores admiranda ediderint de hoc ſubiecto monumenta, antiqui præſertim Patres, qui vti maximo cum amore DEO ſeruiêrunt, ita etiam de eius amore diuiniſſimè locuti ſunt. O quàm pulchrum & ſuaue eſt audire S. Paulum loquentem de rebus cæleſtibus, quas in cælo ipſo didicerat! quàm iucundum videre has animas in ſinu dilectionis enutritas ſcribere de ſancta eius dulcedine! Ea ipſa de cauſa inter Scholaſticos, qui meliùs ſcripſerunt, & ſubtiliùs diſputârunt, etiam pietate alios anteceſſerunt. S. Thomas conſcripſit de hoc amoris ſubiecto Tractatum vnum: quæris qualem?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

S. Thoma dignum. Beati, Bonauentura & Dionyſius Carthuſianus complures eximios Tractatus diuerſis inſignitos titulis in lucem dederunt. Quantum ad Joannem Gerſonem Cancellarium Vniuerſitatis Pariſienſis attinet, audi S. Sixtum Senenſem, qui ſic de illo loquitur: tanta cum dignitate de quinquaginta proprietatibus diuini amoris, (quæ hinc inde paſſim in Canticis Canticorum deductæ ſunt) diſſeruit, vt ſolus calluiſſe numerum affectionum diuini amoris videatur. Homo hic fuit cumprimis doctrinâ, judicio ac pietate ſingulari.

Vt verò conſtet hoc Scriptorum genus fieri felicius pietate & deuotione amantium, quàm doctrinâ & ſubtilitate Doctorum, Spiritus ſanctus complures fœminas donis ſuis repleuit, quæ hoc in genere mira præſtiterunt. Ecquis vnquam cæleſtes ſacri amoris paſsiones meliùs expreſsit, quàm SS. Catharina Genuenſis, Angela de Fuligno, Catharina Senenſis, & deniq; Mathildis?

Et quidem hâc noſtrâ ætate complures ſcripſerunt, quorum mihi defectu & otij inopiâ diſtinctè libros totos non licuit legere, ſed ſolùm hinc inde, quantùm neceſſe fuit ad cognoſcendum an hic meus de Amore Tractatus inter eorum opera locum inueniret. Reuerendus P. Ludouicus Granatenſis, magnus ille pietatis Doctor, Tractatum de Amore DEI ſuo inſeruit memoriali, quem ſi laudare & commendare ſtudioſè volueris, ſat erit dicere, adeò boni Auctoris eſſe partum, vt vltrà nihil ſit requirendum.

Didacus Stella ex Ordine & Familia S. Franciſci alium confecit optimis affectibus refertum, nec non imbibendæ pietati & fundendis orationibus vtiliſſimum: ſed & Chriſtophorus Fonſeca Religioſus Ordinis S. Auguſtini vnum in lucem edidit adhuc illo maiorem, in quo res pulcherrimas in medium profert.

P. Ludouicus Richeome Societatis IESU publicauit etiam librum ſub titulo artis amandi DEUM per creaturas. Is Auctor ita admirandus eſt in ſua perſona, & pulcherrimis ſuis operibus, vt dubitare non liceat, quin longè admirabilior ſit ſcribendo de eodem amore. P. Ioannes de JESU MARIA è familia Patrum Carmelitarum diſcalceatorum librum compoſuit eodem titulo de arte DEUM amandi, qui paſſim permagni æſtimatur.

Magnus & celebris ille Cardinalis Bellarminus non ita pridem etiam

etiam edidit ASCENSIONEM MENTIS IN DEUM PER SCALAS RERUM CREATARUM: qui liber non poteſt non eſſe in magna apud omnes æſtimatione & admiratione, ſiquidem è manu doctiſsima Deoq; addictiſsima, quæ tam multa, tamque docta ſcripſit pro DEI Eccleſia, proficiſcitur. Nihil volo dicere de Parænetico Fluminis Eloquentiæ, quod paſsim hodie per Galliam pleno fluit alueo, ob multitudinem & varietatem ſermonum & eximiorum ſcriptorum. Arcta conſanguinitas ſpiritualis, quã anima mea cum illius contraxit (quando per impoſitionem manuum mearum accepti characterem Epiſcopalem pro bono diœceſis BELLEY nominatæ, proque honore vniuerſalis Eccleſiæ;) & innumeri alij nodi ſinceræ amicitiæ, qui nos vinciunt, non permittunt, vt liberè & iuxta animi mei ſenſa loquar vlteriùs de eius operibus. Inter quæ Pæreneticum de Amore diuino fuit ex primis eruptionibus affluentiæ incomparabilis eius ingenij, quod omnes in eo magna cum commendatione ſuſpiciunt.

Intuemur prætereà amplum & magnificum palatium, quod Reu. P. Laurentius Pariſienſis, Prædicator Ordinis PP. Capucinorum extruit in honorem Amoris diuini, cui poſtquam ſuprema manus impoſita fuerit, omnibus numeris abſolutus habebitur curſus omnis ſcientiæ DEUM rectè amandi. Tandem B. Thereſia de IESU tam accuratè & ſapienter de motibus ſacræ dilectionis in omnibus libris, quos moriens nobis reliquit, ſcripſit, vt nemo non ſuſpiciat & extollat eloquentiam in tanta humilitate, tantamq; mentis & ingenij firmitatem in tam magna ſimplicitate; ſed & ſapientiſſima eius ignorantia in propatulo ponit ignorantiſsimam ſcientiam complurium litteratorum, qui poſt moleſtam & operoſam multorum annorum ſtudiorum tractationem, pudore ſuffunduntur, non intelligentes ea, quæ tam feliciter de praxi ſancti Amoris conſcripſit Thereſia. Ita DEUS exaltat thronum ſuæ virtutis ſupra theatrum noſtræ infirmitatis, eligens infirma mundi, vt confundat fortia, vel minimùm adæquet fortibus. Quamuis autem Tractatus hic, quem tibi (chare Lector) præſentem exhibeo, longo interuallo ſequatur excellentes aliorum libros, idque ſine ſpe eos aſſequendi; tantum nihilominus ſpei repoſitum habeo in fauore DUORUM CÆLESTIUM AMANTIUM (quibus eum dedico) vt putem tibi ab eo allatum iri aliquod genus obſequij & vtilitatis ſpiritualis; quin imò tibi legenti occurſuras multas

bonas

bonas & ſalutares conſiderationes, quas non ita facilè alibi inuenires; ſicut & reciprocè alibi deprehenſurum complures eximias res, quas in hoc Tractatu fruſtrà quæreres. Videtur etiam mihi meus conceptus & intentio non eſſe aliorum, niſi in genere, in quantum ſcilicet omnes collineamus, velut in ſcopum, ad gloriam ſancti Amoris: cuius dicti, te Lector, cupio eſſe iudicem.

Ego certè ſolùm cogitaui ſimpliciter, ingenuè, ſine arte & multò magis ſine fuco repræſentare hiſtoriam originis, progreſſuum, imminutionum, operationum, proprietatum, commodorum, vtilitatum & excellentiarum Amoris diuini. Quodſi præter hæc aliqua alia inueneris, ſunt ea ſuccreſcentes herbæ: quæ fere vix euitari poſſunt ab eo, qui, vti mihi contingit, ſcribit inter complures diſtractiones. Credo tamen, nihil repertum iri, quod ſuâ non conſtet vtilitate. Ipſamet natura, quæ ſapiens eſt operatrix, deſignans animo productionem vuarum, ſimul producit velut per prudentem inaduertentiam tam multa folia & pampinos, vt paucas admodùm vineas ſit reperire, quæ ſuo tempore neceſſe non habeant ſuperfluis liberari & deonerari.

Scriptores perſæpe iuſto nigriore calculo notantur, dum ſententiæ contra illos conceptæ maiori cum importunitate præcipitantur, quàm eorum delictum, feſtinando in ſuis ſcriptis publicandis mereatur. Præcipitatio iudiciorum tum conſcientiam iudicum, tum innocentiam accuſatorum non paruo exponit periculo. Complures fatuè ſcribunt, & complures etiam eos ineptè cenſent. Suauitas Lectorum, ſuauem & vtilem efficit lectionem: vnde vt te fauorabiliorem (amande Lector) habeam, volo de aliquot punctis hîc rationem reddere; quæ turbidiorem aliquem motum poſſent in nonnullis excitare.

Iudicabunt fortaſſe aliqui plura me dixiſſe, quàm opus fuerit, nec opere pretium fuiſſe diſcurrendo ad ipſas vſque radices deſcendiſſe: verùm exiſtimo diuinum amorem eſſe inſtar plantæ, quæ ſimilis eſt Angelicæ, cuius radix non minùs odoratum recreat & ſalutaris eſt, quàm ſit ipſæ caulis & folia. Quatuor primi libri & nonnulla aliorum capita poterant dubio procul omitti in gratiam earum animarum, quæ aliud non requirunt quàm praxin ſanctæ dilectionis; nihilominus illa omnia iis cedent in vtilitatem, ſi piè ac ſtudioſè eadem lectitent, aut lectitantes audiant. His non obſtantibus complures forſitan iudicâſſent pre-

tium

Digitized by Google

tium operæ fuiſſe, vt quæcunque aliquo modo ſpectant ad Tractatum cæleſtis amoris, in medium proferrentur. Vt verum fatear, perpendi conditionem, & velut iam præſcriptam propenſionem ingeniorum huius ſæculi, vti perpendere debui: plurimùm enim intereſt conſiderare, quo ſæculo ætateq; ſcribatur.

Nonnunquam cito ſacram Scripturam alijs terminis, quàm comprehenſa & declarata ſit per editionem ordinariam; noli (mi Lector) iniuriæ mihi notam impingere, credens velle me recedere à communi editione! Abſit hoc vt in mentem veniat: ſat enim ſcio quid ſtatuerit ſacrum Concilium Tridentinum Spiritûs ſancti auctoritate ſtabilitum, ideoque eius ſtandum ſententiâ; quòd autem ſubinde aliam præter communem adhibeam verſionem, ſolùm id facio ad explicandum & confirmandum genuinum ordinariæ ſenſum, exempli gratiâ, cæleſtis Sponſus dicit ſuæ Sponſæ: *Vulneraſti cor meum*: plurimùm id clareſcit adhibitâ extraordinariâ verſione: *tu mihi cor abſtuliſti*, vel, tu traxiſti & rapuiſti mihi cor. Dictum item Chriſti Saluatoris: *Beati pauperes ſpiritu*, multùm amplificatur & declaratur iuxta Græcam traductionem, quæ eſt: beati mendicantes ſpiritu, & ita de alijs.

Sæpiùs ſacrum Pſalmiſtam citaui verſibus: & hoc partim ad te, Lector, recreandum, partim quòd ad manum haberem eximiam traductionem Philippi de Portes, Abbatis Tironenſis verſibus comprehenſam: à qua tamen nonnunquam abſtinui: non equidem quòd crederem meliores me verſus cuſurum, quàm famoſum & elegantem illum Poëtam; eſſem enim perineptus & importunus, ſi in hoc genere ſcriptorum, & in hac ætate & vitæ conditione conſtitutus in animum admitterem, poſſe me aliquid laudis emendicare: cùm hæc & alia plura mihi ſuadere deberent, vt ab eo me retraherem, ſi vnquam illi ſtudio addictus fuiſſem. verùm nonnullis in locis, in quibus plures ſenſus deduci poterant, non ſum ſequutus eius verſus, quia nolebam ſequi eius ſenſum: vti Pſal. 132. intellexit ille VERBVM LATINVM DE FIMBRIA VESTIS, quod ego exiſtimaui intelligendum eſſe de COLLARI; ideoque traduxi meo arbitratu.

Nihil adfero, quod ab alijs non didicerim, ſed à quo in particulari, nullo modo recordor; ingenuè tamen aſſero, quòd ſi ex quopiam ſcriptore res alicuius notæ accepiſſem, & in hoc libro inſeruiſſem, du-

Digitized by Google

cerem mihi conſcientiæ, ſi laudem ei, quam merebatur, non attribuiſſem. Ad tollendam ſuſpicionem, quæ fortè in mentem venire poſſet contra meam hoc in genere ſinceritatem, indico tibi caput 13. lib. ſeptimi extractum eſſe ex ſermone, quem feci Pariſijs in templo S. Joannis in Arena, die Aſſumptionis Dominæ noſtræ, Anno 1602.

Non ſemper verbo expreſſi ſeriem & conſequentiam capitum: verùm, ſi aduertas, facilè inuenies eorundem coniunctionis nodos. In hac & pluribus alijs rebus multùm ſtudui conſulere otio meo, & patientiæ tuæ. Quando in lucem prodijt INTRODVCTIO ad vitam deuotam, Reuerendiſſimus & Illuſtriſsimus Dominus Petrus de Villars, Archiepiſcopus Viennenſis dignatus eſt mihi ſcribere ſuam de ea opinionem, & id quidem verbis tum libro, tum mihi ita fauentibus, vt quod opponam, nihil omnino habeam: ſed & me exhortatus eſt, vt ſtringerem calamum, quoad fieri poſſet per otium, ad conſcribendos ſimiles libros. Inter plura autem eximia eius dicta & admonita, de quibus mihi gratificabatur, illud fuit, vt, quantùm res ſubiecta ſcriptioni pateretur, ſtuderem breuitati capitum: nam, quemadmodùm, inquit, viatores ſcientes eſſe pulchrum & artificioſè excultum hortum ſolummodò 20. aut 25. paſsibus à ſuo itinere diſtantem, haud grauatè diuertunt tantiſper ad eum videndum; quod nequaquam facerent, ſi notabiliter longiùs diſtaret à via: ſimiliter ij, qui ſciunt finem vnius capitis non procul diſtare ab eius principio, libenter ad legendum ſe applicant: quod profectò non facerent (eſto ſubiectum libri gratum eſſet) ſi multùm temporis eſſet expendendum ad illud legendum. Quare operam dedi, vt hoc in genere meæ aliàs propenſioni magis adhuc inhærerem, quàm antè. Et id maximè, quod ſic iudicet magnus ille vir, qui ſanctiſſimus Prælatorum, ſcientiſsimuſq; Doctorum, quos Eccleſia noſtro æuo ætateq; habuit, creditus eſt, ſed & quando ſuis ille me dignatus eſt literis, antiquiſsimus erat Doctorum facultatis Pariſienſis.

Quidam eximius DEI ſeruus non pridem me monuit, multos, videntes me fœminam, nomine Philothæam in Tractatum de VITA DEVOTA acquirenda, introduxiſſe; ab eius lectione, & fructu, quem inde percipere poterant, retardatos fuiſſe, eò quòd monita facta per fœminam indigna putauerint virorum lectione. Multa me hic capit admiratio, inueniri viros, qui re ipsâ tam parum ſe viros exhibeant; tibi, optime Lector,

Digitized by Google

ctor, conſiderandum relinquo, an non deuotio æqualiter ſpectet ad viros, & ad fœminas? an non pari intentione & reuerentiâ legenda ſit Epiſtola S Ioannis Euangeliſtæ 2. quæ inſcripta eſt Dominæ Electæ, ſicuti tertia, Cajo? an denique innumeræ literæ, vel eximij tractatus antiquorum Eccleſiæ Patrum exiſtimari debeât viris inutiles, quia ad ſanctas fœminas illius temporis deſtinati ſunt; ſed præterea quis non videt Philothæam eſſe animam aſpirantem ad vitam deuotam? Nonnè viri æquè ac fœminæ animâ prædit iſunt?

Nihilominus ad imitandum hac in occaſione Doctorem gentium S. Paulum, qui omnibus ſe debitorem exiſtimabat, mutaui in hoc Tractatu directionem illam ad Philothæam, & loquor cum Theotimo. Quod ſi fortaſsis fœminæ aliquæ inuenirentur (importunitas equidem & inepria iſta tolerabilior eſſet in illis) quæ nollent legere inſtructionem & doctrinam quibus viri erudiuntur: credant velim Theotimum, quocum in hoc Tractatu loquor, aliud non eſſe, quàm mentem humanam, quæ progreſſum facere in ſacra dilectione percupit, mentem inquam ſeu ſpiritum loquentem viris juxta ac fœminis.

Tractatus hic erectus eſt ad iuuandam animam iam pietate & deuotione imbutam, quæ proinde progredi & proficere poſſit in vlteriore ſua deſignatione: quare debui nonnulla adferre minùs vulgo cognita & ex conſequenti, quæ nonnihil illi videri poſsint obſcura. Scientiæ baſis & fundamentum ſemper ſunt difficiliora cognitu. Pauci quidem inueniuntur vrinatores, qui velint & ſciant colligere margaritas, aliosque pretioſos lapides intra Oceani viſcera. Verùm ſi deliberatum tibi eſt hoc ſcriptum penetrare, eueniet tibi, ne dubites, quod audacioribus vrinatoribus, qui, inquit Plinius, exiſtentes in profundiſsimis gurgitibus maris, clarè intuentur lumen ſolis; dum eodem tu modo in compluribus locis difficilioribus horum diſcurſuum, inuenturus es eximiam & amabilem claritatem. Et certè, vt ſequi nolui eos, qui contemnunt libros aliquos, qui tractant de certa quadam vita ſupereminentioris perfectionis, ita nolui loqui de illa ſupereminentia: neq; enim poſſum cenſere auctores, neque meo ſuffragio auctoritatem tribuere cenſuris de doctrina, quam non intelligo.

Attigi multas Theologiæ partes & puncta, ſed ſine mentis contentione, proponens ſimpliciter, non tam id, quod olim didici in diſputa-

 tionibus,

tionibus, quàm quod attentio & impenſum ſtudium ad obſequium animarum, annis non minùs 24. in ſancta prædicatione, conuenientius eſſe ad DEI, Euangelij & ſanctæ Eccleſiæ gloriam mihi perſuaſerunt.

Cæterùm diuerſi generis, nec infimæ notæ homines mihi indicârunt nonnullos libros, ſolis primis litteris ſuorum Auctorum nominis in lucem prodijſſe: quæ litteræ eædem ſunt cum ijs, quibus nomen meum ſcribitur. Id nonnullos induxit ad credendum libros illos partus meos eſſe. Nec id abſque ſcandalo eorum, qui credunt me à mea ſimplicitate deflexiſſe, vt ſtylum meum verbis pompoſis inflarem, meos diſcurſus conceptionibus humanis ſtabilirem, ipſos autem conceptus volatili ac plumatili eloquentiâ exornarem; Hic mi Lector, tibi dicam, vti res habet: quemadmodum ij, qui lapides pretioſos exſculpunt, cælant & incidunt, dum viſum debiliorem propter nimiam attentionem circa materiam ſibi elaborandam experiuntur, ante ſe pulchrum aliquem ſmaragdum libenter habent, vt eum ſubinde reſpicientes poſsint recreare, & reponere oculos languentes in ſtatu ſuo naturali; ſic ego in hac varietate negotiorum, quæ conditionem meam aſsiduè concomitantur, ſemper habeo paruas aliquas deſignationes alicuius pij tractatûs, quas ſubinde ſuſpicio ad ſubleuandum & nonnihil relaxandum animum.

Sed non ideò profiteor me eſſe ſcriptorem; nam tarditas intellectûs mei & conditio vitæ expoſita obſequio & congreſſibus plurium ad me venientium, non permittunt id mihi: & propterea valde pauca ſcripſi, & longè pauciora in lucem dedi; ſecutus autem conſilium & voluntatem meorum amicorum, dico ideo fieri, ne laus alterius operis ei attribuatur, qui ne ex proprio quidem eam meretur.

Decimus nonus agitur annus, quòd Thononæ fuerim, parua ciuitate, ſitâ ſuper lacum Geneuenſem: hæc ciuitacula ſenſim redibat ad Catholicam fidem. Miniſter, Eccleſiæ Catholicæ hoſtis paſſim vociferabatur, quòd articulus Catholicus de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia deſtrueret ſymbolum, & analogiam fidei (erat enim facile dicere hoc verbum, ANALOGIA, quod Auditores non intelligebant) vt perdoctus videretur; & hanc ob cauſam alij Prædicatores Catholici, quibuſcum eram, mecum precibus egerunt, vt ſcriberem aliquid in refutationem iſtius vanitatis. Ego, admiſsâ eorum petitione, feci quod æquum & conueniens iudicabam, conſcribens breuem meditationem ſuper

Symbo-

Digitized by Google

Symbolum Apoſtolicum, ad confirmandam veritatem; exemplaria autem diſtributa fuerunt in tota diœceſi, in qua tamen nunc ne vnum quidem reperio. Non ita multò pòſt venit Sereniſſimus (Sabaudiæ Ducem intellige) citra montes, inuenitque Toparchias, tractus ſeu diœceſes Prætoriæ iuriſdictionis CHABLAIN, GAILLARD & TERNIER, quæ ſunt circa Geneuam, media ex parte diſpoſitas ad recipiendam fidem Catholicam: quæ ereptæ fuerant infelicitate bellorum & rebellionum ante 70. annos; ſtatuitque poſtliminiò reuocare in omnibus Parochijs exercitium Religionis Catholicæ, hæreſim verò penitus abolere. Et quia vna ex parte, bono iſti propoſito, iuxta conſiderationes, quas STATûS RATIONES vocant, obijciebantur impedimenta; deinde quòd complures incolæ dictarum Diœceſium ſeu Tractuum Prætoriæ Iuriſdictionis, non ſatis adhuc inſtructi, ſe opponerent perquam deſideratæ ex parte Principis reſtitutioni auitæ fidei: primam Serenitas ſua difficultatem firmitate zeli inuincibilis erga Religionem ſuperauit; ſecundam autem per ſuauitatem & prudentiam nulli ſimilem: juſſit enim conuocari principales & magis pertinaces, conuocatoſque allocutus eſt eloquentiâ ita amabiliter efficaci ac vrgente, vt ferè omnes per ſuauem & paternã eius amoris violentiam, arma pertinaciæ ad eius pedes depoſuerint, & animas ſuas in manus ſanctæ Eccleſiæ tradiderint.

Liceat mihi, amande Lector, verbum vnum quaſi in tranſitu dicere: laudari quidem omni iure poſſunt & debent eximiæ actiones magni huius Principis, in quibus conſpicio & ſuſpicio fortia facta indicibilis ſtrenuitatis & ſcientiæ militaris quæ nunc & aliàs parauit totâ Europâ admirante; at verò nequeo ſatis extollere reſtitutionem ſanctæ Religionis in tribus Toparchijs ſeu territorijs, quæ nominaui: eo enim in facto tot actus pietatis, prudentiæ, conſtantiæ, magnanimitatis, iuſtitiæ & manſuetudinis, in tanta varietate actionum ad fidem deducendarum conſpexi, vt in iſta vnica ac ſola actione, videar videre ceu in exigua tabella omne id, quod laudatur in Principibus, qui olim ardente ſtudio & zelo augmentandæ DEI gloriæ, & Eccleſiæ bono indefeſsè deſudârunt: theatrum quidem paruum eſt, ſed actiones permagnæ. Et quemadmodum Priſcus ille Artifex in magnis operibus, quæ mundo admirandâ felicitate & induſtriâ viſenda exhibuit, nunquam ita fuit æſtimatus, ſicuti quando confecit nauim ex ebore inſtructam omnibus ijs, quibus na-

ues magnæ inſtrui ſolent, in re tam exigua, quæ tota vnius apiculæ alis tegi poterat; ita ego pluris æſtimo quod fecit eximius dictus Princeps in vno ſuarum ditionum angulo, quàm multas actiones maioris ſplendoris, quas complures ad cælum vſq; efferunt.

Hæc porrò occaſione in omnibus locis & acceſsibus publicis ad dictos diſtrictus plantata ſunt victorioſa ſanctæ crucis trophæa. Et quia paulò antè vnum ex ijs ſolenniſsimè in loco ENNEMASSE dicto, prope Geneuam erectum erat, vnuſquiſpiam Miniſter conſcripſit breuem tractatum contra honorem illius, continentem furioſam & venenoſam inuectiuam, cui iudicatum eſt à Catholicis reſpondendum eſſe. Vnde Reuerendiſsimus & Illuſtriſsimus Dominus Claudius de Garnier Prædeceſſor meus, cuius memoria in benedictione eſt, onus id mihi impoſuit auctoritate, quam in me habebat; & quia ego eum venerabar non tantùm vt Epiſcopum meum, ſed vt eximium & ſanctum DEI Seruum, lubens reſpondi; & reſponſum meum inſignitum titulo defenſionis VEXILLI SANCTÆ CRUCIS, Sereniſsimo Principi dedicaui, partim ad teſtificandam humilem meam aduerſus eum ſubiectionem, partim vt modo aliquo gratum me exhiberem, ob ſolicitudinem & curam, quam oſtendit erga Eccleſias horum locorum.

Non pridem porrò hæc defenſio impreſſa eſt ſub titulo prodigioſo, ſcilicet pantalogiâ, vel theſauro crucis; titulo certè, qui nunquam mihi in mentem venit, cùm non ſim is, cui vel per ſtudium, vel per otium, vel per memoriam cordi ſit congregare tam pretioſa verba ad librum aliquem in lucem emittendum, quique dignus ſit nuncupari titulo theſauri vel pantalogiæ; quin imò, ſi veritatem fateri debeam, horreo titulos eiuſcemodi.

Haud enim immeritò ſtultus cenſendus eſſet Architectus, qui præter omnem rationem veſtibulum maius extrueret ipsâ domo.

Anno 1602. Pariſijs (vbi tunc eram) juſta ſoluebantur magnanimo Principi Philippo Emamnueli, Duci Mercuriano, ori undo è domo Lotharingica, qui ſuperioribus annis in Hungaria contra Turcas tot, tantaque Heroica facta patrauit, vt digna ſint, quæ ab vniuerſa Chriſtianorum poſteritate, in memoriam & honorem tanti viri & Ducis in veneratione habeantur. In qua luctuoſa pompa ſuperabat omnes Illuſtriſſima Maria de Luxenburgo, relicta vidua, dum nihil non excogitabat a-

gebat-

Digitized by Google

gebatque ad ſolenniora mariti ſui funeralia efficienda. Et quia Pater meus, auus, & proauus Ephebi fuerant Illuſtriſsimorum ac Excellentiſsimorum Principum de Martiguez eius Maiorum, me, vt hæreditarium ſeruum ſuæ Domûs elegit ad faciendam concionem funebrem, in magna illa celebritate: cui non ſolùm multi Cardinales, & primæ notæ Prælati intererant, ſed etiam vtriuſque ſexûs Principes, Mareſchalci Franciæ, Equites Ordinis, quin & Præſides, Conſiliarij, ſummique Aſſeſſores Parlamenti Regij. Hâc igitur occaſione compoſui funebrem orationem, eamque in magno illo & illuſtri hominum cœtu, in ſumma Pariſienſi æde pronunciaui. Quod verò ea oratio contineret veram epitomen Heroicorum factorum defuncti Principis, haud inuitus paſſus ſum prælo ſubijci, deſiderante id ardenti ſtudio Principe viduâ: cuius deſiderium mihi erat loco mandati; dedicaui autem Illuſtriſsimæ Duci Vandoſimenſi, tenellulæ adhuc quidem puellæ principi; ſed in qua iam tunc apertè, velut pullulantes aduertebantur viſebanturque excellentium virtutum notæ, (pietatis maximè) quæ nunc toti mundo relucent, dignæ profectò tantis natalibus & educatione, quam à pia ac deuota matre accepit.

Eodem tempore, quo hæc oratio imprimebatur, accepi nuncium, me electum eſſe Epiſcopum; vnde ſtatim huc redij, vt conſecrarer & Reſidentiæ meæ darem initium. Vix hæc acta erant, cùm proponitur neceſsitas admonendi Confeſſarios meæ Diœceſis de quibuſdam magni momenti punctis, ideoque nullâ interiectâ mora collegi, collectaque viginti quinque monita conſcripſi, & typis, ad faciliorem diſtribuendi modum dictis Confeſſarijs, edi curaui. Verùm eadem poſtea diuerſis in locis ſunt recuſa.

Tribus autem quatuorue pòſt annis dedi in lucem INTRODUCTIONEM ad VITAM DEUOTAM ob cauſas, quas in præfatione dictæ Introductionis recenſui; quibus, amande Lector, quod addam nihil habeo: niſi quòd liber ille, generaliter loquendo, ſuaui ac gratioſâ cum amoris teſtificatione acceptus quidem fuerit, non ſolùm à vulgaribus, ſed etiam à grauiſsimis quibuſque Prælatis & claris Eccleſiæ Doctoribus; non ideò tamen exemptus fuit à nonnullorum rudi cenſura, qui non modò me culpârunt ac diffamârunt, ſed etiam peraſperè in publico verborum contumelijs deſpectuque exagitârunt; ob id, quod dixerim Philotheæ,

lothææ, ducere choreas eſſe actionem ex ſe indifferentem; quodque inter relaxandum animum admiſerim, poſſe adferri in medium dicta, quæ vocant in nonnullis Academijs quodlibetica. Et quidem quod me attinet, ſcio quales eſſe ſoleant huiuſmodi cenſuræ, laudo quidem eorum intentionem, quia puto fuiſſe bonam: veruntamen deſideràſſem (bona cum eorum gratia) conſideràſſe primam propoſitionem ſumptam eſſe ex communi & vera doctrina ſaniorum & doctiorum Theologorum; eamque me ſcripſiſſe pro hominibus, qui viuunt inter Aulicos, alioſque mundi filios; meminiſſe etiam debuiſſe, me inde diſcedentem ſolicitè inculcâſſe periculum, quod eſſe ſolet in choreis ducendis; quantùm autem ad ſecundam propoſitionem ſpectat de quodlibeticis, non eſt mea, ſed admirabilis Regis S. Ludouici ſententia; Doctoris digni, quem omnes in arte Aulicos ad VITAM DEVOTAM bene dirigentem ſequantur; exiſtimabam enim, quòd ſi id animaduerterent, futurum, vt charitas & diſcretio non ſineret gladium nimij zeli & indignationis contra me eximi.

Et hac ſuper re chare Lector, te coniuro, quò mihi ſis clemens & beneuolus in lectione huius Tractatûs. Quodſi deprehenderis ſtylum nonnihil diuerſum eſſe ab eo, quo ſcribendo ad Philothæam vſus ſum; vtrumque autem permagno diſcrimine differre ab eo, quem adhibui in defenſione S. Crucis: ſciendum eſt, quòd 19. annorum ſpacio multa diſcuntur, & viciſsim multa obliuioni traduntur; quòd & ſermo in militia alius ſit, alius in pace; inſuper quòd alius modus ſit loquendi tironibus, alius ſocijs veteranis.

Hîc eo vtor ſermone, quem conuenire puto animabus, quæ in pietate progreſſum aliquem fecerunt: quarum hac in ciuitate eſt congregatio ſeu Sodalitas conſtans pijs puellis & viduis, quæ à mundi turbis ſe recipientes communiter viuunt in ſeruitio DEI, ſub protectione ſanctiſsimæ eius Matris. Et quemadmodum earum puritas ac pietas mentis ſæpe magnis conſolationibus me perfudit, ita viciſsim conatus ſum frequenter diſpertire illis, tum per ſermones publicos, tum per ſpiritualia colloquia verbum diuinum; præſentibus ſemper viris Religioſis compluribus, & magno numero alijs deuotis hominibus: vnde ſæpius mihi agendum fuit de rebus tenerioris pietatis progrediens vltra ea, quibus contendi imbuere Philothæam. Et iſta maiori ex parte ſunt, quæ

nunc

nunc communico lectiſsimæ iſti Congregationi, ſiquidem Mater eius & Moderatrix ſciens me de hoc ſcribere,& perquam difficulter poſſe nunc opus hoc in lucem dare, niſi à DEO ſingulariter adiuuarer, & à continuo meorum laborum onere ſubleuarer, ſingularem curam & ſtudium adhibuit, vt & ipſa aſſiduè oraret,& orari eum in finem faceret; quin & me ſanctè coniurauit, vt omnia temporis ac otij mei momenta, quæ hinc inde eripi poterant alijs meis occupationibus, applicarentur huic rei; quare teſtimonium mihi perhibente meâ conſcientiâ; credo piæ huius matronæ precibus mihi à DEO impetratum quòd tractatum hunc amoris ſacri huc vſque deduxerim. Quamuis enim à longo tempore de eo ſcribere animo decreuiſſem; decretum tamen iſtud haud poterat comparari ei, quo inductus ſum eâ occaſione ad producenda in lucem, quæ produxi. Quam occaſionem, amande Lector, ingenuè & fideliter (ad imitationem veterum) manifeſto, vt intelligas me non niſi per occaſionem & fortuitò ſcribere, quæ ſcribo; quod me ſperare facit, te mihi futurum gratioſum & fauorabilem lectorem. Dicebatur inter Ethnicos à Phidia nihil vnquam perfectiùs repræſentari, quàm DIVINITATES; ab Appelle autem, quàm Alexandrum. Non ſuccedit ſemper res æqualiter. Si breuis ſum in hoc Tractatu, chare Lector, fac porrò vt tua bonitas progrediatur in ſpiritu, & DEUS in tua te lectione benedictione proſequetur.

Hac intentione opus hoc dedicaui MATRI DILECTIONIS,& PATRI AMORIS CORDIALIS: vti dedicaueram Introductionem DIUINO INFANTI, qui eſt Saluator animarum, & amor Saluatorum. Certè ſicut fœminæ, dum ſunt fortes & habiles ad facilè pariendas proles, ijs natis, ordinariè eligunt patrinos inter amicos, quos habent in hoc mundo; verùm quando debilitas & aduerſa valetudo, earum partus efficit difficiliores & periculoſiores, inuocant cælorum Incolas,& vouent futurum, vt pauperes accipiant pro patrinis,vel perſonam aliquam deuotam S. Joſepho, S. Franciſco de Aſſiſio, S. Franciſco de Paula, S. Nicolao; aut alicui alteri è cœtu Beatorum (inter quos S. Ignatius Societatis JESU Fundator non eſt poſtremus, qui hactenus, & etiam nunc in dies innumera eo in genere inuocatus patrauit, & patrat miracula) qui valeat obtinere à DEO felicis partûs ſucceſſum, & proli vitalem ortum; ita ego antequam eſſem Epiſcopus, quando maiori abundabam otio,& minùs apprehende-

bam ſcriptionem, opuſcula mea dedicabam terræ Principibus; at nunc preſſus ac pene ſuccumbens ſub onere, mille habens difficultates in ſcriptione, nihil ampliùs vlli conſecro, niſi Principibus cæleſtibus, vt mihi requiſitum lumen dent, vel impetrent; & ſi talis eſt DEI voluntas, hæc mea ſcripta quam plurimis fructuoſam & vtilem conferant natiuitatem. Et his, mi lector, DEUS tibi benedicat, teque diuino ſuo amore ditet abundanter. Interim nunc & ſemper ſubmitto ex toto corde ſcripta mea, verba mea, & actiones meas correctioni & auctoritati Sanctiſſimæ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, ſciens illam eſſe COLUMNAM ET FIRMAMENTUM VERITATIS; vnde nec fallere nec falli poteſt, neque vllum mortalium poſſe DEUM habere Patrem, qui Eccleſiam non habuerit Matrem Anneſſij die Sanctiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli 1616.

Sit DEUS benedictus.

Digitized by Google

TRACTATVS
De
AMORE DEI,
LIBER PRIMVS.
Complectens apparatum totius tractatûs.

Quòd ob pulchritudinem humanæ naturæ, DEVS omnes animæ facultates vnius voluntatis imperio ſubiecerit.

CAPVT I.

VNio ritè fundata in exacta rerum diſtinctione facit ordinē; ordo conuenientiā, & proportionē; hæ autē in rebus ſua integritate & perfectione conſtātibus eximiam pariunt pulchritudinem: tunc enim PVLCHRVM dicimus eſſe exercitum, quando omnibus ſuis, ita loco & ordine diſpoſitis, conſtat partibus, vt earum diſtinctione, relatâ ad reſpectum, quem inter ſe habere debent, nihil officiatur vnitati exercitûs, imò verò ea perficiatur.

Digitized by Google

Vt, muſica quæcunq; ſit pulchra, & aures demulceat, non ſolùm requiritur, vt voces ſint puræ, claræ, & diſtinctæ, ſed etiam eo inter ſe modo ſint colligatæ, vt, interueniente vnione in ipſa diſtinctione; & viciſſim diſtinctione in vnione, faciant juſtum concentum, & conſonam harmoniam: quæ non abſque cauſa DISCORS CONCORDIA, vel potius DISCORDIA CONCORS conſueuit nuncupari.

At, vt præclarè Angelicus Doctor, ſecutus S. Dionyſium, dixit, notandum eſt pulchritudinem & bonitatem (eſto inter ſe aliquam habeant cognationem) non eſſe rem eandem. Nam BONVM placet appetitui & voluntati; PVLCHRVM autem intellectui & cognitioni: vel vt melius dicam, BONVM eſt, cuius fruitione delectamur; PVLCHRVM verò id, cuius notitiâ bene afficimur. Inde eſt, propriè loquendo, quòd non niſi obiectis duorum ſenſuum, qui cæteris cognitionis ſunt capaciores, & intellectui magis deſeruiunt, pulchritudinem corporalem attribuamus. Sunt autem ij duo ſenſus viſus & auditus. Hinc fit, vt non dicamus, en pulchri odores, en pulchri ſapores; dicamus autem rectè: en pulchræ voces, en pulchri colores.

PVLCHRVM ergo, ſic nuncupatum, quia ſuâ cognitione delectat, vltra vnionem, diſtinctionem, integritatem, ordinem & proportionem ſuarum inter ſe partium, vt cognoſcatur & videatur, multum ſplendoris & claritatis habeat oportet. Voces enim, vt pulchritudinis nomen mereantur, puræ & ſonoræ eſſe debent; diſcurſus item, ſeu ſermocinationes ita prolatas eſſe conuenit, vt facile intelligantur; colores eodem modo conuenit eſſe venuſtos & ſplendidos: obſcuritas enim, vmbra, & tenebræ deformes cùm ſint, rebus omnibus deformitatem inducunt, eò quòd in ijs, neque ordo, neque diſtinctio, neque vnio, neque conuenientia, neque demum quidquam aliud cognoſci poſſit. Quod induxit S. Dionyſium, vt diceret *Deum, vt ſupremam pulchritudinem, eſſe auctorem omnis eximiæ proportionis, ſplendoris & decoris, qui in omnia quæ ſunt, extendit ſuam bonitatem, & illuminat omnia quæ participare poſſunt eius lumen, ſupermittens in ea totius bonitatis radios, per quos omnia ſunt pulchra, lucida & eximia pulchritudinis lepore exornata.* (Cap. 4. de diuinis nominibus.)

Equidem, Theotime, pulchritudo omni caret effectu, & eſt inutilis, penituſque mortua, niſi claritudo, & ſplendor ei vitam & capacitatem tribuat. Tunc enim, & non aliàs, enuntiamus colores viuos, quando plu-

do plurimum fulgoris, & ſplendoris ex ſe in oculos intuentium immittunt.

Verùm quod ad ea, quæ vitâ prædita ſunt, ſpectat, eorum pulchritudo minimè cenſetur completa antequam ſingularis quædam, velut extrema manus operi admota, acceſſerit gratia: quæ vltra proportionem inter ſe partium (quâ pulchritudo illa efficitur) adiungat decentiam motuum, geſtuum, & actionum. Quæ decentia eſt inſtar animæ & vitæ pulchritudinis rerum vitâ gaudentium. Ita in excellentiſſima & increata Dei pulchritudine recognoſcimus vnionem, imò verò & vnitatem eſſentiæ in diſtinctione perſonarum infinita cum claritate, iunctâ incomprehenſibili conuenientiâ omnium perfectionum, quæ deprehenduntur in actionibus & motibus pereximiè comprehenſis, & vt ita dicam, iunctis, & excellentiſsimè aptatis in vnione, & ſimpliciſſima perfectione puri actûs diuini, qui eſt ipſe Deus, immobilis & inuariabilis, vt alibi dicemus.

Deus ergo volens rebus totius vniuerſi indere eximiam bonitatem, eaſdemq; inſignire ſingulari pulchritudine, diſtinctionem, multitudinem & varietatem earum reduxit ad perfectam vnitatem, & ad vnam quaſi monarchiam redegit, efficiendo, vt, pacto inter ſe velut quodam fœdere, & amicitiâ, ſingulis ſingulæ ſibi inuicem inniterentur; omnes autem ipſi vni Deo tanquam ſupremo Monarchæ: omnia ſiquidem membra reduxit in vnum corpus ſub vno capite. Ex pluribus perſonis vnam conſtituit familiam; ex pluribus familijs vnam ciuitatem; ex pluribus ciuitatibus vnam prouinciam; ex pluribus denique prouincijs regnum vnum integrum, quod vni deinde ſubijcit Regi. Atque ita, Theotime, per innumerabilem multitudinem varietatemque actionum, motuum, ſenſuum, propenſionum, habitudinum, paſſionum, facultatum, & potentiarum, quæ reperiuntur in homine, Deus naturalem monarchiam inſtituit in voluntate, quæ dominatur & imperat omnibus, quæ in iſto paruo mundo, qui eſt homo, reperiuntur. Vnde non immeritò videtur Devs dicere voluntati, quod olim Pharao dixit Joſepho: *Tu eris ſuper Domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* At dominatio iſta voluntatis longè differentibus inter ſe modis exercetur. Gen. 41 v. 40. & 44.

 Quomo-

Quomodo voluntas diuerſimodè regat animæ potentias.

Capvt II.

PAterfamilias ſuam coniugem, ſuam prolem & famulos, præſcriptis ordinationibus, & regulis, quibus tenentur obligati ad ſibi obtemperandum (quamuis ſecus facere poſſent) gubernat. Et mancipia quidem, ſi quæ habet, vi ad officium, cui contradicere nefas eſt, cogit: verùm equos, boues, mulos, &c. frœnum inijciendo, alligando, ſtimulando, includendo, emittendo, adhibitâ tractat induſtriâ.

A voluntate gubernari facultatem noſtri motûs exterioris velut mancipium quoddam illud eſt argumento, quòd nunquam detrectet imperium, niſi ab extrinſeco aliquod obijciatur impedimentum: claudimus enim & reſeramus os, mouemus linguam, manus, pedes, oculos, & omnes eas partes, in quibus potentia iſtius motûs reperitur, abſque vllo reniſu prout nobis libuerit.

At noſtros ſenſus, & facultatem, quâ nutrimur, quâ augemur & producimur, non eadem facilitate regimus, ſed arte & induſtria opus eſt. Si ad nos vocamus mancipium, venit, ſi ſubſiſtere mandamus, ſubſiſtit. Obedientiæ huic longè diſsimilis eſt obedientia Accipitris, ſeu Falconis, cui, ſi velis vt ad reuocantem reuolet, lepus monſtrandus; ſi vt ſtet quietus, capitium ei inijciendum eſt: ſi dicatur ſeruo ab eo, qui habet ei imperandi poteſtatem, verte te ad dextram, vel ad ſiniſtram, ſtatim ſe vertit: at vt idem præſtet equus, habenâ opus eſt. Non oportet, ô Theotime, mandare oculis ne videant, auribus ne audiant, manibus ne tangant, ſtomacho ne iniectum cibum digerat: aut corpori ne augmenta capiat, aut ne generet. Omnes enim iſtæ facultates cùm intellectu careant, nullius obedientiæ poſſunt eſſe capaces: nec vllus poteſt vel cubitum vnum ſtaturæ ſuæ adijcere. Rachel ſummè deſiderabat, ſed nequibat, concipere; & nos ſæpe comedimus, nec tamen nutrimur, nec augmentum vllum capimus. Quare quicunq; potentias iſtas, & facultates regere deſiderat, induſtriam adhibeat oportet. Medici volentes curare infantem adhuc in cunis jacentem, & morbo quopiam laborantem, ei nihil imperant ſumendum; at verò nutrici præſcribunt, vt hoc,

vel

Digitized by Google

vel illud ei præparet: quin & ſubinde talem & talem cibum eam ſumere iubent; & quandoq; etiam pharmacum,cuius virtus in lac ſeſe diffundat, & viciſsim lac in ægri infantis corpus: quo fit vt à morbo recreetur. Et hoc obtento,medicorum voluntas in ſanando illo puſione (qui ne cogitare quidem poteſt,quid circa ſe agatur) ſuum plenè conſequitur effectum. Stomacho, gutturi, ventri non ſunt præſcribendæ regulæ ſobrietatis, abſtinentiæ, & continentiæ; verùm manibus dandum eſt mandatum,vt non niſi in tali & tali menſura ori cibum & potum porrigant; facultati item productiuæ tribuenda vel ſubſtrahenda ſunt obiecta, ſubiecta,& alimenta,quibus roboratur,prout recta ratio poſtulat: diuertendi quoque aliò ſunt oculi, aut hîc & nunc ſuo naturali velo operiendi,ſi nolis eos tale obiectum intueri. His artificijs reducuntur ad eam moderationem, quam voluntas ab ijs expoſcit. Atque hoc eſt ô Theotime, quod mundi Saluator docet, quando dicit eſſe Eunuchos, *qui ſe ipſos caſtrârunt propter regnum DEI, ſeipſos*, inquit, quia tales non ex naturali impotentia ſunt eunuchi, ſed ex inſtituto, & amore cœleſtis patriæ, quo eorum voluntas vtitur ad illos intra ſanctæ continentiæ limites cõſeruandos. Stultè & fruſtrà præcipies equo ne ſe impinguet, ne creſcat, ne recalcitret: ſi hæc ab eò vis obtinere, ei paulatim ſubtrahito pabulum; eum duriter tractato,& exercitato: imperio enim, cùm eius ſit incapax, ſi premere voles,operam perdes. Sed & voluntas in intellectum & memoriam ſuam exercet poteſtatem; ex pluribus enim obiectis, quibus intellectus ſeipſum poteſt applicare, aut quorum memoria poteſt recordari, voluntas determinat, tum hanc, tum illam facultatem, vt proſequantur hoc,illud fugiant obiectum. Verùm quidem eſt, quòd non ita abſolutum in eas potentias animæ habeat imperiũ, quàm habet in manus, in pedes, vel linguam; & hoc propter facultates ſenſitiuas, & nominatim phantaſiam, quæ promptè & certò non obtemperant voluntati: quibus tamen potentijs ſenſitiuis, vt intellectus & memoria operentur, indigent quàm maximè. Nihilominus tamen eas mouet,inducit & applicat voluntas pro ſuo libitu,non ita tamen firmiter & conſtanter, quin phantaſia,varia ſemper & mutabilis, eas ſæpe ſæpius aliò diuertat & diſtrahat. Vnde ſcribit Apoſtolus: *Non quod volo bo-* Rom. 7
num,hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio; ita etiam nos frequenter cogimur, v. 15.

queri & lamentari non de eo, quod volumus & amamus bonum; ſed de eo, quod odio proſequimur malum.

Quomodo voluntas regat appetitum ſenſitiuum.

Capvt III.

Volvntas igitur, Theotime, in memoriam, in intellectum & phantaſiam, dominium, non vi, ſed auctoritate ſibi vendicat; nec tamen ita abſolutum, vt ſubinde non patiatur repulſam, vti & paterfamilias in obedientia, ſibi alioquin à filijs & ſeruis debita, patitur nonnunquam. Porrò idem dicendum eſt de appetitu ſenſuali, qui, inquit S. Auguſtinus, in nobis peccatoribus nominatur concupiſcentia, & manet ſubiectus voluntati, & rationi, non aliter, atque vxor marito. Quia quemadmodum dictum fuit mulieri: *Ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui*: ita fuit dictum ad Cain, quòd appetitus ipſius reuerſurus ſit ad ipſum, & ipſe dominaturus ſit illi. Quòd enim dicitur reuerti ad hominem, nihil aliud eſt, quàm quod ipſi homini ſe ſit ſubiecturus, ſi ipſe ſe ſubijciat Deo. *Sub te eſt, ô homo,* inquit S. Bernardus, *appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Poteſt inimicus excitare turbationis motus, ſed in te eſt, ſi volueris dare, ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi, vanitatis, aut impatientia cogitationes ingerit, aut libidinis motum, tu ſolummodo ne conſenſeris: & quotiens reſtiteris, totiens coronaberis.* Antequam is, qui eſt in electione, eligatur in Imperatorem, ſubiectus eſt electoribus, qui ei tunc dominantur, quia penes eos eſt illum ad dignitatem imperialem euehere, vel ab ea reijcere. At verò ſi eum elegerint & extulerint ad imperij gradum, ei continuò ſubditi fiunt, & incipit ijs dominari; pari modo antequam voluntas conſentiat appetitui, ei dominatur, verùm dato ei ſemel conſenſu, ipſa, quæ eius erat domina, fit ancilla & mancipium.

Lib. 14 de ciu: cap. 7. circa finem, item l. 15. ca. 7

Paucis, appetitus hic ſenſualis eſt verè per omnia rebellis, ſeditioſus, & factioſus Svbditvs. Fatendum eſt proinde non poſſe nos eum

ita

ita penitus conficere & proſternere, quin reſurgat, quin aduerſùm nos peſſima, quæ excogitare valet, moliatur, quin & rationem, legitimam ſuam heram ac dominam, quàm poteſt infenſiſſimis armis inuadat. Verùm voluntas tanto contra eum pollet robore, vt modò velit, poſſit eum in ordinem cogere, eius conatus refringere & repellere: quandoquidem aliud non eſt eos repellere, quàm eius ſuggeſtionibus conſenſum non præbere. Non eſt in hominis poteſtate concupiſcentiam impedire, quò minus concipiat; ſed ne pariat, & peccatum inducat, penes illum eſt.

Porrò concupiſcentia hæc, ſeu appetitus ſenſualis habet motus duodecim, per quos veluti per totidem ſeditioſos militum ductores, tumultus excitat in homine. Et quia ordinariè animam turbant, & corpus exagitant, ideò, quà in anima turbas cient, perturbationes; quà autem corpus inquietant, diuo Auguſtino auctore, paſſiones nuncupantur. Omnes illi motus vel bonum vel malum reſpiciunt, illud quidem vt acquirant; hoc autem vt euitent. Si bonum conſideretur in ſe ipſo, juxta naturalem ſuam bonitatem, excitat AMOREM, primam & præcipuam animi paſsionem; ſin autem vt abſens bonum conſideretur, ad ſui nos prouocat DESIDERIVM: Si affulgeat argumentum aliquod, illud quod deſideramus, conſequendi, concipimus SPEM. Sin autem de eius indeptione animus diffidat, labitur penitus in DESPERATIONEM. Verùm quando poſſidetur vt præſens, poſſidenti parit LÆTITIAM.

Contrà, ſimul atque malum cognoſcimus, illud deſerimus; ſi abſit, illud fugimus; ſi credimus nos illud effugere non poſſe, illud timemus: Si autem ſpem concipimus illud euitandi, AVDACIAM & ANIMOS aſſumimus. Verùm ſi vt præſens ſentimus, TRISTAMVR: & tunc ira & indignatio ſubitò adproperant, vt reijciant & repellant malum illud, vel minimùm de eo vindictam ſumant; ſi nequeamus illud ſuperare, afficimur TRISTITIÂ; ſin autem illud procul è finibus noſtris fugemus vel de eo nos vindicemus, continuò afficimur voluptate, & gratâ explemur ſatietate; quæ eſt GAVDIVM quoddam ſimile triumpho, natum ex victoria. Quemadmodum enim poſſeſſio boni lætificat cor, ita victoria contra malum parta explet animum ſingulari delectatione. Et in vniuerſam progeniem iſtarum paſſionum ſenſualium voluntas dominatur, earum ſuggeſtiones reijciens, conatus retundens, effectus impediens, & tan-

Digitized by Google

& tandem vt minimùm, fortiter recuſans conſenſum, quo denegato, nihil eæ poſſunt nocere; imò verò jacent deuictæ & proſtratæ, eneruatæ, elumbatæ, repreſſæ, & ſi non omnino mortuæ, certæ emortuæ, & egregiè mortificatæ.

Ideo autem ô Theotime, multitudo iſtarum paſſionum in noſtris animis relicta eſt, vt voluntates noſtras in omni virtutis & pugnæ ſpiritualis genere exercitemus. Et hinc clarum apparet, Stoicos, qui negabant dictas paſſiones reperiri in homine ſapiente, toto cælo erraſſe: & hoc eò clarius quò magis id, quod negabant verbis, ipſo effectu docebant. Eâ de re S. Auguſtinus gratioſam refert hiſtoriam. Sic autem refert: *ſcribit Aulus Gellius ſe nauigaſſe aliquando cum quodam philoſopho nobili Stoico, & nauigium, quo vehebantur, horribili cœlo & mari periculoſiſſimè iactatum fuiſſe, ac philoſophum illum vi timoris multùm expalluiſſe: idq; animaduerſum ab iis, qui aderant, quamuis in mortis vicinia curioſiſſimè attentis, vtrùmne philoſophus animo turbaretur; deinde tempeſtate tranſactâ, mox, vt ſecuritas prabuit colloquendi, vel etiam garriendi locum, quendam ex his, quos nauis illa portabat, diuitem, luxurioſum, Aſiaticum philoſophum illum compellaſſe ac illuſiſſe, quod extimuiſſet, atque expalluiſſet, cùm ipſe manſiſſet intrepidus in eo, quod impendebat exitio; at illum Ariſtippi Socratici reſponſum retuliſſe: qui cùm in re ſimili eadem verba ab homine ſimili audiſſet: reſpondit illum pro anima nequiſsimi nebulonis meritò non fuiſſe ſolicitum, ſe autem pro anima Ariſtippi timere debuiſſe.* Et gratia quidem hiſtoriæ in eo conſiſtit, quòd Aulus Gellius teſtis oculatus eam referat: nam quoad reſponſum Stoici in ea contentum, magis id commendat eius ingenij promptitudinē, quàm promoueat eiuſdem cauſæ defenſionem ac probationem. Siquidem allegans pro ſe ſocium, obnoxium timori ſimili ſuo, probauit, exemplo duorum teſtium, omni exceptione maiorum, Stoicos tangi timore, & quidem timore, cuius effectus in oculis, in vultu, in geſtibus, & in totius corporis habitu ſe manifeſtè prodebat: vnde ex antecedente conſequitur eum timorem veriſsimam fuiſſe paſsionem.

Lib. 9. de ciu. Dei.

Magna omnino ſtultitia eſt velle eſſe eâ ſapientiâ ſapientem, quæ nec eſt, nec fuit, nec etiam futura eſt: Certè Eccleſia, quæ veritatis eſt columna, dementiam iſtius ſapientiæ, quam olim quidam præſumptuoſi Anachoretæ volebant introducere contra omnem ſcripturam, præcipuè autem contra doctrinam Apoſtoli, clamantis, *nos habere legem in membris*

noſtris

noſtris contradicentem legi mentis noſtræ, condemnauit. *Apud nos Chriſtianos* inquit apex Theologorum S. Auguſtinus, *iuxta ſcripturas ſacras, & ſanam doctrinam, ciues ſanctæ ciuitatis Dei, in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viuentes, metuunt cupiuntq́, dolent gaudentq́.* Quin imò & ſupremus Rex ſacræ iſtius ciuitatis timuit, deſiderauit, doluit, gauiſus eſt, imò & fleuit, palluit, tremuit & ſanguinem ſudauit. Quanquam in eo motus iſti noſtris paſſionibus minimè ſimiles fuerint. Vnde eximius Eccleſiæ Doctor S. Hieronymus, & poſt illum ſchola, ob reuerentiam perſonæ, in qua erant, haudquaquam præſumpſerunt paſsionum nomine eos nuncupare, ſed alio religioſiore, PROPASSIONVM ſcilicet: ad profitendum quòd motus ſenſibiles in Chriſto, non paſsiones, ſed loco paſſionum fuerint. Nam ex earum parte vel occaſione nihil patiebatur, nec aduerſi quidquam ſuſtinebat, niſi quod animo ſedebat placebatq́; Eos enim motus in ſua habebat poteſtate, quos nos miſeri peccatores non habemus: qui eorum inordinationem magno cum præiudicio & detrimento boni ſtatûs & politiæ noſtrarum animarum, repugnante voluntate pati & ſuſtinere cogimur. Lib. 14. de ciu. Dei c. 9 in princip.

Quod amor dominetur in omnes affectiones & paſsiones, quin & ipſam voluntatem gubernet, eſto illa etiam in illum habeat dominium.

CAPVT IV.

Cùm Amor ſit prima & principalis affectio, & propenſio, & (ſignificantius) complacentia, quâ ferimur in bonũ, vti paulò pòſt dicemus, is certè præcedit DESIDERIVM & effectum: quid enim deſideratur, niſi quod & ametur? Præcedit DELECTATIONEM, quî enim gaudium percipi poſſet in fruitione alicuius rei, niſi res illa amaretur? idem præcedit SPEM, quia nihil ſperatur, niſi quod diligitur; præcedit etiam ODIVM quia non aliam ob cauſam odimus malum, quàm ob amorem, quo proſequimur bonum; Quin imò, malum non eſt malum, niſi quia contrarium eſt bono. Et idem eſt, Theotime, de omnibus

B alijs

aliјs paſsionibus vel affectionibus. Omnes enim profluunt ex amore, velut ex ſua ſcaturigine & radice.

Inde eſt quòd aliæ paſsiones & affectiones ſunt bonæ, vel malæ, vitioſæ, vel cum virtute coniunctæ, quà amor, ex quo illæ procedunt, eſt bonus, vel malus. Is enim, amor ſcilicet ita effundit ſuas qualitates in illas, vt aliud non videantur eſſe dictæ ſæpius paſsiones, quàm ipſemet amor. S. Auguſtinus reducens omnes paſſiones & affectiones ad quatuor (vti olim fecerunt, Cicero, Virgilius & potiſſima antiquitatis pars) *amor*, inquit, *inhians habere quod amat, vocatur cupiditas, vel deſiderium, habens autem quod amat, eoq; fruens*, LÆTITIA; *fugiens verò quòd ſibi aduerſatur, timor dicitur: idq; ſi acciderit, & ſenſerit*, TRISTITIA *eſt. Proinde malæ ſunt iſtæ paſsiones, ſi malus eſt amor; at bonæ, ſi bonus. Ciues ſanctæ Ciuitatis* DEI *metuunt cupiuntq;, dolent gaudentq;. Et quia rectus eſt amor eorum, omnes iſtas affectiones rectas habent.* Et libro nono c. 5. ſtatim in principio ſic ait: *non eſt nunc neceſſe copioſè & diligenter oſtendere quid de iſtis paſsionibus doceat ſcriptura diuina, quà Chriſtiana eruditio continetur.* DEO *quippe illam ipſam mentem ſubycit regendam, & iuuandam, mentiq; paſsiones ita moderandas atque frenandas, vt in vſum iuſtitiæ conuertantur. Recta voluntas eſt amor bonus, mala autem amor malus.* Et hoc eſt dicere vno verbo, Theotime, quòd amor taliter dominetur voluntati, vt eam talem reddat, qualis ipſe eſt.

Lib. 14. c. 7. & 9. de Ciuit. Dei

Fœmina communiter mutat ſuam conditionem & ſtatum in mariti ſui conditionem & ſtatum, & fit nobilis, ſi ille eſt; Regina, ſi is eſt Rex; Duciſſa ſi Dux: voluntas eodem modo ſuam mutat qualitatem qualitate amoris, cui, velut ſponſa, nubit; ſi hic carnalis eſt, illa quoque carnalis efficitur, ſi ſpiritualis, hæc ſimiliter euadit in ſpiritualem. Sed & omnes affectiones, deſiderij, lætitiæ, deſperationis, timoris, triſtitiæ, vti proles prognatæ ex matrimonio amoris contracto cum voluntate, naturali quadam conſecutione ſuas qualitates hauriunt ex amore. Breuiter, Theotime, voluntas ab alio non mouetur, quàm à ſuis affectionibus: inter quas amor, vt primum mobile, & prima affectionum, quæ omnes alias commouet & in anima producit omnes alios motus.

Nec tamen rectè inferes ex dictis, à voluntate non regi amorem, quia voluntas non amat, niſi volens amare, & ex pluribus amoribus, qui ei obijciuntur & repræſentantur, poteſt ſe ei, cui voluerit applicare: alio-

alioquin nullus omnino eſſet amor vel prohibitus, vel præceptus Exercet ergo Imperium in omnes amores, vti Nobilis & nubilis puella in ſuos procos & amatores: ex quibus vnumquempiam pro libitu ſibi poteſt aſſumere. At quemadmodum illa, poſtquam vnum ex ijs aliquem aſſumpſit, matrimonij vinculis ei ſe iungens, propriæ libertatis jacturam facit, mariti ſubijcitur poteſtati, manens velut captiua eius, quem ſibi elegit; ita voluntas, quæ iuxta ſuum lubitum, ex omnibus amoribus elegit vnum aliquem, & complexa eſt, eius lege debet viuere. Et ſicut mulier eſt ligata lege viri, quem ſibi delegit, dum viuit ille, ſi autem obierit, libertatem acquiſiuit nubendi alteri, cui voluerit; ita dum amorum aliquis viuit in voluntate, in eadem regnat, & illa ei ſubiecta cogitur ad nutum eius viuere. Quod ſi amor iſte, qui ſe habet inſtar viri, eſſe deſierit, liberum ei erit adhærere alteri. Verumenimverò vna ineſt voluntati libertas, quæ non reperitur in muliere marito iuncta, ea eſt, quòd voluntas poteſt reijcere amorem, quem complexa fuerat, quando libuerit, applicando ſcilicet intellectum ad motiua aliqua, quæ ſibi faciant nauſeam & faſtidium, aduersùm illum amorem: vnde ſtatuat mutare obiectum. Ita enim agimus nos, dum viuum, ac vegetum in animas noſtras inducimus amorem diuinum, vt mortificemus proprium; quem etſi nequeamus omnino exinanire & in nihilum redigere, minimùm tamen eum poſſumus debilitare, & conſequi, vt, ſi adhuc in nobis viuat, certè non regnet. Sicut è contrario poſſumus ſacrum amorem mutare in prophanum, & humanum, eique adhærere. Quod aliud non eſt, quàm infame committere adulterium, quod Cæleſtis ſponſus toties exprobrat peccatoribus.

De affectionibus Voluntatis.

CAPVT V.

Non pauciores motus in appetitu intellectuali, ſeu rationali (qui ſimpliciter voluntas indigitatur.) quàm in appetitu ſenſuali inueniuntur. Illa tamen reperitur differentia, quòd illius motus ordinariè affectiones, hi autem paſſiones denominentur. Philoſophi antiqui ſicut & alij Gentiles, aliquo modo Deum, ſuas Reſpublicas,

cas, virtutes & ſcientias amârunt; vitia oderunt, honores ſperârunt; mortem autem, & calumniam poſſe ſe euitare deſperârunt; ſcire deſiderârunt; quin imò & poſt mortem, Beatitudinis ſpem aliquam conceperunt; ſed & animos ſumpſerunt ad ſuperandas difficultates, quæ ſe objiciunt in proſecutione virtutis; calumniam etiam timuerunt; lapſus complures fugerunt, publicas iniurias vindicârunt: Tyrannos auerſati ſunt: & hoc abſque vlla ſpe proprij emolumenti. Porrò omnes iſti motus reſidebant in parte rationali, ſiquidem neque ſenſus, neq; (quod ex eo efficitur) appetitus ſenſuales ſunt capaces, qui jungantur talibus obiectis. Proinde motus iſti, quos recenſuimus, erant affectiones appetitus intellectualis, ſeu, quod idem eſt, rationalis; non verò paſſiones ſenſualis appetitûs.

Quoties habemus paſſiones in appetitu ſenſuali, ſeu concupiſcibili contrarias affectionibus, quas eodem temporis momento ſentimus in appetitu rationabili, ſeu in voluntate? Iuuenis ille, de quo loquitur S. Hieronymus in vita Paulini, qui abſciſſam ſibi ipſi dentibus linguam expuit in faciem ſceleratæ ac impuræ fœminæ, quæ eum ad libidinem inflammabat, nónne facto ipſo teſtatus eſt ſe maximam in voluntate habuiſſe affectionem diſplicentiæ, contrariam paſſioni complacentiæ, & fœdæ voluptatis, & quòd vi adhibitâ cogeretur ſentire inordinatos cupiditatis affectus, nec non appetitum ſenſualem? Quoties inter media pericula, ad quæ appetitus rationabilis, ſiue voluntas rationabiliter nos inducit, in ijſque conſtitutos voluntariè perſeuerare facit, maximo timore concutimur? Quoties odio proſequimur voluptates, & bonum ſpirituale amamus, dum interim, appetitus ſenſualis ſummè illas amat, bonum autem quod amamus nos, ille extremè odit? In quo vno conſiſtit bellum, quod quotidiè ſentimus & experimur inter Spiritum & carnem, inter hominem exteriorem (qui dependet à ſenſibus) & hominem interiorem, qui innititur rationi; inter Veterem Adamum, qui ſequitur appetitum ſuæ Euæ, ſeu cupiditatis, & Novum, qui obſecundat ſapientiæ Cæleſti, & rectæ rationi? Stoici, vt refert S. Auguſtinus, negantes hominem ſapientem poſſe habere paſſiones, tamen, vt videri poteſt apud eundem S. Auguſtinum, admittunt affectiones, quas vocant εὐπαθείας, & bonas paſſiones; vel, vt Cicero, Constantias. Dicebant enim ſapientem non concupiſcere ſed velle; non habere neſcio quod

lib. 14. c. 8. de Ciuit.

inane

inane gaudium, ſed ſolidum; non timere, ſed præuidere & præcauere. Quid multis? eum non moueri niſi ratione, & rationis dictamine.

Ideo pertinaciter negabant hominem ſapientem poſſe vnquam aliquâ affici triſtitiâ, eò quòd non niſi malum, quod jam euênit illa reſpiciat: illud autem malum, vt volunt, eum non attingit, quia juxta illorum axioma *nemo læditur, niſi à ſeipſo.* Nec certè, Theotime, culpandi ſunt, dum εὐπαθείας, ſeu bonas affectiones admittunt in parte rationali hominis, ſed dum negant eſſe paſſiones in parte ſenſitiua, & hominis ſapientis cor & animum non tangi illâ triſtitiâ, toto errant Cœlo. Nam, ſilendo, quòd illi ipſi turbantur, vt vidimus, fieriné poteſt, vt ſapientia nos priuet miſericordiâ, quæ eſt triſtitia perquam honeſta, & cum virtute apprimè coniuncta, quæ noſtros mouet animos, vt patientem proximum leuemus dolore? EPICTETVS, totius Paganiſmi VIR OPTIMVS, errorem hunc Stoicorum, dicentium paſſiones in hominem ſapientem non cadere, minimè ſecutus eſt, teſte S. Auguſtino. Qui dicit *Stoicos & Peripateticos, dum diſputant, vtrùm paſſiones animi accidant ſapienti, an ab ijs prorſus ſit liber & alienus, de verbis potius, quàm de rebus facere controuerſiam.* Lib. 4. c. 4. & 5. de Ciuit.

Porrò hæ affectiones, quas in parte rationali ſentimus, magis, aut minùs ſunt nobiles, & ſpirituales, juxta quòd obiecta, circa quæ verſantur, magis aut minùs ſunt ſublimia, vel humilia, locumq; in eadem parte rationali obtinent excellentiorem. Nam in nobis reperiuntur aliquæ affectiones, quæ proueniunt ex ratiocinationibus, quas formamus experientiâ ſenſuum; aliæ, quæ eliciuntur ex diſcurſibus humanarum ſcientiarum; reperiuntur & aliæ, quæ profluunt ex argumentationibus habitis circa res fidei; & tandem etiam inueniuntur, quæ trahunt ſuam originem ex nudo ac ſimplici ſenſu, & quaſi renunciatione vlterioris indagationis: dum anima acquieſcit ſimplici veritati, DEIq; voluntati. Primæ nuncupantur affectiones naturales: quis enim eſt, qui naturaliter non deſideret frui ſanitate, habere vnde honeſtè veſtiatur, commodè nutriatur, & nanciſcatur homines, quibuſcum ſuauiter ac iucundè conuerſetur? Secundæ indigitatæ ſunt RATIONALES: Eò quòd totæ quantæ innitantur Spirituali cognitioni rationis: per quam noſtra voluntas excitatur ad inueſtigandam cordis tranquillitatem, mo-

rales virtutes, verum honorem, & Philoſophicam contemplationem rerum æternarum. AFFECTIONES tertij ordinis vocantur CHRISTIANÆ, ex eo quòd natæ ſint ex diſcurſibus factis de doctrina Chriſti Domini, qui inducit nos ad voluntariam paupertatem, ad perfectam caſtitatem atque gloriam cæleſtem.

Affectiones autem ſupremi gradûs dicuntur, & ſunt, diuinæ ac ſupernaturales, quia ipſemet DEUS eas infundit in noſtras animas, & purè eum reſpiciunt, excluſâ cuiuſcunque diſcurſûs, & cuiuſcunque luminis naturalis permixtione, quod facilè concipi, & intelligi poteſt; & id indicabunt, quas poſtea adferemus, inſignes animi tranquillitates, & eximij ſenſus, quibus anima, mirum dictu, quantopere liqueſcat, & *exultet in DEO ſalutari ſuo.* Harum autem affectionum ſupernaturalium tria ſunt genera: prima & præcipua earum, eſt amor mentis aduerſus excellentias pulchritudinis myſteriorum Fidei; ſecunda amor aduerſus vtilitatem bonorum nobis promiſſorum in altera vita; tertia demum eſt amor erga ſupremam bonitatem, ſanctiſſimamq́;, ac ſempiternam diuinitatem.

Quomodo DEI Amor reliquis amoribus dominetur.

CAPVT VI.

VOLVNTAS quidem jure ſuo cæteras omnes animæ humanæ gubernat facultates, ipſa autem à ſuo amore gubernatur, à quo & efficitur talis, qualis ille eſt. At inter omnes amores, DEI amor gerit ſceptra, & tantâ pollet imperandi auctoritate, (quippe quæ inſeparabiliter ſit vnita propriæ ſuæ naturæ.) vt niſi abſolutè & independenter ab alijs imperet, eſſe deſinat, & omnino pereat.

Iſmaël non fuit hæres cum fratre ſuo Iſaac iuniore ſe; Eſau deſtinatus fuit ad ſeruiendum fratri ſuo ſecundò genito; Joſeph adoratus fuit non ſolùm à fratribus ſuis, ſed etiam à Patre, quin & à Matre, in perſona Beniamin, prout ipſi Joſepho in ſomnis iuueni oſtenſum fuerat. Haud profectò abſque Myſterio, quòd poſterius geniti fratres, primogenitis tollant prærogatiuas, quæ aliàs lege ordinariâ illis debebantur.

Amor

Digitized by Google

Amor Diuinus, nemine contradicente, eſt vltimò genitus inter omnes affectiones cordis humani, quia, vt dicit Apoſtolus, *quod animale eſt, prius eſt, Spirituale autem poſterius.* Verùm, eſto, ſit poſterior, totam tamen acquirit auctoritatem, & amor proprius velut quid animale, vt alter Eſau, fratris minoris addicitur ſeruitijs, nec ſolùm cæteri animæ motus, vt fratres eum adorant & poteſtati eius ſubijciuntur, ſed etiam intellectus & Voluntas, quæ Patris & Matris agunt partes. Quid multis? omnia ſubiecta ſunt cæleſti huic amori, qui aut Rex, aut nihil, vult eſſe.

Iſaac, Iacob, Ioſeph, fuerunt filij ſupernaturales, earum enim matres, Sara, Rebecca, & Rachel per naturam ſteriles, per gratiam diuinæ bonitatis eos conceperunt, ac pepererunt: vnde ſic fratrum ſuorum Domini fuerunt conſtituti. Ita & Sacer hic amor eſt filius miraculoſus; voluntas ſiquidem humana nequit eum concipere, niſi Spiritus Sanctus illum infundat in corda noſtra: vnde, vt ſupernaturalis, præeſt, & dominatur omnibus affectionibus, includendo etiam ipſum intellectum & voluntatem.

Quamuis autem in anima incluſi reperiantur etiam alij motus ſupernaturales, vt timor, pietas, fortitudo, ſpes; (Sicut & Eſau, atq; Beniamin fuêre filij ſupernaturales, Rebeccæ & Rachelis) amor tamen diuinus ibi eſt Dominus, hæres, & ſuperior, & velut filius promiſſionis: in eius ſiquidem fauorem homini promiſſum eſt Cælum. Salus quidem oſtenſa eſt fidei, & præparata ſpei; ſed vni ſoli charitati attribuitur: Fides demonſtrat iter ad Terram Promissionis, vti columna nubis, & ignis, id eſt, obſcuro-clarum: ſpes autem, Mannâ ſuauitatis nos ſuſtentat: at verò charitas in eam nos introducit, vt Arca fœderis, (quæ facit tranſitum ad, vel per Iordanem, id eſt, ad iudicium,) quæ & in medio populi, in terra cæleſti, veris Iſraëlitis promiſſa, manſura eſt; in qua neq; columna fidei pro duce, neque manna ſpei pro ſuſtentatione amplius deſeruiet.

Sanctus amor commoratur in excelſiſſima ac ſublimiſſima animæ regione, in qua ſua ſacrificia, & holocauſta offert diuinitati; ſicut & Abraham eidem obtulit ſua; & Chriſtus in ſupercilio montis Caluariæ ſe ipſum immolauit, vt ex tam excelſo loco à populo ſuo exaudiretur, obedientiaq; ſibi ab eodem populo præſtaretur, id eſt, ab omnibus animæ facultatibus, & affectionibus, quas omnes incomparabili ſuauitate regit.

Digitized by Google

regit. Amor enim nullos inuitos cogit, nullos ad triremes damnat; neq; in mancipiorum ordinem & conditionem vllos redigit: ſed ad ſuam obedientiam fortitudine & violentiâ adeò delicioſâ attrahit, vt quemadmodum nihil eſt fortius amore, ita nihil amabilius ſit eius fortitudine.

Virtutes ſunt in anima, vt motus illius moderetur; charitas autem, princeps omnium, omnes regit & temperat; non ſolùm quia prima in quacunque rerum ſpecie, omnibus alijs eſt regula & menſura, ſed etiam quia, cùm Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creârit, vult in eo, vt in ſe, omnia per amorem, & propter amorem ordinata eſſe.

Deſcriptio Amoris in Genere.

Capvt VII.

VOLVNTAS tantam conuenientiam, & inclinationem habet ad bonum, vt quàm primùm illud adeſſe conſpicit, ad illud ſe vertere, & ei ſe iungere, ad capiendam ex eò delectationem, tanquam ex obiecto ſibi gratiſſimo geſtiat: ita autem arctè ſe iungit bono, vt ne declarari quidem aliter poſſit eius natura, quàm per reſpectum, quem habet ad illud; nec viciſſim poteſt meliùs demonſtrari natura boni, quàm per quandam velut confœderationem, quam habere deprehenditur cum voluntate. Nam, amabò te, ô Theotime, quid eſt bonum, niſi id quod quiſque vult? & pariter, quid voluntas eſt, niſi facultas, quæ trahit & tendere facit ad bonum, aut verum, aut apparens?

Voluntas igitur aduertens & ſentiens adeſſe bonum, interuentu, & miniſterio intellectûs, qui illud repræſentat, eodem temporis momento, in eius occurſu & congreſſu ſubitam delectationem, & complacentiam incomparabilem perſentiſcit; à qua & mouetur & inducitur ſuauiter quidem, ſed potenter, in obiectum illud amabile, vt ſe ei vniat; Vt autem ad eam vnionem perueniat, propellit dictum intellectum ad inueſtiganda & inuenienda media vnionis huic maximè propria.

Volun-

Digitized by Google

Voluntas itaque vehementiſsimam & arctiſsimam habet conuenientiam cum bono: hæc autem conuenientia producit complacentiã, quam voluntas percipit in ſenſu illius boni; complacentia verò mouet, & impellit voluntatem ad bonum; tum motus tendit ad vnionem; & tandem voluntas mota & inclinata ad illam vnionem, quærit conuenientia media pertingendi ad eam.

Et certè ſi loquamur generaliter, amor omnia iſta ſimul comprehendit, vt pulchra quæpiam arbor, cuius radix eſt conuenientia Voluntatis ad bonum; pes autem, eſt complacentia; & caulis eius, ſeu thyrſus, eſt ipſe motus; at inueſtigationes, proſecutiones, & alij huiuſmodi conatus, ſunt rami; vnio verò & fruitio, ſunt fructus. Atque ita amor videtur compoſitus ex quinque iſtis præcipuis partibus; ſub quibus non paruo numero ſunt aliæ partes contentæ, vt videbimus in progreſſu operis.

Conſideremus, obſecro, praxin amoris inſenſibilis, inter magnetem & ferrum; ea enim eſt vera imago amoris ſenſibilis & voluntarij, de quo nobis hic eſt ſermo. Ferrum ſiquidem talem habet propenſionem & velut affinitatem cum magnete, vt quàm primùm eius ſentit vim & virtutem ad eam ſe vertat, incipiatque ſe ſubitò mouere, & agitare, & quaſi exilire lætitiâ, in hoc teſtans quandam complacentiam, quam ex eius vicinitate perſentiſcit; vnde inſequens, vi internâ ſe promouet, transfertq; verſus dictum magnetem, inquirens omnem modum, & rationem ſibi poſſibilem, ſe illi vniendi. An non iſtæ ſunt partes & conatus viui & ſenſibilis amoris peraptè in rebus inanimis repræſentatæ?

Atque ita Theotime concludo, complacentiam & motum, illapſúmue voluntatis in rem amabilem, propriè loquendo, eſſe amorem; ita tamen, vt complacentia ſit primum principium illius, & motus, ſeu illapſus cordis, qui illam ſequitur, ſit verus & eſſentialis amor; ita vt tũ hic, tum ille poſſent non incommodè amor nominari, ſed diuerſimodè: Nam quemadmodum Aurora poteſt dies vocari, ita prima iſta Complacentia cordis in rem amatam, poteſt inſigniri nomine amoris; eò quòd ſit prior ſenſus amoris: Sed quemadmodum dies, propriè loquendo, accipitur à fine auroræ, vſque ad ſolis occaſum, ita vera amoris eſſentia conſiſtit in motu, & illapſu cordis (qui immediatè ſequitur complacentiam) & finitur in vnione.

Breuiter, complacentia eſt prima concuſsio, ſeu commotio, quam Bonvm facit in ipſa voluntate; hanc commotionem comitatur, ſeu potius conſequitur motus, & illapſus, per quem voluntas ſe promouet, & admouet ad rem amatam In quo conſiſtit verus amor. Dicamus ergo ſic: bonum equidem comprehendit, occupat & ligat cor per complacentiam; ſed illud ipſum amore trahit, ducit ac planè ad ſe inducit: per complacentiam autẽ facit vt fons foras prodeat, ſed per amorẽ, vt iter arripiat, illudque pergendo conficiat: complacentia eſt velut cordis excitatorium, amor autem actio; Complacentia vt ſe ſtrato erigat, efficit; amor autem vt ambulet. Cor, complacentiâ agente, ſuas extendit alas, ſed amor eius efficit volatum. Amor igitur, loquendo diſtinctè & præciſè, aliud non eſt, quàm motus, quàm illapſus & acceleratio cordis ad bonum.

Viri complures tum doctrinâ, tum aliis animi donis inſignes, crediderunt amorem aliud non eſſe, quàm ipſam complacentiam. Qua in opinione non defuerunt ſpecioſa veritatis argumenta: quia non ſolùm motus amoris ſuam deſumit originem ex complacentia, quam ſentit ad primum occurſum boni, & pertingit ad ſecundam quandam complacentiam, quæ aduenit cordi, adueniente vnione rei amatæ; ſed vltra hoc, quòd conſeruetur in ſuo eſſe, acceptum refert complacentiæ, ſine qua non poteſt viuere: ea ſiquidem eſt eius Mater & nutrix; ita vt ſimulatque ceſſat complacentia, ceſſet & ipſe amor. Et quemadmodum apis naſcens in melle, melle nutritur, & eius volatûs cauſa ſolùm eſt mel; ita amor ex ſola complacentia naſcitur, exque eadem ſe ſuſtentat, & ad eandem greſſum accelerat. Inditum rebus pondus, ſeu grauitas eaſdem concutit, mouet, & quieſcere facit: quid enim aliud lapidi motum imprimit, vt ſimulatque impedimenta fuerint remota; tendat deorſum, quàm grauitas? quid item continuat eius motum deorſum, & tandem facit ſubſiſtere, & quieſcere, quando ad ſuum pertigit centrum, quàm eadem grauitas? Ita complacentia eſt, quæ voluntatem concutit, & mouet, eademque illam facit conquieſcere in re amata, quando ritè illi eſt vnita. Cùm igitur hic motus amoris in ſuo ortu, conſeruatione, & perfectione hoc pacto dependeat à complacentiâ, ſitque conſtanter & inſeparabiliter coniunctus cum illa, quid mirum eſt magna illa & ſublimia ingenia æſtimaſſe amorem & complacentiam eſſe

vnam

vnam eandemq; rem? quamuis in rei veritate, amor, cùm vera ſit paſſio animæ, non poſsit eſſe ſimplex complacentia, ſed ſit, oportet, motus, qui ex illa procedat.

Porrò, motus hic productus à complacentia durat vſque ad vnionem vel fruitionem. Et inde eſt, quòd, quando tendit in bonum præſens, nihil aliud agat, quàm cor impellat, premat, jungat, & applicet rei amatæ, quâ re hoc modo amatâ ſtatim fruitur, & tunc vocatur amor complacentiæ, eò quòd quàm primùm natus eſt ex prima complacentia, perficitur & terminatur à ſecunda, quam ex vnione præſentis ſui obiecti recipit. Verùm quando bonum, versùs quod cor ſe retulit, inclinauit, & mouit, remotum eſt, abſens, aut etiam adhuc futurum; vel quando vnio non poteſt adhuc omnibus ſuis partibus ita conſtare vt exigitur, tunc motus amoris, per quem cor tendit, accedit, & aſpirat ad abſens illud obiectum, propriè vocatur Desiderium. Deſiderium enim nihil eſt aliud, quàm appetitus, concupiſcentia, ſeu cupiditas rerum, quas non poſsidemus, & tamen habere prætendimus.

Sunt adhuc & alij quidem motus amoris, per quos deſideramus res, quas non expectamus, neque vllo modo habere intendimus, vt cum dicimus: O eſſem nunc in Paradiſo! vellem eſſe Rex; vtinam eſſem junior, vellem me nunquam peccaſſe, & ſimiles aliæ locutiones. Iſta ſunt quidem deſideria, ſed imperfecta, quæ, vt mihi videtur, propriè loquendo, melius vocantur Vota. Et re ipſa tales affectiones non exprimuntur vti deſideria: nam quando vera exprimimus deſideria, dicimus, deſidero, ſed quando efferimus imperfecta deſideria, dicimus, deſiderarem, vel vellem: bene quidem dicimus, deſiderarem eſſe iuuenis: ſed male, deſidero eſſe iuuenis, ſiquidem id poſsibile non eſt. Vnde vocari debet votũ; vel, vt loquuntur Scholaſtici, Velleitas. Quæ aliud non eſt, quàm principium deſiderij, quòd non continuatur, eò quod voluntas videns non poſſe ſe attingere illud obiectum, cum ſit impoſsibile, vel extremè difficile, cohibet motum, & conquieſcit in ſimplici affectione voti, nec aliud ſibi vult, quam ſi diceret, bonum hoc quod video, & quod ſperare non poſſum, eſt verè mihi gratum. Et quamuis non poſsim illud velle, neque rationi conformiter ſperare; tamen ſi poſſem id velle, vel deſiderare, vellem, & deſiderarem perlibenter.

Paucis,vota iſta, vel potius, vt cum Scholis loquamur, velleitates, aliud non ſunt, quàm perexiguus quidam amor, qui non incommodè denominari poteſt amor ſimplicis approbationis: eò quòd abſque vlla prætenſione tali voto potiundi, anima gratum habeat bonum, quod cognoſcit; & cùm re ipſa & effectu habere non poſsit, proteſtatur tamen, quòd id libenter deſideraret, quodque vtique ſit deſiderabile. Sed necdum tota quæſtio eſt exhauſta, Theotime,quia ſunt adhuc deſideria, & vota alia, iſtis, de quibus jam diximus, imperfectiora, ideo quòd eorum motus in effectum non poſsint reduci, non quia ſint impoſsibilia vel ſummè difficilia, ſed quòd in numerum & ſocietatem aliorum deſideriorum, & voluntatum magis efficacium venire nequeant. Vt quando infirmus v. g. diſcupit comedere fungos, aut pepones; quos, quamuis eos ad libitum habeat,non vult tamen comedere, timens ne morbus ex tali comeſtione inualeſcat. Quis enim non videt in hoc homine ægroto duo deſideria, vnum comedendi fungos; alterum ſanitatem recuperandi? Sed quia conualeſcendi maius eſt, ideo ſuffocat, & opprimit alterum, ne effectum quempiam producat. Jephte optabat conſeruare filiam, ſed quia id ſubſiſtere non poterat cum deſiderio ſeruandi votum,volebat id,quod non optabat, immolare ſcilicet filiam, & optabat quod nolebat, ſaluam ſcilicet retinere filiam. Pilatus,& Herodes optabant liberare: ille Saluatorem,hic eius præcurſorem. Sed quia vota hæc ſimul eſſe nequibant,cum deſiderio placendi Judæis & Cæſari; Herodiadi,& eius filiæ: erant vota vana, & inutilia. Quò autem res, quæ exoptantur minus conſiſtunt cum voto, eò minori amore ſunt dignæ, eoque vota ſunt imperfectiora, ſiquidem per admodum infirmas contrarietates impediuntur, & velut ſuffocantur,quò minus in effectum reduci valeant. Ita votum,quod habuit Herodes non occidendi S.Joannem Baptiſtam,magis erat imperfectum, quàm Pilati de Chriſto Domino liberando: Nam hic ne calumniam & indignationem populi ac Cæſaris incurreret; Ille autem ſolùm ne mulierem afficeret triſtitiâ, timebat.

Vota autem quibus obiecta eſt remora, non quòd ſint impoſſibilia, ſed quòd nequeant ſociari alijs votis ſe potentioribus, vocantur quidem vota & deſideria,ſed ea ſunt vana,inutilia, & penitus extincta. Per vota rerum impoſſibilium dicimus; opto, ſed quod opto conſequi

non

non poſſum; per vota autem rerum poſſibilium dicimus, opto quidem, ſed nolo, quod opto.

Qualis ſit Conuenientia, quæ excitat Amorem.

CAPVT VIII.

DICIMVS oculum videre, aurem audire, linguam loqui, intellectum ratiocinari, memoriam recordari, voluntatem amare. Sed perbellè ſcimus, propriè loquendo, hominem eſſe qui loquitur, quique per diuerſas animi facultates, & differentia organa, facit totam varietatem operationum. Eſt itaque etiam homo, qui per facultatem affectiuam, quam vocamus voluntatem, tendit in bonum, inque bono ſibi complacet, & cum eodem bono magnam hanc proportionem & conuenientiam, (quæ eſt ſcaturigo, & principium amoris) habet. Hinc colliges illos non benè ratiocinatos fuiſſe, qui crediderunt quòd ſola ſimilitudo ſit conuenientia illa quæ producit amorem. Quis enim neſcit ſenes, etiam maximè ſapientes, teneritudine magnâ, & ſingulari amore ferri in paruulos; Et viciſsim paruulos reciproco amore in ſenes? à doctis item amari ignorantes, modò ſint dociles? ab ægrotis quoque diligi medicos? Si quæ argumenta ducere poſſumus ex imagine amoris, quæ apparet in rebus inſenſibilibus, quæ obſecro ſimilitudo efficere poteſt inter magnetem & ferrum, vt hoc ab illo trahatur? Magnes nonné maiorem habet ſimilitudinem cum alio Magnete, aut cum lapide alio, quàm cum ferro, quod & genere & ſpecie differt à Magnete? & quamuis nonnulli aſſerant, vt reducere poſſint omnes conuenientias ad ſimilitudinem, ferrum trahi à ferro, & magnetem vnum ab alio; non poſſunt tamen reddere rationem, quare Magnes efficacius trahat ferrum, quam ferrum vnum aliud trahat. Sed amabò te, Theotime, quæ eſt ſimilitudo inter calcem & aquam, vel inter aquam & ſpongiam? Et tamen & calx & ſpongia admirandâ auiditate aquam imbibunt, &, hoc pacto, aduerſus illam modo extraordinario amorem fatentur inſenſibilem. Nec diſsimilis inuenitur amor humanus: nonnunquam ſiquidem arctius & efficacius initur ab homini-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

bus diuerſis penitus cõſtantibus moribus & qualitatibus, quàm ab ijs, qui ſimilibus videntur conſtare. Conuenientia igitur, quæ producit amorem, non ſemper conſiſtit in ſimilitudine, ſed in proportione, in relatione, vel in mutua propenſione amantis ad rem amatam. Et alia tacendo exempla, hoc modo ſimilitudo non efficit, vt infirmus amet medicum, ſed proportio neceſsitatis illius, cùm huius ſufficientia, ob quam ille indiget huius auxilio, quod, ſi vult, poteſt illi præſtare. Sic etiam medicus amat infirmum, & magiſter diſcipulum, quia vterque poteſt exercere ſuas facultates in illos, medicus in infirmum, & magiſter in diſcipulum. Tendentes ad ſenium amant paruulos, non per ſympathiam, ſed quia extrema ſimplicitas, debilitas & teneritudo ipſorum extollit, & clarius oſtendit prudentiam, & cautelam illorum; & certè, negari non poteſt: diſsimilitudo iſta grata eſt: & contrà, paruuli amant ſenes, eò quod videant illos circa ſe occupatos, & intentos, perq; ſenſum quendam ſecretum aduertunt ſe egere eorum directione. Symphonia, concordia, & accentus muſici fiunt per diſcordiam, per quam diſcordiam voces diſsimiles ſibi reſpondent, vt ſimul omnes concurrentes gratam efficiant proportionem. Sicut diſsimilitudo lapidum pretioſorum, & florum facit gratam compoſitionem encauſtices, & colorum iaſpidem repræſentantium. Itaque amor non ſemper prouenit ex reciproca ſimilitudine & ſympathia, ſed permutuam proportionem & conformitatem, quæ conſiſtit in hoc, quòd per vnionem vnius rei ad alteram, poſsint recipere mutuam perfectionem, & ex conſequenti fieri meliores. Caput profectò non eſt ſimile corpori, neque manus brachio, & nihilominus res iſtæ tam ſibi reſpondent, & tam dextrè ac propriè per mutuam coniunctionem inter ſe ſunt connexæ, vt vna excellenti modo alteram perficiat. Inde eſt, quòd, ſi partes illæ inter ſe abinuicem diſtinctam haberent animam, perfectiſsimè inuicem ſe amarent, & hoc non per ſimilitudinem, quia inter ſe nullam habent: ſed per conformitatem, quàm habent in mutua perfectione. Hoc modo melancholici, & læti; acerbi, & ſuaues nonnunquam reciprocè ſe amant per mutuas impreſsiones, quas vnus recipit ab altero, quo fit, vt eorum mores contemperentur.

Sed quando hæc mutua proportio & conformitas eſt coniuncta ſimilitudini, amor, procul dubio longè potentius ingeneratur; quia, cùm

cùm ſimilitudo ſit vera imago vnitatis, quando duæ res ſimiles per mutuam proportionem ad eundem finem ad inuicem vniuntur, videtur potius eſſe vnitas, quàm vnio.

Conuenientia igitur amantis ad rem amatam eſt prima ſcaturigo amoris. Ea autem conuenientia conſiſtit in conformitate, ſeu proportione, quæ aliud non eſt, quàm mutua relatio, quæ reddit res idoneas vnioni qua ſibi inter ſe aliquam communicent perfectionem. Sed hoc melius, & melius ſemper in progreſſu diſcurſuum intelligetur.

Quod Amor tendat ad Vnionem.

CAPVT IX.

SALVATORIS noſtri, & animæ deuotæ reciprocos amores Magnus Salomon ſtylo adeò delitioſè admirando, in diuino illo opere, quod nuncupatum eſt CANTICA CANTICORVM deſcribit, vt ſiue ſubiectum, quod eſt amor diuinus, ſiue delectum verborum, quibus eos deſcribit, ſpectes, nihil dici, nihil excogitari poſsit excellentius. Et vt nos ſuauius attollat ad conſiderationem ſpiritualis iſtius amoris, qui inter nos & DEVM exercetur, per quandam conformitatem motuum cordium noſtrorum, cum inſpirationibus diuinæ Maieſtatis, adfert perpetuam repræſentationem amorum, caſti opilionis, & pudicæ cuſtodis ouium. Porrò inducens ſponſam primò loquentem, per modum quendam excitati repentè amoris in hæc verba ſtatim prorumpentem facit: *Oſculetur me oſculo oris ſui!* Viden', Theotime, quomodo anima in perſona huius cuſtodis ouium, primo ſuo voto, quod exprimit, nihil aliud prætendat, ac deſideret, quàm cum ſuo ſponſo caſtam vnionem? quaſi proteſtans, quòd vnio illa vnicus ſit finis & ſcopus, ad quem illa adſpiret, imò & propter quem ſpiret? Nam, amabò te, quid aliud ſibi vult primũ hoc illius ſuſpirium: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* Certè oſculum omni tempore velut inſtinctu naturali adhibitum fuit, ad repræſentandum perfectum amorem, id eſt, vnionem cordium omnibus numeris abſolutam, & id non ſine cauſa. Noſtras enim paſſiones & motus, quos animæ noſtræ communes habent cum animantibus,

in

Digitized by Google

in oculis, in ſupercilijs, in fronte, & in reliquis totius faciei partibus foras prodire & apparere facimus. *Ex Viſu,* inquit Scriptura, *cognoſcitur Vir.* Et Ariſtoteles reddens rationẽ, quare magnorum & excellentiũ Virorum imagines ordinariè facie tenus tantũ depingantur, dicit Vultum & faciem oſtendere, qui ſimus; Animorum autem noſtrorum diſcurſus & cogitationes, quæ procedunt ex ſpirituali noſtrarum animarum portione, quam vocamus rationem, quâ & differimus ab animantibus, non niſi per verba, & ex conſequenti per oris miniſterium expandimus & patefacimus. Quare effundere animam ſuam & expandere cor, nihil aliud eſt, quàm loqui: *Effundite,* dicit Pſalmiſta, *coram DEO corda veſtra*: id eſt, exprimite & enunciate affectiones cordis veſtri per verba ore prolata. Et pia Samuelis Mater, ſuas pronuncians preces, quamuis ita ſubmiſsè, vt vix notari poſſet motus labiorum: *effudi,* inquiebat, *cor meum in conſpectu Domini.* Hoc modo os vnum applicatur alteri, quando figitur oſculum, ad teſtificandum, non deeſſe animum & deſiderium animam vnam in alteram reciprocè fundendi, vt perfectâ vnione jungerentur ac vnirentur. Et ideò inter ſanctiores mundi homines, oſculum nunquam non fuit ſignum amoris & dilectionis. Ita vniuerſim adhibitum fuit inter primos Chriſtianos, vt Apoſtolus teſtatur, quando ſcribens ad Rom. & Corinth. dicit: *Salutate inuicem in oſculo pacis*; &, vt plures teſtificantur, à Juda in comprehenſione Saluatoris, datum illi oſculum fuit ſignum & teſſera, quâ cognoſci debebat, eò quòd benignisſimus IESUS, diſcipulos ſuos, quando ſibi occurrebant, ordinariè oſculabatur. Nec tantùm diſcipulos, ſed etiam puſillos infantes, quos ſummi amoris affectu inter brachia accipiebat, vt conſtare poteſt ex illo, cuius ex comparatione diſcipulos ſuos ſolenniſsimè inuitauit ad charitatem proximo exhibendam; eum autem complures æſtimant fuiſſe S. Martialem, vti refert Epiſcopus Janſenius.

1. Reg. c. 1. 15.

Itaque, cùm oſculum ſit viua nota vnionis cordium, ſponſa quæ nihil aliud prætendit in omnibus ſuis dictis & factis, quàm vt arctiſſimè ſit vnita cùm eo, quem vnicè amat; *Oſculetur me,* inquit, *oſculo oris ſui*: quaſi exclamaret: tanta ſuſpiria, tamq; inflammata dilectionis tela, quæ amor meus inceſſanter emittit, ac iacit, nunquámne impetrabunt id, quod tantopere deſiderat anima mea? Curro, heu! nunquámne pertingam ad brauium, ad quod me totam quantam extendo? Illud

autem

antem eſt, vt cor meum cordi, Spiritus ſpiritui, DEI mei, ſponſi mei, & vitæ meæ glutine indiſſolubili vniatur. Ecquando tandem effundam animam meam in eius cor, & ipſe viciſſim effundet cor ſuum in animam meam, vt ſic beatiſsimè arctiſsimeq; inter nos vniti in omnem æternitatem inſeparabiliter viuamus?

Quando ſpiritus diuinus vult exprimere perfectum amorem, fere
exhibet continuè verba vnionis & coniunctionis. *Multitudinis credentium,* Acto.
inquit S. Lucas: *erat cor vnum & anima vna.* Chriſtus Saluator rogauit 4. 32.
Patrem, pro ijs qui in ſe erant credituri, *vt vnum eſſent:* S Paulus monet Ioan.
Epheſios, *vt ſoliciti ſint ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Hæ vnitates 17. 20.
cordis, animæ, & ſpiritûs, denotant perfectionem amoris, qui ex pluri- Epheſ. 4. 3.
bus animabus vnam efficit. Ita etiam dictum eſt, quod *anima Ionathæ, con-*
glutinata eſſet animæ Dauid, id eſt, vt adiungit ſcriptura, *dilexit eum Ionathas* 1. Reg.
quaſi animam ſuam. Magnus Galliæ Apoſtolus, tam ſecundum ſuum ſen- 18. 1.
ſum, quàm ſecundum relationem ſui Hierothei ſcribit, (puto centies in vnico capitulo de diuinis nominibus) quòd amor ſit vnificans, vniens, congregans, conſtringens, colligens, & referens res omnes ad vnitatem. S. Gregorius Nazianzenus, & S. Auguſtinus, dicebant ſuos amicos non niſi vnam animam ſecum habere; Et Ariſtoteles, approbans iam ſuo tempore iſtum loquendi modum, dicit: quando exprimere volumus quantopere diligamus noſtros amicos, dicimus: *anima illius, & mea, non eſt niſi vna: odium nos ſeparat, amor autem congregat.* Finis autem amoris aliud non eſt, quàm vnio amantis, cùm re amata.

Quòd vnio, ad quam amor tendit, ſit ſpiritualis.

CAPVT X.

ANimaduertendum tamen eſt, eſſe vniones naturales, vt eſt ſimilitudinis, Conſanguinitatis, ſicut & cauſæ cùm ſuo effectu, & aliæ, quæ cùm non ſint naturales, dici poſſunt voluntariæ. Nam licet ſint ſecundum naturam, non fiunt tamen, niſi per noſtram voluntatem; vt eſt illa quæ originem ſuam trahit ex beneficijs liberali manu exhibitis, quæ vniunt, dubio procul, ea recipientem cum eorum

exhibitore. In harum etiam claſſem veniunt illæ, quæ ex conuerſatione & familiaritate exſurgunt, aliæq; ſimiles. Porrò quando vnio eſt naturalis, producit amorem, & productus ab ea amor, transfert nos ad nouam quandam voluntariam vnionem, quæ perficit naturalem. Ita Pater & filius, mater & filia, aut duo fratres, cùm naturaliter ſint vniti per communicationem eiuſdem ſanguinis, excitantur per huius amoris vnionem, & per amorem deducuntur ad vnionem voluntatis & animæ, quæ perappoſitè indigitatur voluntaria: eò quòd, licet eius fundamentum ſit naturale, eius tamen actio eſt deliberata; & in his amoribus per vnionem naturalem productis alia non eſt requirenda conformitas, ſeu proportio, quàm illiuſmet vnionis, quâ natura præueniens voluntatem, illam quodammodo cogit, ad approbandam, amandam, & perficiendam vnionem, quam ipſa iam produxit. Verùm quantùm ad vniones voluntarias ſpectat, eæ ſunt re ipſa amore poſteriores, & nihilominus cauſæ ſunt illius, velut eius finis & vnicus ſcopus. Ita, vt, quemadmodum amor tendit ad vnionem, ſic vnio ſæpe extendit & dilatat amorem. Quia ſcilicet, amor facit inquirere conuerſationem, & conuerſatio frequenter nutrit & amplificat amorem; amor inducit ad deſiderium vnionis nuptialis, & hæc eadem vnio reciprocè conſeruát & dilatat amorem. Atq; ita in omni ſenſu verum eſt, quòd amor tendat ad vnionem.

Sed ad quod genus vnionis tendit ille amor? Non notaſti, Theotime, quòd ſacra ſponſa exprimens ſuum votum, vniri velit cum ſuo ſponſo per oſculum, & quòd oſculo illo repræſentetur vnio ſpiritualis, quæ reciprocè efficitur per animarum communicationem? Homo equidem eſt, qui amat, ſed amat per voluntatem, ideoque finis eius amoris eſt eiuſdem naturæ, cuius eſt voluntas; eius autem voluntas ſpiritualis eſt, ergò & vnio, quam eius amor intendit, eſt ſpiritualis; alioquin cor, quod eſt ſedes & origo amoris, non tantùm non perficeretur per vnionem, quam haberet cum rebus corporalibus, ſed omnino vileſceret.

Non eò hæc dico, ô Theotime, quòd velim negare, eſſe paſsiones aliquas in homine, quæ, quemadmodũ viſcus in arboribus, vt quoddam excrementum, & ſuperfluitas deprehenditur, ita etiam perſæpe & circa amorem, & in medio ipſiuſmet amoris naſcuntur (quamuis eæ non

ſint

ſint neque amor, neque pars amoris) ſed eæ, non ſolùm non ſunt vtiles & proficuæ ad conſeruandum, vel perficiendum amorem, ſed contrà, maximè eum debilitant eneruantq;, & tandem, niſi in tempore amputentur, omninò illum perdunt: cuius rei hæc eſt ratio.

Quantò pluribus operationibus anima noſtra, vel eiuſdem, vel diuerſi generis ſe applicat, tantò remiſsius & imperfectius eas peragit; quia cùm ſit finita, eius etiam virtus actiua finita ſit, oportet: ita, vt, dum tribuit ſuam actiuitatem diuerſis operationibus, earum quamlibet minus efficacem eſſe neceſſe ſit. Vnde homines pluribus rebus intenti, minores ſunt ad ſingulas. Nemo tractûs, & lineamenta faciei alicuius oculis obiecta exactè conſiderârit, & eodem tempore perfectè attenderit ad harmoniam excellentis alicuius muſicæ; nec item eodem tempore accuratè perpenderit figuras alicuius rei depictæ, & perfectum tulerit judicium de coloribus. Si valde auidè & intentè aliquem loquentem audimus, rem aliam, eodem tempore non niſi obiter conſiderare poterimus.

Non ignoro id quod refertur de Cæſare, neq; nego id quod excellentes & fide digni homines retulerunt de Origene: quòd ſcilicet ambo eodem tempore potuerint ſe applicare pluribus obiectis; imò & applicuerint, operatique fuerint; tamen nemo non fatetur quòd quantò magis illi ſe applicabant actioni faciendæ circa aliquod obiectum, tantò habuiſſe vim minorem circa alia. Eſt ergo differentia inter videre, audire, vel ſcire plus; & videre, audire vel ſcire melius: nam qui melius videt, minus videt, & qui plus videt, non tam bene videt. Rarum eſt, vt ij qui multùm ſciunt, bene ſciant quòd ſciunt, eò quòd vigor & virtus intellectûs ſe effundens in cognitionem plurium rerum, minus ſit fortis & efficax, quàm ſi eſſet congregata & coadunata ſimul tota circa conſiderationem vnius ſolius obiecti. Quando ergo anima impendit virtutem ſuam diuerſi generis operationibus plenis ſingularis amoris affectibus, eius actio ſic diuiſa & diſperſa minùs eſt neruoſa minuſq; perfecta. Triplices autem ſunt affectuoſæ actiones (patiare, lector, me tum hîc, tum alibi ſæpe ſic loquentem, dum nihil inuenio melius, quo explicem ſenſum auctoris) ſpirituales, rationabiles, & ſenſuales. Quando amor ſimul & ſemel in omnes iſtas tres operationes ſuas effundit vires, ſine dubio magis extenſus, ſed longè minus intenſus eſt;

contrà, quando ſolùm agit circa operationes vnius generis, magis intenſus eſt, ſed minus extenſus, quod nemo negabit. Certè videmus ignem, qui eſt Symbolum amoris, coactum exire ex tormento per vnicum foramen, edere fragorem magnitudine prodigioſum, qui longè eſſet minor, ſi bipatentes vel tripatentes haberet exitus. Quandoquidem igitur amor eſt actus noſtræ voluntatis, quæ non tantùm nobilem & generoſum eſſe eum vult, ſed fortem & neruoſum, comprimiſque actiuum, eius virtus & fortitudo intra limites ſpiritualis operationis contineatur, oportet. Qui enim eum vellet applicare operationibus partis ſenſibilis vel ſenſitiuæ animæ noſtræ, vix dici poteſt quantoperè debilitaret operationes intellectuales, in quibus tamen ſitus eſt amor eſſentialis.

Antiqui Philoſophi aduerterunt, & verò etiam ſcripto tradiderunt duo eſſe genera ecſtaſum, quorum alterum nos extollit ſupra nos ipſos, alterum autem deprimit longè infra nos, quaſi dicere voluiſſent hominem eſſe mediæ naturæ inter Angelos & beſtias, participantem naturam Angelicam in parte intellectuali, brutalem autem in ſenſitiua; & nihilominus eum poſſe per ſerium vitæ exercitium, & continuam ac vigilantem ſui ipſius curam gerendo, ſe eximere ex media illa conditione; quia applicans ſe, & impigrè exercens in actionibus intellectualibus, ſeipſum ſimiliorem Angelis, quàm beſtijs poſſet reddere; ſi autem multùm ſe applicaret actionibus ſenſualibus, eaſque exerceret, futurum aſſerebant, vt deſcenderet à ſua conditione mediocri, & ad ſtatum brutorum appropinquaret; Et quia ecſtaſis nihil aliud eſt, inquiebant, quàm egreſſus quidam ex ſe ipſo, & quacunq; ex parte fiat ille exitus, eſt vera ecſtaſis, ideò illi, qui tacti delectationibus diuinis & intellectualibus, ab ijs ſinunt lubenter ſibi cor abripi, ſunt verè extra ſeipſos, id eſt ſupra conditionem ſuæ naturæ per felicem & deſiderabilem exitum, per quem intrantes in ſtatum nobiliorem & excellentiorem; tam ſunt Angeli per operationem ſuarum animarum, quàm ſunt homines per ſubſtantiam ſuæ naturæ, & dici debent, aut Angeli humani, aut homines Angelici; contrà verò illi, qui illecti voluptatibus & lenocinijs ſenſualibus, applicant ſuas animas ad fruitionem earum; deſcendunt de mediocri ſuo ſtatu ad infimam conditionem brutorum animalium, & tam merentur vocari Stvpidæ Bestiæ, propter ſuas operationes, quàm ipſi ſunt homines

nes

nes per ſuam naturam, ex hoc infelices, quòd non ſint extra ſe ipſos, niſi ad ingrediendam conditionem naturali ſuo ſtatu indigniſſimam.

Porrò ecſtaſis quantò maior eſt, aut quantò altius ſupra nos, vel profundius infra nos, tantò magis impedit ea animam, quò minus ad ſe reuertatur, & faciat operationes contrarias ecſtaſi, in qua illa eſt; Ita homines Angelici, qui in Deum, ac ad res cæleſtes rapiuntur, perdunt omnino, (quamdiu durat eorum ecſtaſis) vſum & attentionem ſenſuum; quin & motus, & omnes omnino actiones exteriores; eò quòd illorum anima, vt integriùs & attentiùs ſuam virtutem & actiuitatem applicet ad diuinum hoc obiectum, eas recolligit & retrahit ab omnibus alijs, facultatibus, vt illas eam in partem conuertat: Eodemque modo homines bruti & ſtupidi abrepti voluptate ſenſuali, & maximè, quando id fit in ſenſu generali, omnis omninò vſûs & attentionis, tum rationis, tum intellectûs iacturam faciunt: quia miſera eorum anima, vt intimiùs & attentiùs fruatur obiectis beſtiarum proprijs, auertit ſe ab operibus ſpiritualibus, vt ſe profundiùs immergat, & penitius conuertat ad ea opera, quæ beſtijs ſunt innata. Illi quidem in hoc myſticè imitantur Eliam, in altum curru igneo raptum ad choros vſque Angelorum; hi autem Nabuchodonoſorem, qui conuerſus in brutum, & in conditionem ferocium beſtiarum redactus fuit.

Dico igitur, quod dum anima exercet amorem per actiones ſenſuales, à quibus ſub ſe ipſam detruditur, neceſſariò debilitetur & eneruetur exercitium ſuperioris amoris. Vnde tantùm abeſt, vt verus & eſſentialis amor iuuetur, & conſeruetur ab vnionibus, ad quas tendit amor ſenſualis, vt è contrario plurimùm detrimenti capiat, imò per huiuſmodi actiones, & vniones penitus pereat. Sicut boues Iob, arabant terram, dum aſini beſtiæ inutiles, paſcebantur circa illos, deuorantes pabula bobus arantibus debita. Ita dum pars intellectualis animæ noſtræ dat operam amori honeſto, & virtuti coniuncto circa obiectum aliquod ſe dignum, ſæpe contingit ſenſus, & facultates partis inferioris tendere ad vnionem, quæ illis eſt propria, & ſeruit paſcuorum loco; licet vnio non debeatur niſi cordi & animæ; quæ ſola poſſunt producere verum & ſubſtantialem amorem.

Eliſæo, cùm ſanaſſet Naaman Syrum, ſatis fuit de eo bene meruiſſe; Vnde oblatum ab eo aurum, argentum, aliaq; dona, quæ illi gratitu-

Digitized by Google

titudinis ergò dare volebat, conſtanti animo recuſauit; Giezi autem ſeruus infidelis, poſt dictum Naaman currens, petijt ab eo, &, Domino ſuo inuito, accepit. Amor intellectualis & minimè fictus, qui certè eſt, vel eſſe debet magiſter & director animæ noſtræ, recuſat quaſcunque vniones corporales & ſenſuales, & contentus eſt ſimplici beneuolentiâ: ſed potentiæ partis ſenſitiuæ, quæ ſunt, vel eſſe debent, ancillæ ipſius animæ ſeu mentis, petunt, requirunt, & accipiunt, quod recuſatum eſt à ratione, nullaque ſibi ab ea factâ permiſsione, properant facere abiectas, & ſeruiles vniones, dedecore afficientes, ſicut Giezi, puritatem & intentionem Dominæ ſuæ, quæ eſt anima ſeu ratio. Quâ autem proportiône & menſurâ anima ſe conuertit ad tales vniones craſſas & ſenſibiles, eâdem ſe auertit ab vnione delicata intellectuali & genuina. Vides ergo Theotime, eas vniones, quà reſpiciunt delectationes, & paſsiones brutis animalibus proprias, non ſolum non conducere ad productionem & conſeruationem amoris, ſed ei plurimùm obeſſe, eiuſq; vires ſummè labefactare. Ita quando inceſtuoſus Amon, Regis Dauidis filius (qui Thamar flagitioſo amore deperibat) aduſque vniones ſenſuales & brutales tranſiuit; adeo priuatus fuit amore ingenuo, vt ſororis præſentiam nunquam amplius ferre potuerit, proinde eam tam indignè & crudeliter abiecit, ius amoris violans, quàm impudenter læſerat ius ſanguinis.

Ocymon ſeu baſilicon herba, Roſmarinus, Amaracus, hyſſopus, Cariophyllon, cinamomum, nux muſcata, citrea mala, & Muſcus ſimul poſita, & in ſua integritate, & corpore relicta, reddunt equidem per mixtionem tot ingredientium bene olentium, odorem ſuauem, ſed is odor longè eſt infra illum, quem aqua ex illis diſtillata emittit. In qua aqua ſuauitates dictorum omnium ingredientium ſeparatæ à ſuis corporibus, multò excellentius ſe miſcent, vnientes ſe in perfectiſſimo odore, qui longè fortius penetrat odoratum, quàm penetrarent dictæ ſuauitates, ſi cum illo odore & eius aqua, corpora ingredientia eſſent coniuncta, & vnita, ita & Amor in vnionibus & coniunctionibus potentiarum ſenſualium, dum miſcentur cum vnionibus facultatum intellectualium inueniri quidem poteſt, ſed nunquam tam excellenter, ſicuti quando ſoli ſpiritus, & animi, ſeparati ab omnibus affectionibus corporalibus ſimul vnitis, producunt amorem purum & ſpiritualem; quia odor

affe-

affectionum ita mixtarum, non ſolùm eſt ſuauior, & melior, ſed etiam magis viuus, actiuus, & ſolidus.

Verùm eſt quòd quàm plurimi homines pingui, terreſtri, & vili conſtantes ingenio, valorem amoris æſtimant, vti nummorum aureorum, quorum craſsiores & ponderoſiores, ſunt meliores, ac proinde libentius ab omnibus accipiuntur: ſtatuunt enim amorem beſtialem eſſe fortiorem, (quia ſcilicet eſt violentior & turbulentior) ſolidiorem item quòd magis ſit craſſus & terreſtris) maiorem autem, quia magis ſenſibilis & ferus. Sed contrarium eſt: amor enim ſimilis eſt igni, cuius materia quò delicatior, eò etiam flammas edit clariores & pulchriores: quæ nec melius nec facilius extinguuntur, quàm eas deprimendo, & terrâ operiendo: Eodem modo, quò ſubiectum amoris eſt excellentius & magis ſpirituale; eò etiam eius actiones ſunt viuaciores, ſtabiliores & durabiliores; Non poteſt autem amori maius adferri exitium, quàm ſi deprimatur ad actiones viles. *Hoc diſtare*, inquit S. Gregorius, *inter delicias corporis & cordis ſolet: quòd corporales deliciæ, cùm non habentur graue in ſe deſiderium accendunt: cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contrà, ſpirituales deliciæ, cùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò habentur, in deſiderio: tantoq́; à comedente amplius eſuriuntur, quantò & ab eſuriente amplius comeduntur.* Quò ſit vt amor animalis, qui intendit per vnionem, quam molitur ad rem amatam, implere & perficere ſuam delectationem, contrarium deprehendens, quod nempe illam deſtruat, eam terminans ſummo cum faſtidio talem vnionem deteſtetur. Quod induxit Philoſophum, vt diceret fere omne animal poſt fruitionem vehementioris, iucundioriſq́; corporalis delectationis, remanere triſte, marcidum, & torpidum, adinſtar mercatoris cuiuſpiam, qui, credens magnum lucrum ſe facturum; contrà, magna rerum ſuarum factâ iacturâ, ſe inuenit deceptum; vbi è contrario amor intellectualis in vnione (quam habet cum ſuo obiecto,) plus delectationis & quietis inuenit, quàm ſperârat, in ea ſiquidem honeſtas ſuas complens delicias, eaſdem continuat ſe vniendo, & ſemper ſe vnit, eaſdem continuando.

Hō. 36. in Euā. Domin infra Corporis Chriſti

Eſſe

Eſſe duas portiones in anima, & quomodo?

Capvt XI.

VNicâ quidem conſtamus animâ, Theotime, quæ eſt indiuiſibilis: ſed ei inſunt diuerſi gradus perfectionis. Eſt enim viuens, ſenſibilis, & rationalis. Et iuxta iſtos diuerſos gradus habet etiam diuerſas proprietates & propenſiones, à quibus inducitur vel ad fugam rerum, vel ad earundem vnionem.

I. Nam ſicut videmus vitem quodammodo odiſſe braſsicam, eiuſque coniunctionem euitare; (quia ſibi inuicem obſunt quàm plurimùm) è contrariò oliuarum præſentiâ eandem gaudere quàm maximè; ita conſpicimus naturaliter inimicitiam eſſe inter hominem & ſerpentem: argumento eſt, quòd homo ieiunus ſuâ ſaliuâ enecet ſerpentem; ſecus eſt inter hominem & ouem, qui vnicè ſimul habitare ſibi complacent. Porrò inclinatio iſta non procedit ex aliqua notitia, quòd vnum intendat incommodare vni, alteri verò, quo cum naturaliter illi bene conuenit, vtilitatem adferre, ſed ſolùm eſt proprietas quædam occulta & ſecreta, quæ, ſicut producit contrarietatem & antipathiam inſenſibilem inter aliqua, ita inter alia conuenientiam & ſympathiam.

II. In nobis eſt appetitus ſenſitiuus, quo medio inducimur, vel ad proſecutionem, vel ad fugam plurimarum rerum, interueniente cognitione ſenſitiuâ, quæ nobis communis eſt cũ brutis animalibus. Quorum aliqua hanc rem, alia aliam appetunt, iuxta notitiam, quam habent, quòd hæc ſibi conueniat, illa autem minimè. In hoc autem appetitu reſidet, vel ex eo prouenit, amor, quem vocamus ſenſualem & brutum. Qui tamen, propriè loquendo non debet vocari amor, ſed ſimpliciter appetitus.

III. Quà ſumus rationales, præditi ſumus voluntate, per quam ferimur ad proſecutionem boni, quatenus illud tale cognoſcimus, vel iudicamus per mentis diſpicientiam. Porrò in anima noſtra, quà eſt rationalis manifeſtè detegimus duos perfectionis gradus, quos eximius Doctor S. Auguſtinus, & poſt illum alij Doctores nuncupârunt duas animæ partes, ſeu portiones; inferiorem ſcilicet & ſuperiorem. Quarum

rum illa,quæ ratiocinatione mentis, naturam rerum exquirit, & ex antecedentibus infert conſequentias, iuxta id,quod addiſcit & experitur per ſenſus, dicta eſt inferior; quæ autem ratiocinatur & infert conſequentias iuxta cognitionem intellectualem, quæ non eſt fundata ſupra experientiam ſenſuum, ſed ſupra decreta & iudicia rationis: proinde etiam hæc portio ſuperior, vt plurimùm vocatur ratio mentalis, & pars animæ, ſicuti & inferior ordinariè appellatur ſenſus, & ratio humana.

Porrò iſta portio ſuperior poteſt ratiocinari iuxta duo luminum genera, naturale ſcilicet, vti ratiocinati fuerunt Philoſophi, & omnes alij, qui per ſcientiam philoſophati ſunt; vel ſupernaturale, prout diſcurrunt Theologi & Chriſtiani; quatenus ſua dogmata diſcurſúſue ſtabiliunt fide, & verbo Dei reuelato; & adhuc ſpecialius ij, quorum anima dirigitur per ſingulares illuſtrationes, inſpirationes & motiones cæleſtes. Et hoc ſibi vult S. Auguſtinus, dum dicit *ſuperiorem animæ partem eſſe illam, per quam adhæremus & ſubycimus nos obedientiæ legis ſempiternæ.*

Jacob Patriarcha compulſus neceſsitate extremâ conſeruandæ ſcilicet ſuæ familiæ causâ,permiſit,vt chariſsimus filius ſu⁹ Beniamin,per alios filios ſuos,in Ægyptũ duceretur, ſed hoc perinuitus fecit, fecit tamen, vti hiſtoria ſacra teſtatur. In quo duas in homine voluntates eſſe confeſſus eſt; Vnam Inferiorem, per quam ægrè ferebat, filium ſuum vnicè dilectum à ſe abſtrahi, alteram Svperiorem, per quam cum alijs filijs eum mittere decreuit: diſcurſus enim, ob quem moleſtè ferebat eum à ſe amandare debere, fundatus erat ſupra gaudium, quod ſentiebat; dum apud ſe eum haberet; & triſtitiam, quæ ei accidebat ex abductione illius à ſe, quæ ſunt argumenta quæ à bono Patre apprehendi & ſentiri meritò poſſunt; ſed animi decretum, quo ſtatuit eum mittere, erat fundatum ſupra rationem ſtatûs familiæ; cui familiæ, vt ob inſtantem, & paulò poſt adfuturam neceſſitatem, de alimentis prouideret incumbebat. Abraham ſecundum inferiorem animæ partem, Angelo nuncianti futurum vt ei naſceretur filius, dixit verbum vnum, quo diffidentiam ſuam apertè ſatis fatebatur, ſcilicet, *putasnè centenario naſcetur filius?* ſed ſecundum ſuperiorem *credidit DEO, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Similiter iuxta inferiorem partem, dubio procul, valde fuit turbatus, quando iniunctum ei fuit, vt natum ſibi filium ſacrificaret; at ſecundum ſuperiorem, ſumptis animis, decreuit eum ſacrificare.

In dies ſingulos habere nos complures voluntates contrarias, proh dolor nimiùm quantùm experimur! Pater quiſpiam mittens filiū ſuum, aut ad Aulam alicuius Monarchæ, aut ad litterarum ſtudia, dum à ſe eum dimittit non continet lacrymas, teſtantes, quòd etſi ſecundum partem ſuperiorem velit eum à ſe ablegare, eius bonum ſpectans, nihilominus iuxta inferiorem, in abitu & ſeparatione filij, non minimam ſentit repugnantiam. Quamuis item puella quæpiam matrimonio, iuxta Parentum voluntatem, tradita ſit, tamen eis valedicendo, & eorum benedictionem accipiendo, excitat lacrymas; quia licet voluntas ſuperior ſit prompta ad diſcedendum, inferior tamen renititur. Non tamen hinc ſequitur, eſſe duas animas in homine, aut duas naturas, vt male ſibi perſuadebant Manichæi; non, inquit S. Auguſtinus, ſed voluntas allecta diuerſis lenocinijs, & mota multiplicibus rationibus videtur diuiſa in ſemetipſa, dum duas in partes trahitur, vſque dum alterutram partem, pro innata ſibi libertate, eligit; tunc enim voluntas potentior ſuperat, & vincit, relinquens in anima peracerbum doloris ſenſum, natum ex certamine, quod vocamus cordolium.

Lib. 8. Confeſ. c. 10.

Verumenimuerò Saluatoris noſtri exemplum hac in re ita clarum & admirandum eſt, vt, eo bene conſiderato, nullum amplius ſuperſit dubium de diſtinctione partis ſuperioris, & inferioris animæ. Quis enim Theologorum neſcit, eum à primo conceptionis inſtanti, in virginis vtero perfectiſſimè fuiſſe glorioſum, & nihilominus eodem tempore ſubiectum varijs moleſtijs, & afflictionibus cordis? Neque vllo modo dici poteſt eum tunc paſſum fuiſſe ſolùm ſecundum corpus, neq; etiam ſecundum animam ſolùm, quà ea erat ſenſibilis, vel, quòd idē eſt, ſecundū ſenſus: nam ipſemet Saluator teſtatur *animam ſuam*, antequam vllum tormentum externum in corpore pateretur; quin & antequam carnificem conſpiceret fuiſſe *triſtem vſque ad mortem.* Vnde cœpit orare, vt calix paſsionis à ſe transferretur, id eſt, vt ab eo liberaretur. In quo maniſeſtè expreſsit voluntatem inferioris partis animæ ſuæ, quæ voluens animo triſtia & acerba paſsionis tormenta, quæ ſibi videbat præparata, ſicut & viuam eorum imaginem quæ in eius imaginatione verſabatur, admodum conformiter rationi ea refugiebat, & à ſe remouere conabatur, petens ſupplex à patre vt ea à ſe amoliretur. Ex quo clarè intelligitur portionem inferiorem animæ, non eſſe idem cum gradu ſenſitiuo, illius,

Digitized by Google

illius, nec item voluntatem inferiorem eandem eſſe rem cum appetitu ſenſuali: nam nec appetitus ſenſualis, nec anima ſecundum gradum ſenſitiuum ſunt capaces rei alicuius exorandæ: ſunt enim actus iſti facultatis rationalis, & magis ſpeciatim, non ſunt idonei ad inſtituendum ſermonem cum Deo, obiecto, ad quod nequeunt ſenſus ſe extendere, vt deinde notitiam exhibeant appetitui. Sed idem Saluator, elicitis & exercitis portionis inferioris actibus, ſimulque dato teſtimonio, quòd ſecundum illam, & conſiderationes, quas illa faciebat, ſua voluntas inclinaret ad fugiendos & euitandos dolores, & pœnas, oſtendit poſtea ſe habere partem ſuperiorem, per quam, adhærens inuiolabiliter voluntati æternæ, & decretis paternis, voluntariè mortem acceptauit, &, non obſtante reniſu partis inferioris rationis, dixit: Pater mi, non mea, sed tva fiat volvntas. Quando dicit Mea Volvntas, loquitur de ſua voluntate iuxta partem inferiorem; in quantum autem hoc dicit voluntariè, oſtendit ſe habere voluntatem ſuperiorem.

In dictis duabus portionibus animæ, eſſe quatuor rationis gradus differentes.

Capvt XII.

IN Salomonis templo tria viſebantur atria: vnum ſeruiebat gentilibus & extraneis, qui volentes recurrere ad Deum, veniebant adorare in Hieruſalem; in ſecundo orabant Iſraelitæ, tum viri, tum fœminæ; (nam ſeparatio fœminarum à viris facta eſt poſt tempora Salomonis.) Tertium erat pro Sacerdotibus, & ordine Leuitarum; & tandem, vltra hæc omnia, erat Sanctuarium vel ſacra domus: in quam ſolus ſacerdos ingrediebatur, & hoc ſemel in anno tantùm. Ratio noſtra, vel, vt melius dicam, ipſamet noſtra anima, quà rationalis, eſt verum templum magni Dei, qui in ea ſingulariter reſidet: *Requirebam*, inquit S. Auguſtinus, *te extra me, & te non inueniebam, quia tu in me eras.* In hoc myſtico templo, tria etiam inueniuntur atria, quæ ſunt tres differentes rationis gradus. In I. ratiocinamur ſecundum experientiam ſenſuum, in II. Philoſophamur beneficio humanarum ſcien-

tiarum, in III. mente diſcurrimus iuxta fidem; & tandem, præter tres iſtos rationis gradus, eſt vna quædam certa eminentia, & ſupremus quidam operationis, & facultatis ſpiritualis, qui non dirigitur lumine diſcurſus, neque etiam rationis, at per ſimplicem intuitum intellectûs, & purum putum voluntatis ſenſum: per quos animus acquieſcit & ſe ſubmittit veritati, & voluntati diuinæ.

Porrò extremitas iſta, & apex animæ noſtræ, ſeu iſtud ſupremum acumen noſtræ mentis, perquàm genuinè repræſentatur per ſanctuarium vel ſacram ædem. Nam I. in ſanctuario non erant feneſtræ, per quas lumen introduceretur; in iſto gradu intellectûs, non eſt diſcurſus mentis, qui illuminet. II. in Sanctuario, totum lumen quod in eo reperiebatur, intrabat per portam; in hunc autem gradum intellectûs nihil intrat, niſi per fidem, quæ radiorum inſtar producit viſum & ſenſum pulchritudinis & bonitatis diuini beneplaciti. III. Nemo ſanctuarium veteris teſtamenti ingrediebatur, præter ſummum pontificem; ad apicem animæ noſtræ diſcurſus non habet acceſſum, ſed ſolùm magnus, vniuerſalis & ſupremus ſenſus, quòd ſcilicet voluntas diuina ſummè ſit amanda, approbanda, & complectenda; nec ſolùm ſingulariter & in ſpecie pro vna aliqua re, ſed in genere pro omnibus rebus, & ſimul particulatim pro vna quaque re. IV. Summus Sacerdos intrans ſanctuarium, lumen, quod per oſtium intromittebatur, imminuebat, dum iniectis in thuribulum plurimis thymiamatis, fumo obtundebantur radij claritatis, quos apertio portæ immittebat: & tota viſio, quæ fit in ſuprema parte animæ noſtræ, aliquo modo obſcuratur & obtegitur per renunciationem & reſignationem, quas facit anima, volens non tam aſpicere & intueri pulchritudinem veritatis, & veritatem bonitatis (quæ ei repræſentatur) quàm illam complecti, & adorare; & ita quidem, vt anima vellet fere ſimulatque cœpit videre dignitatem voluntatis Diuinæ, oculos claudere, vt ſic non occupans vltra ſe in eius conſideratione, valeret potentius & perfectius illam adipiſci, & per abſolutum gaudium ſe infinitè illi ſubmittere.

V. Tandem in Sanctuario erat *fœderis arca*, & in ea, vel proximè iuxta illam, erant TABVLAE LEGIS, MANNA IN HYDRIA AVREA, ET VIRGA AARON, quæ floruit, & fructum tulit vna nocte. Sed & in ſupremo apice mentis, ſeu animæ, hæc inueniuntur. I. Lumen fidei re-

præ-

præſentatum per manna, & abſconditum in hydria, per quam agnoſcimus & ſtamus veritati myſteriorum, quæ nos non intelligimus. II. Vtilitas ſpei repræſentatæ per virgam florentem & fœcundam Aaronis, per quam acquieſcimus factis nobis promiſſionibus futurorum in altera vita bonorum, quæ nunc non videmus. III. Suauitas ſanctiſſimæ charitatis repræſentatæ Dei mandatis, quæ, præterquam quòd dicta in ſe comprehendit mandata, in nobis etiam efficit, vt vnioni noſtri intellectûs iunctæ vnioni diuinæ acquieſcamus, licet vix eam ſentiamus.

Nam, etſi fides, ſpes & charitas expandant diuinum ſuum motum fere ad omnes facultates animæ, tam rationales, quàm ſenſitiuas, eas reducentes, & ſanctè ſubijcientes iuſtiſſimæ ſuæ auctoritati, tamen earum ſpecialis habitatio, vera & naturalis commoratio, ſeu ſedes eſt in ſæpius dicto ſupremo apice mentis, ſeu animæ. Ex quo, velut ex beata origine aquæ viuæ, & *ſalientes in vitam æternam*, ſe diffundunt, & per diuerſos ramos & riuulos ſuper omnes partes & facultates inferiores eiuſdem animæ diſpertiunt. Atque ita, Theotime, in parte ſuperiore rationis ſunt duo gradus, in quorum vno fiunt diſcurſus & ratiocinationes, quæ dependent à fide, & lumine ſupernaturali; in altero autem, nullo facto mentis diſcurſu, ſtatur ſimpliciter in eo, quòd dictat fides, quòd promittit ſpes, & ſuadet charitas. Anima D. Pauli plurimùm fuit exercita duobus diuerſis deſiderijs; quorum alterum fuit SOLVTVM ESSE à CORPORE, & tendere ad Cæleſtia, in ijſque cum Chriſto in omnes æternitates habitare; alterum verò manere in hoc mundo, in eóque toto pectore incumbere in conuerſionem populorum, DEI ſanguine redemptorum. Vtrumque, dubio procul, erat in parte ſuperiore, quia vtrumque procedebat ex charitate; ſed decretum ſequendi poſtremum non fuit per diſcurſum, ſed per ſimplicem intuitum, & ſimplicem ſenſum voluntatis magiſtri & Domini ſui faciendæ, cui ſolus & vnus apex mentis, ſeu animæ magni huius ſerui DEI acquieuit, adhæſitque in præiudicium eorum omnium, quæ diſcurſus poterat inferre.

Verùm, ſi fides, ſpes, & charitas formantur beneficio ſanctæ iſtius animi adhæſionis in ſupremo mentis apice, quî fit quòd in gradu inferiore fiant diſcurſus, & ratiocinationes, quæ proueniunt ex lumine fidei? Reſpondeo, ſicuti videmus Aduocatos ad Cancellos tribunalium

magnis multiſque formatis diſcurſibus, diſputare inter ſe de factis & iuribus partium; & quòd iudices loco ſublimi reſidentes, ſoluunt difficultates omnes, dato vnico ſenatus conſulto. Quo pronunciato, Aduocati & auditores non intermittunt inter ſe diſquirere de motiuis, quibus iudices ſunt inducti ad ſententiam talem ferendam; eodem modo, Theotime, poſtquam tum diſcurſus, tum in primis Dei gratia, ſupremo & eminentiſſimo mentis apici perſuaſerunt, vt acquieſceret, & quaſi per modum decreti, formaret actum fidei: non tamen interim intermittit anima, beneficio intellectûs, denuò philoſophari circa eandem fidem iam conceptam, quò percipiat motiua & argumenta, quibus ad eam concipiendam & formandam eſt inducta: ſed & interea ratiocinationes Theologicæ fiunt in curia ſuperioris portionis animæ; quin & adhæſiones in ſupremo apice eiuſdem animæ.

Porrò, quia cognitio dictorum quatuor diuerſorum graduum rationis, multùm eſt neceſſaria ad intelligendos omnes tractatus rerum ſpiritualium, volui eam fusè explicare.

De differentia Amorum.

Capvt XIII.

I.

Amor diuiditur in duas ſpecies, quarum vna vocatur amor beneuolentiæ, ſeu amicitiæ; altera autem concupiſcentiæ. Amor concupiſcentiæ eſt ille, per quem aliquid amamus, ſperantes ex eo vtilitatem aliquam nobis prouenturam; amor autem beneuolentiæ eſt ille, quo amamus aliquid ob bonum illius. Nam quid aliud eſt habere amorem beneuolentiæ aduersùs aliquem quàm ei bene & bonum velle?

II. Si is, cui bonum volumus, iam illud quod ei volumus, habet & poſſidet, tunc ei id volumus propter gaudium & animi delectationē, quam habemus ex eo, quòd illud habeat & poſſideat. Et ita formatur amor complacentiæ: qui nihil aliud eſt, quàm actus voluntatis, per quem

quem illa ſe vnit & iungit lætitiæ cordis,& bono alterius. Verùm, ſi is, cui bene & bonum optamus, necdum illud poſsideat,id ei deſideramus, & amor ille dicitur deſiderij.

I I I. Quando amor beneuolentiæ exercetur abſque reciprocatione ex parte rei amatæ, vocatur ſimplex amor beneuolentiæ, quando verò eſt reciprocatio, vocatur amor amicitiæ. Porrò mutuus, ſeu reciprocus amor in tribus conſiſtit punctis, 1. vt amici inter ſeſe ament verè. 2. vt ſciant etiam quòd ſe mutuò ament. 3. vt communicent inter ſe, conſuetudinemq; habeant & familiaritatem.

I V. Si ſimpliciter amamus amicum, nulli aliorum amicorum eum præferendo, amicitia ſimplex eſt; ſi autem eum præferamus alicui, tunc amicitia illa vocatur dilectio: quaſi ſi quis diceret, quòd rectus amor ſit electio, quia inter plures res, quas amamus, illam eligimus, alijſq; omnibus præferimus.

V. Porrò, quando per hanc dilectionem non multùm præferimus amicum vnum alijs, indigitatur ſimplex dilectio: at contrà, quando multùm præferimus vnum alijs eiuſdem ſortis amicorum, tunc amicitia hæc vocatur dilectio excellentiæ.

V I. Quod ſi æſtimatio & prælatio, quam habemus & facimus de amico, ſit licet magna, & non habeat æqualem, nil tamen obſtat, quò minus veniat in comparationem, & cum alijs habeat proportionem: amicitia illa rectè vocabitur eminens dilectio. Verùm, ſi eminentia iſtius amicitiæ non veniat in vllam comparationem & proportionem, ſed ſit ſupra omnes, tunc dicetur dilectio incomparabilis, ſummeque eminens ſuper omnes alias: & vno verbo, erit charitas, quæ vni Deo debetur. Et re ipſa in noſtra lingua, verba, Charvm, & Charitatis augmentatio repræſentant certam quandam æſtimationem, precium,& ſingularem valorem. Et hoc fere ad inſtar vocabuli Homo, quòd ſicut inter Plebeios & Idiotas noſtræ regionis fere remanſit proprium maſculino generi, ſexui ſcilicet excellentiori, ſicut & nomen, Adoratio fere vni & ſoli Deo attributum eſt,vt principali obiecto: ita etiam nomen Charitas remanſit ſoli amori Dei, vt ſupremæ & ſummæ dilectioni.

Quod

Quod Charitas nominanda ſit Amor.

Capvt XIV.

Hom. 1 in Cãt. ORigenes dicit ſibi videri, quòd ſcriptura diuina volens
impedire, ne nomen amoris aliquam daret occaſio-
nem prauæ cogitationis hominibus infirmioribus, vt-
pote magis proprium ad ſignificandum carnalem amo-
rem, quàm affectionem ſpiritualem, loco nominis
Amoris, vſa fuerit nomine Charitatis, & Di-
Lib. 14 de Ciuit. c. 7 lectionis, quæ magis ſunt honeſta. E contrario S. Auguſtinus
melius conſiderans vſum verbi diuini, clarè oſtendit nomen Amoris
non minus eſſe ſacrum, quàm ſit Dilectionis: & quòd tum hoc,
tum illud ſubinde ſignificet & ſanctam affectionem, & prauam paſſio-
nem. Ad cuius rei probationem adfert complures locos Sacræ ſcri-
Lib. de Diu. nom: c. 4. pturæ. Sed Magnus S. Dionyſius vt Doctor perquàm excellens, ac
gnarus proprietatum nominum Diuinorum, loquitur adhuc longè cla-
rius in fauorem nominis Amoris, docens quòd Theologi, id eſt Apo-
ſtoli, & primi eorum diſcipuli. (Nam Sanctus hic non viderat alios
Theologos) vt cauerent multitudini à deceptione, eorumque phan-
taſiam corrigerent, quia accipiebant nomen Amoris in ſenſu pro-
phano & carnali, libentius id rebus diuinis adhibuerunt, quàm dile-
ctionis; & quamuis tum hoc, tum illud exiſtimarent vnam eandemque
rem ſignificare, nonnullis tamen eorum viſum eſt nomen Amoris
magis eſſe proprium, magiſque Deo conueniens, quàm dilectionis.
Qua de cauſa Diuinus Martyr S. Ignatius in hæc ſcribit verba: *Amor
meus crucifixus eſt.* Vti autem antiqui hi Theologi tribuebant nomen
amoris rebus diuinis, vt ab eo tollerent omnem ſpeciem impuritatis:
quæ ſuſpecta videri poterat, iuxta imaginationem mundi; ita ad ex-
primendas affectiones humanas, iiſdem placuit, vti nomine Dilectio-
nis, vt libero & exempto ab omni inhoneſtatis ſuſpicione. Vnde eo-
rum aliquis, referente S. Dionyſio, dixit: *Tua dilectio penetrauit animam
meam, vti ſolet dilectio fœminarum.* Tandem nomen amoris plus præ ſe
fert feruoris, efficaciæ & actiuitatis, quàm nomen Dilectionis.
Adde quòd inter Latinos nomine dilectionis minus, vt plurimùm ſigni-
ficetur, quàm amoris: *Clodius* inquit eorum orator, *valde me diligit, vel*
vt

Digitized by Google

vt ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. Ac proinde nomen AMORIS, vt excellentius, omni iure tributum eſt charitati, vt principaliori & eminentiori omnium amorum. Vnde, tum ob omnes iſtas rationes, tum quia, cùm intenderem loqui de charitatis actibus magis, quàm de habitu illius, exiguum hoc opus vocare placuit TRACTATVM DE AMORE DEI.

De conuenientia ſeu affinitate, quæ eſt inter DEVM & hominem.

CAPVT XV.

QVàm primùm homo attentius paulò cogitat de diuinitate, ſentit dulcem quandam cordis motionem, quæ eſt argumento DEVM, eſſe DEVM cordis humani, quòd inde etiam colligimus, quòd noſter intellectus nunquam tantâ exiliat lætitiâ, quàm quando ei incidit cogitatio de diuinitate; cuius minima cognitio, vt ait princeps Philoſophorum, plus valet, quàm maxima rerum aliarum: Sicuti minimus radius ſolis eſt clarior, quàm maximus lunæ, vel ſtellarum, imò verò longè magis luminoſus, quàm ipſa luna, vnà cum ſtellis. Quod ſi accidens aliquod cor noſtrum exterreat, vel ei timorem incutiat, ſubitò recurrit ad diuinitatem, ſupplex rogans, vt ſi omnia alia ſibi ſine aduerſa, illa ſola ſibi eſſe velit ſecunda; & quando inſtat quodpiam periculum, illa ſola, vt ſupremum ſuum bonum, ſe ſaluet, malúmque à ſe auerruncet. Gaudium hoc, confidentia iſta, quam cor humanum naturaliter habet ex DEO, haud ſanè aliunde prouenire poteſt, quàm ex conuenientia, quæ eſt inter Diuinam bonitatem, & animam noſtram. Conuenientia certè magna, ſed ſecreta, conuenientia, quam quiſq; cognoſcit, ſed pauci intelligunt; Conuenientia, quæ negari non poteſt, ſed nec integrè penetrari. Sumus creati ad imaginem & ſimilitudinem DEI: quod nihil aliud eſt dicere, quàm quòd habeamus eximiam conuenientiam cum Diuina maieſtate.

Anima noſtra eſt ſpiritualis, indiuiſibilis, immortalis, eadem intelligit, vult, & liberè quidem vult: eſt capax iudicij formandi, ratio-

cinandi, ſciendi; & virtutes poſſidendi: In quo aſſimilatur Deo. Reſidet illa tota in toto corpore,& tota in qualibet illius partium, vti & diuinitas tota in toto mundo eſt, & tota in qualibet mundi parte. Homo ſe cognoſcit, ſe ipſum amat per actus, productos & expreſſos à ſuo intellectu, & voluntate, qui licet procedant ab intellectu & voluntate diſtinctis abinuicem; nihilominus remanent, & ſunt inſeparabiliter vniti in anima, & in facultatibus, à quibus procedunt; ita filius procedit à patre vt eius cognitio expreſſa, & Spiritus Sanctus, vt amor ſpiratus, & procedens à patre & filio, qui licet diſtinctæ ſint perſonæ tum inter ſe, tum à patre, nihilominus omnes iſtæ tres perſonæ inſeparabiliter inter ſe ſunt vnitæ, imò potius vna & eadem ſimplex, & maximè vnica & indiuiſibilis diuinitas.

At vltra iſtam conuenientiam ſimilitudinis, eſt talis reciprocatio inter Deum & hominem, ratione reciprocæ perfectionis, vt ei ſimilis non reperiatur; non quòd Deus poſſit recipere aliquam perfectionem ab homine, ſed quemadmodum homo nequit perfici aliunde, quàm à diuina bonitate; ita diuina bonitas non habet commodius medium ſuæ perfectionem extra ſe exercendi, quàm noſtram humanitatem. Hæc enim magnam habet neceſſitatem, ſimúlq; capacitatem boni, quo maximè indiget, recipiendi; illa autem magnam omnino abundantiam, magnamq; inclinationem ad id elargiendum. Nihil autem magis eſt ad propoſitum pro indigentia, quàm liberalis affluentia: nihil item gratius liberali affluentiæ, quàm inops indigentia; quò verò bonum eſt affluentius, eò etiam eſt propenſius & efficacius ad ſe communicandum. Quò item indigens magis eſt inops à bono, eò eſt auidior ad recipiendum, vti eſt vacuus quiſque ad ſe replendum. Suauiter igitur & auidè ſibi inuicem occurrunt affluentiâ ex vna parte, & indigentia ex altera; & ita quidem auidè, vt cui occurſus ille gratior accidat: *bonóne ſcilicet abundanti, & parato ad ſe diffundendum & communicandum; an bono deficienti, indigo, & cupido ad accipiendum, ad ſeq; illud trahendum,* dici non poſſet, niſi Saluator dixiſſet: *Eſſe beatius dare, quàm accipere.* At vbi eſt bonum felicius & beatius, ibi eſt maius gaudium: Diuina igitur bonitas plus capit voluptatis gratias ſuas elargiendo, quàm nos eas recipiendo.

Matres ſubinde ita lacte turgentia & abundantia gerunt vbera, vt magno dolore & anguſtiâ premantur, quoadusque ea præbeant ali-

tui infanti. Et quamuis infans magna cum auiditate ea ſugat, maiori tamen adhuc ardore ea nutrix porrigit infanti; Ille ſugit mammillas ſuâ preſſus neceſsitate; hæc autem lactat compulſa nimiâ lactis abundantiâ.

Sacra ſponſa optârat ſanctum vnionis oſculum; OSCVLETVR ME, inquit, OSCVLO ORIS SVI: ſed ſatiſnè ad id eſt conuenientiæ, ô dilecta dilecti tui ſponſa & amica, inter te, & ſponſum, vt ad deſideratam pertingas vnionem? Ita, inquit illa: Tantum me oſculeris oſculo vnionis, ô amantiſsime animæ meæ ſponſe, & amator caſtiſſime: *quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Vinum nouum bullit, & per ſemetipſum incaleſcit ob nimiam bonitatis ſuæ virtutem, ſeq; non valet intra vas continere; ſed vbera tua adhuc ſunt meliora, premunt illa pectus tuum, & continuis eiaculationibus emittunt lac, quod in ijs redundat, non ſecus atque ſi quærerent eo ſe exonerare: & dum ad ſe alliciunt cordis tui infantes ad ſugendas mammillas, diffundunt odorem omnibus alijs thymiamatis potentiorem facultate pelliciendi. Atque ita, Theotîme, penuria noſtra indiget abundantiâ Diuinâ, propter defectum & neceſſitatem noſtram, affluentia autem Diuina non alia de cauſa indiget noſtra inopia, quàm propter excellentiã perfectionis & bonitatis. Bonitas tamen hæc non fit melior ſe communicando: nihil enim acquirit ſe diffundendo extra ſe, ſed potius donat: Noſtra autem indigentia maneret vacua & inanis, omniq́ue ope deſtituta, niſi abundantia diuinæ bonitatis ei ſubueniret.

Noſtra igitur anima conſiderans ſe nihil inuenire, quo perfectè quieta reddatur, & ſuam capacitatem multis mundi rebus poſſe repleri: eius ſiquidem intellectus immenſâ trahitur propenſione ad plura & plura ſemper ſcienda; voluntas autem prædita inſatiabili appetitu ad amandum & inueniendum bonum, nonné ſufficientia habet argumenta exclamandi, & dicendi? haud profectò creata ſum pro hoc mundo. Eſt igitur bonum aliquod ſupremum, à quo dependeo, & aliquis infinitus operator, qui impreſsit mihi interminabile hoc ſciendi deſiderium, huncq́ue, qui nequit ſatiari amandi bonum, indidit appetitum. Quare ad bonum illud totis viribus tendere & extendere me debeo, me vt illius bonitati vniam iungamq; ei, cuius ego ſum, & ad quod omni iure pertineo. TALIS AVTEM EST CONVENIENTIA, QVAM CVM DEO HABEMVS.

Ineſſe nobis naturalem inclinationem ad DEVM amandum ſuper omnia.

Capvt XVI.

SI qui reperirentur homines, qui retinerent integritatem & rectitudinem originalem, in qua erat Adamus à tempore ſuæ creationis vſque ad lapſum, quamuis aliunde ij non haberent vllum alium ſuccurſum & auxilium à Deo, quàm illud, quo beat vnamquamque creaturam, vt poſsit perficere actiones ſibi conuenientes; non tantùm haberent inclinationem amandi Devm ſuper omnia, ſed poſſent etiam naturaliter exequi iuſtam hanc inclinationem. Quia, quemadmodum Diuinus hic auctor, & Dominus naturæ cooperatur, & præbet potentem manum ſuam igni, vt petat ſuperiora, Aquis, vt fluant verſus mare, Terræ, vt deorſum tendat, ibique quando eſt, permaneat; ita, cùm ipſemet in corde hominis plantârit ac locârit ſpecialem inclinationem naturæ, quâ non ſolùm bonum in genere, ſed etiam in ſpecie, & ſuper omnes res, diuinam eius bonitatem (quæ melior eſt, & amabilior rebus omnibus) amet, poſtulabat ſuauitas ſupremæ eius prouidentiæ, vt etiam beatis illis hominibus (quorum nunc mentionem fecimus) tantum auxilij tribueret, quantum neceſſarium eſt ad mandandam executioni inditam illis inclinationem. Et hoc auxilium ex parte vna eſſet naturale, quippe conueniens naturæ, & tendens ad amorem Dei, quà eſt auctor & ſupremus Dominus naturæ; ex altera autem eſſet ſupernaturale, eò quòd reſponderet, non ſimplici naturæ hominis, ſed naturæ ornatæ, ditatæ, & honoratæ iuſtitiâ originali: quæ eſt qualitas ſupernaturalis, procedens ex maximè ſpeciali fauore Dei. Sed quantùm attinet ad amorem qui eſt ſuper omnia, quique exercetur ſecundum dictum auxilium, vocaretur naturalis, eò quòd actiones honeſtæ ſua accipiant nomina ab obiectis & motiuis, & Amor hic, de quo loquimur, ſolummodo tenderet in Devm ſecundùm quod agnoſcitur auctor, Dominus, & ſupremus finis omnis creaturæ per ſolùm lumen naturale; & conſequenter amabilis & æſtimabilis ſupra omnes res per inclinationem & propenſionem naturalem.

Quam-

Digitized by Google

Quamuis autem ſtatus & conditio naturæ humanæ non ſit nunc dotata ſanitate, & rectitudine originali, quâ erat primus homo in ſua creatione; ſed contrà, per peccatum ſit valde deprauata; tamen cùm ſancta hæc inclinatio DEUM amandi ſuper omnia nobis remanſerit, ſicut & lumen naturale, per quod cognoſcimus ſupremam eius bonitatem eſſe amabilem ſupra res omnes; non eſt poſsibile, vt homo attentè cogitans de DEO (& quidem etiam ſolùm per diſcurſum naturalem) non ſentiat aliquam amoris eiaculationem ac ſtimulum, quem in cordis penetralibus ſecreta noſtræ animæ inclinatio ſuſcitat: à qua ad primam apprehenſionem primi & ſupremi iſtius obiecti, voluntas præuenitur, & ſentit ſe excitari ad ſibi complacendum in illo.

Contingit non rarò inter perdices, vt aliquæ furentur oua aliarum, ea vt excludant, ſiue id fiat auiditate & cupiditate euadendi in Matres; ſiue ex earum ſtupiditate, qua laborantes, propria oua ſua non nouerunt. Dicam rem prorſus miram, ſed tamen veriſſimis teſtimonijs confirmatam: perdix maſculus, qui excluſus eſt & enutritus ſub alis alterius perdicis, ad primam vocem & quaſi lamentationem, quam audit propriæ matris quæ ouum, ex quo ille excluſus eſt, perdiderat, continuò, relicta perdice fure, redit ad germanam ſuam matrem, eamq́; motus ſympathiâ naturæq́; conuenientiâ, quam habet cum prima ſua origine, ſequitur. Hæc tamen conuenientia & inſtinctus naturæ nullo exteriori ſigno foras ſe prodit, ſed manet ſecreta, abſcondita, & quaſi dormiens in intimis naturæ præcordijs, vſque dum ſuum ſibi occurrat obiectum, à quo ſimulatque velut e ſomno excitata fuerit, rem ſuam agens, reducit appetitum perdicis maſculi ad primum naturæ officium. Similiter, Theotime, cordi noſtro contingit: quod etſi ſit excluſum, nutritum & educatum in rebus corporalibus, humilibus & tranſitorijs, &, vt ita dicam, ſub alis naturæ; nihilominus ad primum intuitum, quo in DEUM mentis oculos conijcit, & eum cognoſcit: naturaliter illa & prima inclinatio amandi DEUM (quæ ante erat velut ſopita & imperceptibilis) eodem momento euigilat, & ex improuiſo apparet velut ſcintilla è cineribus exiliens, quæ tangens noſtram voluntatem, eam velut iaculo ſupremi amoris, qui debetur primo & ſupremo principi omnium rerum, petit.

Nobis non ineſſe naturalem potentiam DEVM amandi ſuper omnia.

Capvt XVII.

AQuilæ magno quidem gaudent corde, & magna vi ac robore ad volandum ſunt præditæ; viſus tamen earum incomparabiliter ſuperat volandi potentiam, dum longius & citius oculos extendunt, quàm alas; ita animæ noſtræ ſanctâ & naturali inclinatione animatæ aduerſus diuinitatem maiorem habent claritatem in intellectu ad videndum quantopere ſit diuinitas illa amabilis, quàm vires in voluntate ad eandem amandam. Quia peccatum longè magis debilitauit voluntatem humanam, quàm obfuſcauerit intellectum; adde, quod rebellio appetitûs ſenſualis (quem concupiſcentiam appellamus) turbat equidem etiam intellectum, ſed maximè id agit contra voluntatem, in ea principaliter excitans ſeditionem & rebellionem. Quo fit, vt miſera voluntas tota quanta iam infirma continuis aſſultibus, quibus à concupiſcentia inuaditur, agitata, nequeat tantùm facere progreſſum in amore diuino, quantùm ratio & inclinatio ei ſuggerunt faciendum.

Eheu! Theotime, quàm eximia teſtimonia non ſolùm de magna Dei cognitione, ſed etiam de potenti inclinatione aduerſùs illum, relicta ſunt à ſubtiliſsimis illis philoſophis, Socrate, Platone, Triſmegiſto, Ariſtotele, Hippocrate, Seneca, Epicteto! Socrates, inter eos maximè laudatus, clarè cognouit vnicum eſſe Deum, & non plures: quin & tantam habuit inclinationem ad eum amandum, vt, quemadmodum teſtatur S. Auguſtinus, complures exiſtimârint eum nulla alia de cauſa docuiſſe philoſophiam moralem, quàm ad expurganda Ingenia, quo melius ſupremum bonum (quod eſt ſola & vnica diuinitas) contemplarentur. Quantùm autem ad Platonem attinet, is ſatis in celebri illa definitione philoſophiæ & philoſophi ſe declarat, dum dicit: *philoſophari nihil aliud eſſe, quam DEVM amare, philoſophumq́ aliud non denotare, quàm DEI amatorem.* Quid dicam de magno Ariſtotele, qui tanta cum efficacia approbat Dei vnitatem, & tot in locis tam honorificè de ea loquitur?

Lib. 8. Ciuit. c. 3.

Apud eund. l. 8. de ciuit. c. 9.

Sed,

Digitized by Google

Sed, ô æterne Deus! tot & tam illuſtribus ingeniorum luminibus, quæ tantam de diuinitate notitiam, propenſionemque ad eandem amandam habebant, defuit robur & animus ad bene amandam. *Inuiſibilia quidem ipſius, per ea quæ facta ſunt*, intellexerunt & conſpexerunt, ſempiternamq; eius virtutẽ,& diuinitatem,inquit, S. Paulus cognouerunt: Vnde *facti ſunt inexcuſabiles*, quia *cùm Deum cognouiſſent, non ſicuti DEVM glorificârunt, aut gratias egerunt.* Aliquo quidem modo eum glorificauerunt, ei dantes excellentiſsimos honoris titulos; ſed non glorificârunt vt glorificandus erat, id eſt non glorificârunt ſuper omnia, quia vis animi defuit illis ad peſſundandam perdendamq; pudendam idololatriam, dum cõmunicantes cum idololatris, *Veritatem DEI quam cognoſcebant, in iniuſtitia captiuam in cordibus ſuis detinuerunt*, præferentes honorem, & variam ſuæ vitæ quietem honori, quem Deo debebant, *euanuerunt in cogitationibus ſuis*. Rom. 1 v. 18. & ſeqq.

Nonnè omnibus lacrymis deplorandum eſt, Theotime, quòd Socrates, Platone referente, moriens loquatur de Dijs, non aliter, quàmſi plures eſſent. Socrates inquam, qui probe nôrat vnicum eſſe? nonnè eodem modo deflendus eſt Plato, mandans & ordinans ſacrificium pluribus Dijs offerri, cui tam bene perſpecta erat veritas vnius Diuinitatis? Sed & Mercurius Triſmegiſtus, nonnè etiam lamentandus, dum lamentatur ipſe, & tam ignauè queritur de abolitione & eliminatione idololatriæ; ille inquam qui tot in locis & occaſionibus tam dignè de diuinitate loquutus fuerat? Auguſ. l. 8. Ciuit. c. 11 Auguſ. l. 8. Ciuit. c. 2. & 24.

Sed ſupra alios omnes miſerculum admiror Epictẽten, cuius ſententiæ & ſermones in lingua Gallica admodum ſunt ſuaues lectu, iuxta traductionem, quam doctiſsimus & elegantiſſimus R. P. D. Joannes à S. Franciſco, Prouincialis Congregationis Feuillantinorum in Gallijs, non ita pridem mirâ felicitate & dexteritate repræſentauit. Nam obſecro cuius cor tam poteſt eſſe durum, quod ad commiſerationem non moueatur, dum videt vel audit hunc tam excellentem philoſophum ſubinde de Deo tanto cum affectu, ſenſu & zelo loqui, vt credi poſſet Chriſtianus, iam iam egrediens ab aliqua profunda & ardente meditatione? qui tamen alibi, occurrentibus paſſim occaſionibus, facit mentionem Deorum, vt purus Ethnicus? Hem! homo iſte, (qui minimè alioquin malus videbatur) tam probè noſcens vnitatem diuinam, qui & multùm erga illius bonitatem afficiebatur, cur non zelatus eſt honorem diuinum,

uinum, vt à recta non aberraret via, in reque tanti momenti non diſſimularet?

Tandem, Theotime, miſera noſtra natura peccato vulnerata facit, vt ſolent palmæ harum frigidarum Regionum: quæ quidem imperfectos quoſdam, & immaturos producunt fructus, qui ſint velut præludia quædam, & forma fructuum, quos in locis ſibi proprijs ferre conſueuerunt, ſed vt dactylos integros, maturos & ſapidos producant, requirunt regiones calidiores, ſimili fere modo cor humanum producit naturaliter initia aliqua amoris in Deum, ſed amare eum ſupra res omnes, (quæ eſt vera maturitas amoris debiti ſupremæ bonitati) id ſolum eſt cordium, quibus preſtò eſt ſingularis fauor cæleſtis, quæque in ſtatu gratiæ firma permanent. Paruus autem iſte imperfectus amor, cuius eiaculationes ipſa natura in ſe ſentit, non eſt aliud, quàm quoddam velle, ſine velle, velle aliquid quod vellet, ſed non vult: velle infœcundum & ſterile, quod veros non producit effectus; velle euangelici paralytici, qui quidem ſalutarem diuini amoris videt piſcinam, ſed ei deſunt vires in eam ſe immittendi: Tandem hoc velle aliud non eſt, quàm abortus bonæ voluntatis, qui non habet vitam generoſi vigoris; quæ tamen requiritur, vt re ipſâ Deum præferat rebus omnibus, & de hoc vigore loquitur Apoſtolus in perſona peccatoris, dum exclamat: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.*

Rom. 7. 17. & ſeqq.

Inclinationem naturalem amandi DEVM non eſſe inutilem.

Capvt XVIII.

Siquidem nequimus naturaliter Deum amare ſuper omnia, ad quid nobis ineſt naturalis inclinatio ad hoc? tamné vana eſt natura, vt nos incitet ad amorem, quem nequeat elargiri? ad quid in nobis excitauit ſitim aquæ tam pretioſæ; quandoquidem ex ea potum nequeat nobis porrigere? Atat. Theotime, quàm bonus & miſericors fuit nobis Deus! Perfidia, quam eum offendendo patrauimus, merebatur equidem, vt priuaremur omni eius beneuolentia & fauore, quem

quem exhibiturus erat aduerſus noſtrâ naturâ, quando *lumen Vultus ſui* ſuper illam *ſignârat*, & cordi noſtro gratiam indiderat quâ ſentiret ſe propenſum ad amorẽ diuinæ bonitatis; vt Angeli videntes miſerum & miſerabilem hominẽ, haberent occaſionẽ ex affectu comiſerationis dicendi: *haccine eſt creatura perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Threr. 2. v. 15.

Verùm, infinita Dei humanitas & clementia nequiuit vnquam eſſe tam rigida & dura erga opus manuum ſuarum. Vidit nos fragili carne circumdatos, & leues velut ventum, qui dum ſuo modo currit, ſe ipſum diſſipat ac diſpergit, nec vnquam amplius redit. Ideò ſecundum viſcera miſericordiæ ſuæ, noluit nos omnino perdere, nec à nobis auferre ſignum gratiæ ſuæ, (quam proteruè agendo perdideramus) ſed benignè nobis eam elargiri, vt cum nos reſpicientes & ſentientes in nobis, hanc eius beneuolentiæ arrham & propenſionem ad eum amandum, id conaremur in effectum deducere. Adde, quòd hanc propenſionẽ nobis relinquendo, ſuſtulerit nobis occaſionem dicendi: *Quis oſtendit nobis bona?* Nam etſi per ſolam inclinationem naturalem non valeamus pertingere ad felicitatem amandi Deum, vti amandus eſt; tamen ſi nos ei rei totos quantos impenderemus, dubitandum non eſſet, quin ſuauitas diuinæ pietatis nobis medio aliquo ſuccurreret, quo adiuti, poſſemus vltrà pergere. Quod ſi obſecundaremus primo huic eius auxilio, tanta eſt paterna Dei bonitas, vt nobis aliud maius ſuppeditaret, noſque de bono in melius omni cum ſuauitate vſque ad ſummum amorem, ad quem naturalis inclinatio nos impellit, duceret. Siquidem certiſſimum eſt, quòd *ei, qui fidelis eſt in modico,* & facit quod poteſt, benignitas diuina nunquam ſit denegatura auxilium, quò ſemper magis & magis proficiat in via ſalutis.

Inclinatio igitur amandi Deum ſuper omnia, quam à natura habemus, non gratis manet in cordibus noſtris. Nam quantùm ad Deum, inclinatione illa vtitur velut quâpiam anſâ, vt ſuauiter nos capiat, captoſq; ad ſe retrahat. Et quidem iſta impreſſione videtur diuina bonitas modo aliquo tenere noſtra corda affixa, velut paruas quaſdam auiculas per filum: quo, quandò placet diuinæ eius miſericordiæ noſtri miſereri, poſſit nos attrahere; quantùm autem ad nos, illa inclinatio eſt nobis inſtar alicuius indicis & memorialis primi noſtri principij & creatoris, ad cuius amorem illa nos incitat, præbens nobis ſecretum quod-

dam monitum, quo monemur, nos ad eius diuinā bonitatem pertinere, eo fere modo quo Cerui ad magnos Principes pertinent poſtquam ſubinde captis ſuis cum inſignibus imponunt collaria, & ſic deinde in nemora liberos dimittunt. Qui Cerui hoc modo libertate donati ab obuijs quibuſque non ſolùm fuiſſe ſemel capti cognoſcuntur; ſed præterea, quod illis ſolis Principibus,quorum in collo gerunt inſignia, reſeruentur. Et hoc modo olim innotuit extrema vnius cerui ſenectus, qui, vt referunt nonnulli Hiſtorici, trecentis annis poſt mortem Cæſaris fuerat vnà cum collari captus, cui inerat Symbolum Cæſaris,&hæc verba inſcripta: CÆSAR ME LIBERVM FECIT.

Honorabilis hæc inclinatio, quam Deus impreſſit noſtris animabus, facit profectò, vt, tum amici, tum inimici noſtri cognoſcant nos non ſolùm fuiſſe noſtri Creatoris, ſed (quamuis nos dimiſerit, atque liberos nos noſtro reddiderit arbitrio) nihilominus nos ad eum totos quantos ſpectare: quia ius nos ad ſe etiamnùm ſibi reſeruauit recipiendi, vt nos ſaluet, prout eius diuina & ſuauis prouidentia exegerit. Inde eſt, quòd magnus ille Propheta Regius vocet hanc inclinationem non ſolùm lumen; eò quòd illa nos faciat videre, quò pergere debeamus: ſed etiam gaudium & lætitiam nobis pariat, dum nos in noſtro velut exilio conſolatur, dando nobis ſpem, quòd is qui nobis impreſſit & impreſſam reliquit eximiam hanc noſtræ originis notam, adhuc prætendat, ſumméque ad ſe nos reducere deſideret, ſi tamen ſimus tam felices, vt iterum à diuina eius bonitate nos capi ſinamus.

LIBER

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA

De

GENERATIONE ET CÆLESTI ORTV, DIVINI AMORIS.

LIBER SECVNDVS.

Perfectiones Diuinas, non eſſe niſi vnam, ſed infinitè perfectam.

CAPVT I.

DICIMVS, ſolem quando in ſuo ortu eſt ruber, & ſtatim fit niger, vel cauus, & velut euaneſcens; vel certè, quando in occaſu eſt pallidus, triſtis & ſubhorridus, indicare futuram pluuiam.

Theotîme, ſol neque eſt ruber, neque niger, neque pallidus, neque leucophæus, neque etiam viridis, &c. Hoc enim magnum luminare nullis viciſsitudinibus, nullis colorum mutationibus ſubiectum eſt. Pro omni autem colore habet clariſſimum & perpetuum lumen ſuum, quod de eo

accidat miraculo, ſemper eſt inuariabile. Sed nos hoc modo de eo loquimur, quia nobis talis videtur iuxta varietatem vaporum, qui inter noſtrum aſpectum, & illum congregantur. Ii, ij ſunt, qui eum nobis apparere faciunt diuerſimodè.

Miſcemus nos ſermones de Deo, non tam ſecundum id quod ille eſt in ſe ipſo, quàm ſecundum eius opera, quibus interuenientibus, eum contemplamur. iuxta enim diuerſas noſtras conſiderationes, diuerſimodè eum nuncupamus; non ſecus atque ſi magnam multitudinem differentium excellentiarum & perfectionum haberet. Si eum conſideremus quà punit malefactores, eum iuſtum nominamus; ſi quà liberantem à miſeria peccatorem, eum miſericordem prædicamus; ſi quà creantem res omnes, & complura facientem miracula, omnipotentem vocamus; ſi quà exactè adimplentem ſua promiſſa, fidelem & veracem publicamus; ſi quà facientem omnia *in pondere & menſura*, ſapientem appellamus. Et ita conſequenter iuxta varietatem operum, quæ patrat, ei magnam diuerſitatem perfectionum attribuere conſueuimus. Sed interim in Deo neque varietas, neque differentia vlla perfectionum eſt, ſed ille ipſe ſolus & vnus ſummè ſimplex, ſumméque vnica perfectio. Nam quicquid in illo eſt, ille ipſe eſt, & omnes excellentiæ, quas ei ineſſe dicimus in tanta, tamque ampla diuerſitate, ſunt in ſimpliciſſima & in vna puriſsima vnitate. Et quemadmodum Sol nullum eorum colorum, quos ei nos attribuimus, habet, ſed ſolùm clariſſimum lumen, quod eſt ſupra omnes colores; quin & viſibiliter coloratos efficit colores omnes. Ita in Deo nulla earum perfectionum, quas nobis imaginamur, eſt; ſed vna ſola puriſſima excellentia, quæ eſt ſuper omnem perfectionē, ex qua omne, quod perfectum eſt, ſuam accepit perfectionem.

Porrò, nominare perfectè ſupremam hanc excellentiam, quæ in ſingulariſſima ſua vnitate omnes comprehendit, imò ſuperat, non eſt in poteſtate creaturæ, non dico humanæ, ſed ne Angelicæ quidem. Nam vt dicitur in Apocalypſi: *habet nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe.* Eò quòd ipſe ſolus infinitam ſuam cognoſcat perfectionem, ſolus item eam poſſit exprimere nomine ſibi proportionato. Vnde antiqui dixerunt neminem eſſe verum Theologum, niſi Deum, eò quòd nemo poſsit omnino cognoſcere magnitudinem infinitæ diuinæ perfectionis, nec cōſequenter eam verbis repræſentare, niſi ille ſolus. Ac proinde Deus c. 19.

reſpon-

reſpondens per Angelum Patri Samſonis, qui eius nomen ſciſcitabatur dicens: *Quod eſt tibi nomen, vt ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* Cui ille reſpondit; *cur quæris nomen meum,* quod eſt admirabile? quaſi vellet dicere, nomen meum poteſt ſuſpici ab homine, ſed minimè pronunciari, itē adorari, ſed non comprehendi, mihi enim ſoli id competit, qui ſolus ſcio proferre nomen proprium, quo verè & genuinè meam expleo excellentiam. Iudic. 13. 17.

Ingenium noſtrum infirmius & debilius eſt, quàm vt formet cogitationem repræſentantem immenſam Dei excellentiam, quæ comprehendit in ſimpliciſſima ſua & maximè vnica perfectione diſtinctè & perfectè omnes alias perfectiones; & hoc, modo tam infinitè excellenti & eminenti, vt ingenij noſtri infirmitas minimè valeat penetrare. Vnde vt modo aliquo de Deo loquamur, cogimur vti multitudine nominum, dicendo quod ſit bonus, ſapiens, omnipotens, verax, iuſtus, ſanctus, infinitus, immortalis, inuiſibilis, &c. Et hoc modo de Deo loquendo loquimur conformiter veritati, Deus enim ſimul eſt iſta omnia; imò & plus quàm iſta omnia: quod eſt dicere: eſt tam purus, tam excellens, & tam ſublimis, vt in vna ſimpliciſſima perfectione habeat virtutem & excellentiam omnium perfectionum.

Ita Manna vnicus erat cibus, de quo, cùm in ſe comprehenderet ſaporem virtutémque omnium aliorum ciborum, dici potuit habuiſſe ſaporem malorum citreorum, melonum ſeu peponum, vuarum, prunorum, pyrorum, &c. Verùm melius adhuc fuiſſet dictum, non habuiſſe varietatem tot ſaporum, ſed vnicum tantum, qui illiuſmet erat, continens illo vnico ſuo ſapore, quicquid gratum, quicquid deſiderabile in omni diuerſitate aliorum ſaporum inueniebatur. Sicuti herba dicta Dodecathos, quæ, inquit Plinius, licet ſanet omnes infirmitates, non eſt tamen neque reubarbarum, neque folium Senis, neque Betonica, neque Bugloſſum, ſed ſola ſimplex herba, quæ in vnica ſimplicitate ſuæ proprietatis, tantam habet virtutem & fortitudinem, quantam omnia alia medicamenta ſimul ſumpta. O Deus, abyſſe perfectionum diuinarum, quàm es admirabilis, quòd in vnica perfectione poſſideas excellentiam omnium perfectionum, & hoc, modo tam excellenti, vt nemo eam poſſit comprehendere, niſi *tu ſolus, qui potens es.* Eccleſ.

Multa, inquit Scriptura, *dicemus, & deficiemus in verbis: conſummatio autem* 43. 29.

ſermonum ipſe eſt in omnibus. gloriantes ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude. *Exaltantes eum replemini virtute. ne laboretis, non enim comprehendetis.* Sic eſt, Theotîme, nunquam eum poterimus comprehendere, ille ſiquidem, vt dicit S. Joannes, *maior eſt noſtro corde*; ſed quia *omnis ſpiritus laudat Dominum,* nuncupando eum omnibus nominibus (quæ inueniri poſſunt) eminentiſſimis: nos pro laude maxima, quam ei dare poſſumus, confiteamur eum nunquam ſat poſſe laudari, & pro Excellentiſsimo nomine, quod ei attribuere poſſumus, proteſtemur eius nomen *eſſe ſuper omne nomen,* quod ne dignè quidem poſſumus nominare.

Vnum ſolùm DEO *ineſſe actum, qui eſt propria eius diuinitas.*

Capvt II.

HAbemus magnam diuerſitatem facultatum & habituum, qui etiam ipſi magnam varietatem actionum producunt, ſed & actiones ipſæ multitudinem incomparabilem operum efficiunt. Nam exempli cauſâ æquè ſunt diuerſæ facultates, videndi, audiendi, guſtandi, tangendi, ſe mouendi, intelligendi, volendi, &c. & vſus & habitus loquendi, ambulandi, ludendi, cantandi, currendi, ſaltandi, nandi, &c. atque ſunt actiones & opera (quæ proueniunt à facultatibus & habitibus) comprimis differentia.

In Deo autem nihil reperitur ſimile, in quo non eſt niſi vna ſimpliciſſima & infinita perfectio, cui perfectioni non niſi vnicus ſolus puriſsimuſque ineſt actus; imò verò ſanctius & ſapientius loquendo, Deus eſt vnica ſola, & ſummè vnica, & vnicè ſumma perfectio. Et perfectio hæc, vnicus eſt actus puriſsimè ſimplex, & ſimpliciſsimè purus: qui cùm aliud non ſit, quàm propria eſſentia diuina, conſequenter permanet ſemper æternus. Et nihilominus nos miſeri & ignari homunciones, ita de Dei actionibus loquimur, ac ſi quotidie in magna quantitate & varietate nouas ac nouas ipſe produceret, licet ſciamus contrarium. Sed

ad id,

ad id, Theotime, ob noſtri ingenij imbecillitatem cogimur. Noſtra enim loquendi forma ſequitur noſtrum intelligendi modum, qui non eſt alius quàm is, quo quotidie res apud nos gigni & produci videmus.

Porrò quia in rebus naturalibus fere nihil diuerſitatis operum fit, niſi per diuerſitatem actionum: quando nos videmus opera inter ſe tam differentia, tam magnam varietatem productionum, & propè innumerabilem multitudinem operum potentiæ diuinæ, continuò nobis videtur, quòd diuerſitas iſta fiat per tot actus, quot effectus productos videmus differentes: de quibus eodem modo, pro maiore noſtro commodo, & iuxta communem ac ordinariam conſuetudinem res intelligendi loquimur. Nec timendum nobis eſt, ne in hoc loquendi modo lædamus veritatem; nam etſi in DEO non ſit vlla multitudo actionum, ſed vnicus & ſolus actus, qui eſt ipſamet diuinitas, iſte tamen actus, tam eſt perfectus, vt excellentiſſimo modo vim & virtutem omnium actuum comprehendat, qui nobis videntur neceſſarij pro omni diuerſitate effectuum, quos intuemur. DEUS non niſi vnicum dixit VERBUM, & virtute illius vno momento facta ſunt, Sol, Luna, & innumerabilis multitudo aſtrorum cum ſuis differentijs in claritate, in motibus, & influentijs. Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Pſ. 148.

Vnum iſtud DEI verbum aërem repleuit auibus, mare piſcibus, eduxit è terra omnis generis plantas, & omnia, quæ oculis intuemur, animalia procreauit.

Nam etſi Hiſtoricus ſacer, accommodans ſe noſtro intelligendi modo, DEUM ſæpius hoc omnipotens verbum, FIAT, in diebus creationis mundi repetentem inducat, nihilominus, propriè loquendo, verbum iſtud fuit vnicum, quod Dauid Rex & Propheta vocat flatum vel ſpiritum Diuini oris: id eſt vnicum, & ſolum iactum, ſeu tractum voluntatis, qui ita potenter virtutem ſuam in varietatem rerum creatarum effundit, vt ab hoc eum concipiamus velut multiplicatum & variatum in tot differentias, quot exiſtunt effectus. Licet in rei veritate ſit vnicus & ſimpliciſſimus actus. S. Chryſoſtomus perappoſitè notauit id, (quod Moyſes pluribus verbis, mundi creationem deſcribens, extulit) S. Joannem Euangeliſtam vnico expreſſiſſe verbo, dum dixit: per VERBUM, id eſt per hoc ÆTERNUM VERBUM quod eſt filius DEI, *omnia facta ſunt*.

Verbum igitur hoc, Theotîme, cùm ſit ſimpliciſſimum, ſolum, & vnicum, & manens immutabile, producit omnium rerum diſtinctionẽ, bonas & felices rerum viciſſitudines gignens, & tandem in ſua æternitate perdurans, rerum omnium ſucceſsiones, mutationes, ordines, & opportuna exhibet tempora.

Nobis, obſecro, vna ex parte pictorem quempiam conficientem Chriſti naſcentis imaginem ob oculos ſtatuamus; (& ego diebus dedicatis ſancto iſti myſterio, hoc ipſum ſcribo) is dubio procul prope innumeris vicibus per eam, antequam ei ſupremam manum imponat, ducit penicillum, & non ſolum dies, ſed & hebdomadas, atque etiam fortè menſes in ea elaboranda inſumit, & id iuxta multitudinem & varietatem perſonarum, aliarumq; rerum, quas in ea tabella repræſentare intendit; ex altera autem parte intueamur Impreſſorem imaginum habentem in promptu folium, quod vult impreſſum ſupra tabellam, in ligno vel in ære aptè exciſam de eiuſdem myſterio Natiuitatis: hic vno præli tractu eam exprimit, Theotîme, & totum ſuum opus pene momento conficit, è forma eximens perelegantem imaginem: quippe quæ ad viuum repræſentat omnia, quæ perfectæ imagini, iuxta ſacram hiſtoriam, debentur. Et quamuis non niſi motum vnum in imagine è prælo educenda ediderit, tamen magnam multitudinem perſonarum, & res alias inter ſe differentes, ita apto ordine, ſerie, loco, diſtantiâ, & proportione diſtinctas oculis intuentium ea cum jucunditate ſubijcit, vt qui ſecretum ignoraret, obſtupeſceret, videndo tot effectus tanta cum varietate prodire. **Ita, Theotime, natura velut pictor multiplicat, & variat actus eâ menſurâ, quâ eius opera inter ſe diſtinguuntur. Ad quæ opera producenda, maximè ſi magna ſint, magno & longo ei opus eſt tempore. Et Deus, velut impreſſor, omni diuerſitati creaturarum, quæ vnquam fuerunt, ſunt, & adhuc futuræ ſunt, vnico tractu omnipotentis ſuæ voluntatis dedit exiſtentiam; educens ex ſua idea, velut ex forma aliqua artificioſè exculpta, admirabilem hanc, quam oculis intuemur perſonarum & rerum aliarum differentiam, quæ per tempora, per ætates, & ſæcula ſeſe continuant: vnaquæque autem ſuo ordine, iuxta quod debet exiſtere in rerum natura: opponente ſeſe hac ſupremâ diuini actus vnitate omni omnino confuſioni & inordinationi, minimè autem diſtinctioni vel varietati, quam illa, è contrario, adhibet ad inducendam**

rebus

Digitized by Google

rebus pulchritudinem, reducens omnes differentias & diuerſitates ad rectam proportionem, & proportionem ad ordinem, tandemq; ordinem ad vnitatem totius mundi: qui mundus comprehendit omnes res creatas, tam viſibiles, quàm inuiſibiles, omnéſque ſimul ſumptæ vocantur VNIVERSVM: fortè ideo, quia omnis earum diuerſitas reducitur ad vnitatem, ſonatque quaſi vni diuerſum, id eſt vnicum, & diuerſum, & vnicum cum diuerſitate, diuerſumq; cum vnitate.

Paucis, ſuprema diuina vnitas variat omnia, & permanens eius æternitas, rebus omnibus exhibet viciſſitudinem. Et hoc ex eo, quòd perfectio huius vnitatis dominans ſuper omnem differentiam & varietatem, habet vnde ſuppeditet exiſtentiam omni omnino diuerſitati perfectionum creatarum, nec non vim, & robur ad eas producendas. In cuius rei ſignum cùm ſcriptura retuliſſet, quòd DEVS in principio dixit: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos.*; etiam nunc iſtam perpetuam reuolutionem & continuationem temporum ac tempeſtatum videmus, quæ ad finem vſque mundi duratura ſunt: vt nos edoceat, quod quemadmodum vnicum verbum eius mandatorũ ſufficit omnibus eius motibus, & productionibus, *Verbo enim Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ*, ita ſola & æter- Pſal. 32
na voluntas diuinæ eius Maieſtatis extendit vim & fortitudinem ſuam in ſæculum ſæculi, imò vſque in ſæcula ſæculorum, pro omni eo, quod vnquam fuit, quod eſt, & quod in æternum futurum eſt, nulla omnino re habente exiſtentiam aliunde, quàm ab iſto ſolo, vnico, ſimpliciſsimo, & ſempiterno actu diuino: cui ſit honor & gloria, Amen.

De prouidentia diuina in genere.

CAPVT III.

DEVS igitur, Theotime, non eget pluribus actibus, ſiquidem vnius eius omnipotentis voluntatis actus ſuffícientiſsimus eſt ad productionem omnis varietatis omnium eius operum; & hoc, ob infinitam eius perfectionem: verùm nos mortales debemus agere iuxta eam methodum & modũ, quem intelligimus: quemq;

exigua.

exigua noſtra ingenia aſſequi, & attingere poſſunt. Secundum quem, vt loquamur de diuina prouidentia, conſideremus, amabò, Regnum magni Salomonis, velut exactiſsimam formam, & exemplar bene & feliciter regnandi.

Magnus igitur hic Rex, ſciens, Rempublicam ita arctè iunctam eſſe debere Religioni, atque corpus animæ, & viciſſim Religionem Reipublicæ, vt animam corpori: apud ſe ipſum ſeorſim de omnibus partibus requiſitis tam ad Religionem ſtabiliendam, quàm ad rempublicam ritè ordinandam, accuratè diſpoſuit. Et quidem quod ad Religionem attinet, determinauit ædificandum eſſe templum, quod tantæ eſſet longitudinis, latitudinis & altitudinis, quodque tot haberet porticus, tot atria, tot feneſtras; & ita de cæteris, quæ pertinebant ad templum; deinde de tot conſtituendis Sacerdotibus, tot cantoribus, & alijs templi adminiſtris cogitauit. Quantum autem ad Rempublicam, Palatium ſeu domum Regiam Maieſtate ſua extruere dignam decreuit: inqua tot eſſent Aulæ Præfecti, tot Nobiles, totque alij aulici. Pro bono autem populi conſtituit iudices & magiſtratus, qui ei iuſtitiam exactè adminiſtrarent. Deinde vt omni è parte cautum eſſet Regno, & ſecuritas publicæ quieti (qua vnicè gaudebat) præſtaretur, ſtatuit tempore pacis habere potentem Belli apparatum, eumque in finem creauit 250. Duces diuerſis in officijs & prouincijs; quadraginta item millia equorum in promptu habere voluit, quid multis? quicquid ſacra ſcriptura & hiſtoria meminerunt, in belli præparationem habere voluit.

Porrò, vbi ſic apud ſemetipſum de omnibus præcipuis ad regnum ſpectantibus partibus conuertens ſe ad actum prouidentiæ, cum animo ſuo rationem iniuit de omnibus, quæ requirebantur ad templum exſtruendum; ad ſuſtentandos ſacerdotes, alioſque ſacros Miniſtros, & Magiſtratus Regios, nec non & milites; de quibus apud ſe prima iecerat lineamenta: decreuit mittere ad Hiram, vt ligna neceſſaria haberet; faciendo principium à Peru, in Ophir; & tandem complecti omnes modos conuenientes, vt res omnes requiſitas in promptu haberet pro ſuſtentatione, & bona adminiſtratione eorum omnium, quæ animo conceperat.

Sed nec his contentus fuit Theotime, quia poſtquam in animo fundamenta iecerat, & apud ſeipſum de medijs exequendi, cogitârat, veniens

Digitized by Google

veniens ad praxin, omnes miniſtros & officiales, iuxta quod apud ſe diſpoſuerat, creauit. Et pro felici regimine curauit fieri prouiſiones neceſſarias, tum ad officialium ſuſtentationem, tum ad adminiſtranda & exequenda, quæ eis contulerat, officia, ſic, vt cùm haberet ſcientiam artis bene regnandi, felicitèr diſpoſitionem, quam apud ſe fecerat pro creandis diuerſis officialibus, executus fuerit, inque effectum ſuam prouidentiam per bonam gubernationem, quâ vſus fuit, reduxerit: Atque ita ars, quæ docebat regnare, vt oportet, quæque conſiſtebat in cognitione & in prouidentiâ, cæpit haberi in vſu per creationem Magiſtratuum, per adminiſtrationem omnibus numeris abſolutam, & felicem gubernationem. Sed cùm diſpoſitio ſit inutilis abſque creatione & inſtitutione eorum, qui munera obeant, & ipſa etiam creatio vana abſque prouidentia, quæ reſpicit ad id, quod neceſſarium eſt pro conſeruatione conſtitutorum miniſtrorum, cumque tandem iſta conſeruatio, quæ fit per bonam adminiſtrationem, nihil aliud ſit: quàm intima quædam prouidentia, ideò, non ſolùm diſpoſitio, ſed etiam creatio, & bonum regimen Salomonis nuncupata fuerunt, nomine prouidentiæ. Vnde non dicimus hominem habere prouidentiam niſi quando videmus eum bene gubernare.

Nunc demum, Theotime, loquendo de rebus diuinis iuxta impreſsionem quam hauſimus ex conſideratione rerum humanarum, dicimus Devm habuiſſe æternam & perfectiſsimam cognitionem artis mundi pro gloria ſua fabricandi; ante omnia autem in diuino ſuo intellectu omnes præcipuas partes vniuerſi, quæ ei honorem exhibere poterant, diſpoſuiſſe. Intellige naturam Angelicam & humanam; & in Angelica quidem varietatem Hierarchiarum & ordinum, quos tum ſacræ literæ, tum eximij Doctores nos edocent; in humana autem, ſeu inter homines ſtatuit, vt maxima, quam videmus, eſſet diuerſitas. Deinde in hac ipſa æternitate præuidit & ordinauit apud ſemetipſum, & de omnibus medijs requiſitis pro hominibus & Angelis vt tum hi, tum illi ſuum finem, quem illis deſtinauit aſſequerentur. Atque ita fecit actum ſuæ prouidentiæ. Nec tamen ibi hæſit Dominus Devs, ſed diſpoſitionem ſuam exequens, re ipſa Angelos & homines creauit, ſuamque prouidentiam in effectum deduxit, dum in diuini ſui regiminis miniſterio ſuppeditauit, & nunc etiam ſuppeditat omne id, quod opus eſt creaturis ratione prædi-

Digitized by Google

ditis ad perueniendum ad gloriam. Et ſic, vt verbo dicam, *ſuprema prouidentia aliud non eſt, quàm actus, per quem DEVS vult prouidere hominibus & Angelis de mediis neceſſariis, vel vtilibus ad finem ſuum conſequendũ.* Sed quia media iſta diuerſi ac varij generis ſunt, variamus nos etiam nomen prouidentiæ; & dicimus vnam prouidentiam eſſe naturalem, & alteram ſupernaturalem: & hanc quidem dicimus eſſe vel generalem vel ſpecialem, aut etiam particularem.

Et quia poſthac te adhortaturus ſum, Theotime, tuam vt iungas voluntatem prouidentiæ diuinæ, interim vſq; dum de ea ex inſtituto loquar agamque, tibi verbum vnum, vel alterum de naturali indicare minimè pigebit.

Deus volens prouidere homini de medijs naturalibus, quibus ei opus eſt ad diuinam eius bonitatem laudandam, in fauorem illius produxit omnia alia animalia, ſicut & plantas. Vt autem etiam prouiſum eſſet his, ſcilicet animalibus & plantis, magnam varietatem optimorum territoriorum, commodarum tempeſtatum, dulcis aquæ feracium, fontium, & fauentium ventorum pluuiarumq; produxit. Et hoc tam in bonum hominis, quàm aliarum rerum, quæ illi, vt proprio Domino, deſeruiunt: creauit elementa, cælum & aſtra, eaq; modo & ordine tam admirabili ſtabiliuit, vt fere omnes creaturæ vice mutuâ ſibi deſeruiant. Equi exempli cauſa nos portant, nos eorum vice versâ curam, pabulum ijs præbendo, &c. gerimus. Oues nos nutriunt & veſtiunt, nos autem eas paſcimus. Terra immittit aëri vapores, aër viciſſim pluuias terræ; manus ſeruit pedi, & pes portat manum. O! qui commercia, & cõmunem negotiationum, quæ creaturæ inter ſe vicariâ operâ exercent, claris intueretur oculis, quot telis & ſtimulis ſuauiſsimi amoris incitaretur, vrgereturque ad exclamandum aduerſus ſupremam ſapientiam. *Prouidentia tua, ò magne & æterne Pater*: gubernat omnia. Sancti, Baſilius & Ambroſius in ſuis operibus, quæ nominârunt Hexameron, ſiue ſex dierum op⁹; Eximius itẽ P. Ludouicus Granatenſis in ſua introductione ad ſymbolum, nec non R. P. Ludouicus Richeome, in complutibus eximijs ſuorum opuſculorum locis multum lucis & auxilij impartientur animabus cælo natis, vt in hoc proficiant argumento.

Ita chare, Theotime, prouidentia hæc pertingit ad omnia, omnibus dominatur, omnia gubernat, eaq; dirigit ad ſuam gloriam. Inue-

niuntur

Digitized by Google

ueniuntur tamen caſus fortuiti, accidentia inopinata; ſed nobis ſolùm caſus illi ſunt fortuiti, & accidentia inopinata; certiſſima autem ſunt prouidentiæ cæleſti; quæ & ea præuidet & deſtinat publico bono totius vniuerſi. Porrò hi fortuiti caſus fiunt ex concurſu plurium cauſarum, quæ cùm coniunctionem & affinitatem non habeant inter ſe, earum quælibet ſuum effectum particularem producit; eo tamen modo, vt earum concurrentia nanciſcatur effectum alterius naturæ; cui effectui (abſque eo quòd potuerit præuideri) omnes cauſæ differentes aliquid contribuerunt. Erat, exempli causâ, rationi conſentaneum, vt curioſitas & ſuperſtitio Æſchyli Poëtæ caſtigaretur: is enim cùm ab aliquo Augurum ſeu fatiloquorum didiciſſet, futurum, vt obrutus ruinâ alicuius domûs moreretur, die illo toto in plano & raſo campo, ad euitandum prædictum fatum, vni loco fixus, capite nudato demoratus eſt: Aquila inter ſuos vngues in aëre teſtudinem tenens, & videns caluum Poëtæ caput, rata eſſe cacumen alicuius rupis, rectà ſuper illud teſtudinem demiſit, quo ex caſu Æſchylus ecce ſubitò moritur. Erat, dubio procul caſus fortuitus: homo enim ille haud ſe ad campum contulerat vt moreretur, ſed vt mortem effugeret: at neque Aquila in partes comminuturam ſe credidit caput Poëtæ; ſed bene tegmen & caput teſtudinis, nec non poſtea carnes eius ſe voraturam exiſtimauit, at ſecus prorſus accidit: quia teſtudine ſalua permanente, miſer Æſchylus caſu eius extinctus eſt.

Secundùm nos caſus ille fuit inopinus, ſed reſpectu diuinæ prouidentiæ, quæ ex altiori ſpecula concurrentiam cauſarum contemplatur, fuit actus iuſtitiæ, quo ſuperſtitio illius hominis fuit punita.

Caſus Joſephi Patriarchæ varietate fuerunt admirandi & velut tranſitus quidam ab vno extremo ad aliud ſine medio. Eius fratres, qui, volentes eum perdere, vendiderant, videntes eum eſſe Vice-Regem Ægypti, obſtupuerunt, & ſupra quàm dici poteſt timuerunt, ne illatæ iniuriæ apud illum vulnus recrudeſceret; at Joſeph dixit ad eos: Gē. 44. & 50.
Nolite timere, non veſtro conſilio, ſed DEI voluntate huc miſſus ſum, cogitabatis de me malum, ſed DEVS vertit in bonum.

Tu vides, Theotime, quòd mundus vocaſſet fatum, vel euentum fortuitum id, quod Joſeph dixit factum CONSILIO PROVIDENTIÆ DIVINÆ: quæ dirigit & deducit cauſas omnes ad ſuum obſequium. Et

I 2 ita

ita eſt de omni eo, quod fit in mundo, etiam de monſtris: quorum ortus facit vt opera perfecta & abſoluta pluris æſtimentur, maioremque producit admirationem, & ſimul prouocat ad philoſophandum, formandaſque præcipuas complures bonas cogitationes. Et tandem ſunt id in vniuerſo, quod vmbræ in tabulis ſeu imaginibus, quæ magnam illis conferunt gratiam, nec non picturam plurimùm illuſtrant.

De prouidentia Supernaturali, quam DEVS exercet erga creaturas rationales.

CAPVT IV.

Qvidquid Deus fecit, ad hominum Angelorumq́; ſalutem deſtinauit: eius autem ordo prouidentiæ, (quantùm ex ſacris litteris & doctrina antiquorũ poſſumus eum aſſequi, & ingenij noſtri infirmitas ſinit nos de eo loqui) hic eſt.

Deus ab æterno cognouit, quòd poſſet producere innumerabilem multitudinem creaturarum, habentium ab inuicem diuerſas perfectiones, & circumſtantias, quibus poſſet ille ſe communicare; & conſiderans quod inter omnes modos ſe communicandi, nihil eſſet excellentius, quàm coniungere ſe alicui naturæ creatæ, tali modo, vt creatura illa velut inſita & immiſſa diuinitati, cum illa tantùm vnam efficeret perſonam: nec mora, infinita eius bonitas, quæ ex ſe ipſa, & per ſemetipſam propendebat ad huiuſmodi communicationem, ſtatuit & decreuit talem aliquam producere creaturam; vt quemadmodum ab æterno eſt communicatio eſſentialis in Deo, per quam pater communicat totam ſuam infinitam & indiuiſibilem diuinitatem Filio, eum generando, & Pater & filius ſimul ſpirando Spiritum Sanctum, ei etiam propriam ſuam & vnicam communicant diuinitatem; Ita dulcedo illa ſuprema adeò perfectè communicata fuit ad extra vni creaturæ, vt natura creata, & diuinitas, retinentes ſuas proprietates, taliter tamen eſſent vnitæ ſimul, vt vnicam tantum efficerent perſonam. Inter

Inter omnes autem creaturas, quas omnipotentia diuina creare poterat, viſum ei fuit eligere eandem humanitatem, quæ poſtea re ipſa iuncta fuit perſonæ DEI filij; cui incomparabilem honorem vnionis perſonalis diuinæ eius Maieſtati debitam, deſtinauit, vt æternùm, per ſingularem excellentiam, theſauris infinitæ eius gloriæ frueretur. Exaltatâ tam feliciter ſacrâ humanitate Chriſti Saluatoris, ſuprema prouidentia, decreuit non amplius retinere ſuam bonitatem in ſola perſona dilecti filij ſui, ſed, in fauorem illius, eam communicare compluribus creaturis, & generaliter, innumerabili multitudini rerum, quas poterat producere; elegit autem ſtatuitque creare homines & Angelos, qui & comitatum & ſocietatem eius filio præberent, eius denique gratias & gloriam participarent, nec non eum æternaliter laudarent ac adorarent. Et quia DEUS vidit ſe pluribus modis in rerum natura poſſe producere humanitatem filij ſui, eum verum hominem efficiendo; vt exempli gratiâ eam creando ex nihilo, non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus; vel certè formando corpus ex materia quapiam præcedente, vti formauit Adam & Euæ corpora; vel etiam viâ generationis ordinariæ operâ viri & fœminæ; vel tandem per generationem extraordinariam fœminæ, viro non concurrente; & hoc poſteriori modo ſtatuit rem exequi. Inter omnes autem fœminas, quas hunc in finem eligere poterat, elegit Sanctiſsimam Virginem MARIAM, Dominam noſtram, cuius interuentu Saluator animarum noſtrarum, non ſolùm eſſet homo, ſed etiam infans generis humani.

Vltra hoc, prouidentia Diuina ſtatuit reliquas alias res, tam naturales, quàm ſupernaturales in gratiam Saluatoris producere, vt tum Angeli, tum homines ei ſeruiendo eius gloriæ participes fieri poſſent. Et ex conſequenti, quamuis Deus creare voluerit tam Angelos, quàm homines præditos libero arbitrio, liberos verâ libertate, quâ tum bonum, tum malum poſſent eligere, tamen, vt teſtificaretur ex parte bonitatis diuinæ eos dedicatos & deſtinatos eſſe ad bonum, & ad gloriam, omnes creauit in iuſtitia originali. Quæ alia non erat res, quàm amor ſuauiſſimus, qui eos diſponebat, coronabat & deducebat ad ſempiternam felicitatem.

Verùm quia ſuprema hæc bonitas ſtatuerat taliter miſcere amorem iſtum originalem cum voluntate ſuarum creaturarum, vt amor

Digitized by Google

vim non inferret voluntati, ſed ei relinqueret libertatem, præuidit partem vnam (ſed minorem ex natura Angelica) voluntariè deſerturam ſanctum illum amorem, & conſequenter perdituram gloriam. Et quia Natura Angelica peccatum iſtud patrare non potuerat abſque expreſſa malitia, ab ea ſiquidẽ omnis aberat tentatio, & ſtimulus ad malũ, Ob quæ illa aliquo modo poſſet excuſari; & quòd aliàs longè maior pars illiuſmet naturæ Angelicæ manſura eſſet firma in ſeruitio Saluatoris, ideò Deus, qui tam amplè glorificauerat ſuam miſericordiam, intuitu creationis Angelorum, voluit etiam ſuam iuſtitiam magnificare, & in ſuæ indignationis furore infelix & maledictum illud agmen perfidorum, qui in furia ſuæ rebellionis ſe tam turpiter deſeruiſſent, ſtatuit in ſempiternum perdere.

Probè etiam præuidit futurum, vt primus homo ſua abuteretur libertate, & deſerens gratiam, perderet gloriam. Verum enimverò noluit tam rigidè & duriter naturam humanam, vti ſtatutum ei erat Angelicam, tractare. Adde quòd ea natura erat humana, ex qua decreuerat aſſumere partem vnam comprimis felicem, quam vniret ſuæ diuinitati; inſuper vidit eſſe naturam perquam imbecillem, & velut ventum, qui it, & nunquam redit, id eſt, qui ſe eundo diſſipat: reſpexit etiam ad oppreſſionem ſubitaneam, quâ Satanas obruit primum hominem, nec non ad magnitudinem tentationis, quâ hoſtis eum perdidit. Sed nec tacendum eſt, quod vidit omne hominum genus perire culpâ vnius. Quare eas ob cauſas oculis miſericordiæ ſuæ reſpiciens noſtram naturam, ſtatuit noſtri miſereri.

At, vt ſuauitas ſuæ miſericordiæ ornaretur pulchritudine iuſtitiæ, decreuit hominem ſaluare viâ admodũ rigidæ duræq; redemptionis. Quod opus cum non facile in effectum per alium deduci poſſet, quàm per Filium, voluit, vt is homines redimeret, non tantùm per vnam aliquam amoris pleniſſimam ſuarum actionum, quæ tamen abundè ſuffeciſſet ad redimendos millenos mundorum milliones, ſed etiam per innumerabiles, imò infinitas actiones ardentiſſimæ charitatis, paſſioniſque acerbiſſimos dolores, quos laturus erat vſque *ad mortem, & mortem quidem crucis*, cui Pater eum deſtinauit: volens hoc modo fieri participem & ſocium noſtrarum miſeriarum, vt deinde ille nos efficeret ſocios & conſortes ſuæ gloriæ; vt, ſic agendo per copioſam, abundantem,

dantem, imò ſuperabundantem, ac magnificam exceſſiuamque redemptionem oſtenderet diuitias bonitatis ſuæ: tali enim in redemptione nobis acquiſiuit & conquiſiuit omnes modos neceſſarios, ad indipiſcendam gloriam ſempiternam: adeò vt nemo verè vnquam poſſit queri ſe deſeri à diuina miſericordia.

Diuinam prouidentiam hominibus prouidiſſe de copioſiſſima redemptione.

CAPVT V.

PОrrò Theotime, dũ dixi Deum vidiſſe primò rem vnam, &pòſt alteram ſeruantem ordinem in ſuis voluntatibus, VIDISSE & VOLVISSE, intellexi eo modo, quo antè declaratum eſt, ſcilicet, quòd, quamuis omnia apud Deum tranſigantur vno ſimpliciſſimo actu, nihilominus per illum non turbatur, ſed peraccuratè ſeruatur ordo, diſtinctio, & rerum diſpoſitio, atque cohærentia: & hoc non minùs quàm ſi fuiſſent plures actus in intellectu & voluntate Dei. Dato itaque quod omnis voluntas bene diſpoſita, quæ ſe determinat ad volendum plura obiecta æqualiter præſentia, magis amet, & præferat omnibus alijs illud, quod magis eſt amabile; ſequitur, quòd ſuprema prouidentia, dum facit velut primam delineationem omnium, quæ eſt productura, omnium primo voluerit & amauerit modo ſingulari, imò infinito obiectũ illud, quod maxime fuit amabile, qui eſt Saluator noſter; & deinde,ordine ſeruato,alias creaturas prout plus aut minus ſpectant ad obſequium, honorem & gloriam illius.

Atque ita quicquid factum eſt, factum eſt intuitu huius diuini hominis: qui ideò nuncupatur PRIMOGENITVS CREATVRARVM, poſſeſſus à diuina Maieſtate *in initio viarum eius, antequàm quicquam fieret à principio, creatus ante omnia ſæcula.* In eo enim omnia facta ſunt, & eſt ante omnia, & omnia in illo ſunt facta & ſtabilita. Quin & caput eſt totius Eccleſiæ, tenens in omnibus & per omnia primatum. Accipe rudem ſimilitudinem de vinea, quæ dum plantatur præcipuè fructus ſpectatur, eſto, folia & flores præcedant eius productionem. Ita eximius mundi Saluator,

uator, omnium primò fuit in intentione diuina, in eaque æterna intentione & velut prima delineatione, quam diuina prouidentia fecit circa productionem creaturarum. Et in ea delineatione ſeu contemplatione huius deſiderabilis fructûs extructa & plantata fuit vinea totius vniuerſi, nec non ſtabilita ſucceſſio plurium generationum, quæ ferè ad inſtar foliorum & florum hunc ſuauiſsimum fructum debebant præcedere, velut quidam prodromi ad faciendos decentes & conuenientes præparatus ad productionem excellentis iſtius vuæ, quam in Canticis ſacra ſponſa miris effert laudibus, cuius & liquor *lætificat Deum & homines*. Quis igitur nunc, mi Theotime, dubitabit de abundantia mediorum ad ſalutem, dum tantum nacti ſumus Saluatorē, cuius intuitu ſumus creati, & eius meritis copioſiſsimè redempti? Eſt enim mortuus pro omnibus, eò quòd omnes erant mortui. Sed, aduertas velim, eius miſericordiam magis fuiſſe ſalutarem ad redimendum Genus humanū, quàm miſeria Adami fuerit pernicioſa ad ruinam, tantumque abfuiſſe, vt à peccato Adami ſuperata fuerit bonitas diuina, vt prorſus contrà, velut per ſuauiſsimam & amabiliſsimam antiperiſtaſin, & contentionem fuerit excitata, prouocata, & animoſior, vegetiorque reddita ad præſentiam ſui aduerſarij, & quaſi recolligens, & aduocans ſimul vires ad vincendum, *ſuperabundare* fecerit *gratiam*, vbi *abundârat iniquitas*: ita vt ſancta Eccleſia, per ſanctum admirationis exceſſum exclamet in vigilia Paſchatis, *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa! quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*. Vnde, Theotime, dicere poſſumus cum Priſco illo, *perieramus niſi periiſſemus*, id eſt, noſtra ruina & perditio nobis profuit: ſiquidem reipſa natura humana maiora commoda, maiores gratias per Redemptionem Saluatoris accepit, quàm vnquam receptura fuiſſet, per Adami innocentiam; ſi in ea ille perſeueraſſet.

Nam etſi diuina prouidentia in homine ſigna & notas ſeueritatis, inter gratias miſericordiæ ſuæ reliquerit, vti exempli gratia: neceſſitatem moriendi, infirmitates, labores, rebellionem ſenſualitatis, &c. tamen fauore cæleſti omnibus iſtis malis ſupernatante, volupe eſt ei conuertere omnes iſtas miſerias in maius bonum eorū, qui illum amant, quod facit, dum patientiam producit, quæ labores ſuperet, & contemptum mundi, qui de neceſsitate moriendi triumphet, quin & ſexcentas alias victorias:

quæ

Digitized by Google

quæ concupiſcentiam catenis conſtrictam in captiuitatem deducant. Et quemadmodum arcus cœleſtis tangens SPINAM ASPALATHI, ſeu LIGNVM RHODIUM, vt vocant in officinis, magis odoriferum illud reddit, quàm ſint lilia; ita REDEMPTIO noſtri Saluatoris tangens noſtras miſerias, eas reddit vtiliores & amabiliores, quàm vnquam fuiſſet innocentia Originalis. Adde, quòd *gaudium erit ſuper vno peccatore agente pœnitentiam. Chriſto dicente, quàm ſuper 99. iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Eodem modo ſtatus Redemptionis longè excellit ſtatum innocentiæ. Quis dubitet per aſperſionem ſanguinis Redemptoris noſtri per hyſſopum crucis factam, nobis redditum fuiſſe candorem incomparabiliter excellentiorem, quàm vnquam fuerit niuea illa innocentia. Dum, velut Naaman, ex flumine ſalutis egredimur longè puriores & mundiores, quàm ſi nunquam Adami leprâ fuiſſemus inquinati? Et hoc, vt Diuina Majeſtas, quæ per ſuum Apoſtolum nobis id præſcripſit, non vinceretur à malo, ſed vinceret in bono malum; & vt etiam ipſius miſericordia, adinſtar ſacri olei, exaltaret iudicium, eiuſque *miſerationes eſſent ſuper omnia opera eius.*

Luc. 15. v. 7.

De quibuſdam fauoribus ſpecialibus, exhibitis & exercitis in Redemptione hominum, per diuinam prouidentiam.

CAPVT VI.

DEVS equidem incomprehenſibilis potentiæ ſuæ diuitias, in hac magna rerum diuerſitate, & diſsimilitudine, quam in natura videmus, admirabiliter oſtendit; at verò longè magnificentius infinitos bonitatis ſuæ theſauros in incomparabili differentia bonorum, quæ in gratia cognoſcimus, oculis noſtris ſubijcit. Nam, Theotime, in exceſſu ſacræ ſuæ miſericordiæ, non fuit contentus populo ſuo, id eſt, generi humano Redemptionem generalem & vniuerſalem miſiſſe & exhibuiſſe, per quam omnes & ſinguli ſaluari poſſunt, ſed, tot

modis eam variauit, vt ipſius liberalitatem in hac varietate relucentem, varietas ipſa plurimùm exornet.

Ita in primis ſanctiſſimæ ſuæ Matri deſtinauit fauorem & prærogationem dignam amore filij, qui cùm eſſet ſapientiſsimus, potentiſsimus & optimus, ſibi præparare voluit & debuit Matrem juxta ſuum beneplacitum. Ac proinde ſuam ei redemptionem per modum remedij præſeruatiui voluit applicari, vt peccatum, quod in omnes generationes velut aqua influebat, ad eam non pertingeret; adeò illa excellenter fuit redempta, vt licet deinde torrens iniquitatis originalis, infortunatas ſuas vndas tanta cum impetuoſitate inuoluere tentârit conceptionem ſacræ huius Dominæ, quanta conceptionem aliarum filiarum Adæ, tamen cùm eò vſque pertigiſſet, vltrà non perrexit, ſed ibi ſuum ſubitò cohibuit impetum, vti olim Jordanis, tempore Joſuæ. Et id propter eundem reſpectum: nam fluuius hic ſuum cohibuit curſum ob reuerentiam tranſitûs arcæ fœderis, peccatum autem originale, reuerens formidanſque præſentiam veri tabernaculi æterni fœderis, ſuas aquas retraxit.

Hunc igitur in modum Deus à glorioſa Matre ſua omnem captiuitatem, (ei elargiens bonum duorum ſtatuum naturę humanæ) auertit: illa ſiquidem innocentiam, quam primus Adam perdiderat, retinuit; & excellentiſsimo modo participauit redemptionem, quam ſecundus ei acquiſiuit. Et conſequenter, velut hortus electus, qui ferre debebat fructum vitæ, florens & excellens in omni perfectionum genere effecta eſt. Filius hic diligens electam matrem æterno amore, poſtquam *Veſtitu deaurato* adornaſſet, circũdediſſetq; pulcherrima varietate, *Vt Regina adſtaret à dextris eius*, id eſt, eſſet prima omnium electorum, quæ fruitura erat delicijs dextræ excelſi, eam vt ſibi vni reſeruatam, redemit non ſolum à damnatione, ſed etiam de periculo damnationis, eam ita certam faciens de gratia, gratiæque perfectione; vt gradiens ad inſtar pulcherrimæ Auroræ, quæ incipiens diluculare ſeu ſolis aduentum oſtentare, continuò pergit creſcere in claritate vſque ad perfectum diem. Redemptio iſta certè fuit admirabilis, Canon nimirum operum ipſius Redemptoris, & redemptio omnium redemptionum princeps. Per quam filius, corde verè filiali præueniens matrem ſuam in benedictionibus dulcedinis, eam non ſolùm à peccato, vti Angelos, ſed etiam ab omni

omni peccati periculo, imò & ab omnibus diſtractionibus, auocationibus, & retardationibus ab exercitio diuini amoris præſeruauit. Ita proteſtatur ille, quod inter omnes creaturas ratione præditas, quas elegit, Mater hæc ſit *Vnica columba ſua, formoſa ſua*, & amica longè chariſſima, cui nulla valeat ex creaturis comparari.

Deus etiam alijs alios fauores & priuilegia, licet non maximo numero, creaturis, quas extra periculum damnationis eſſe voluit, ordinauit & contulit: vt in primis certum eſt de S. Joanne Baptiſta, & perquam probabile de propheta Jeremia, & quibuſdam alijs, quos diuina prouidentia ſuâ gratiâ præuenit, & præoccupauit adhuc exiſtentes in ventre Matris, & inde totius vitæ decurſu perpetuâ ſuâ gratiâ ſtabiliuit, firmi vt in ſuo amore permanerent. Eos tamen & obnoxios & ſubiectos eſſe voluit, cunctationibus, & impedimentis, ſicut & peccatis venialibus. Quæ tamen contraria ſunt perfectioni amoris, & non ipſi amori. Hæ animæ de quibus hic loquimur, factâ cum alijs comparatione, ſunt velut quædam Reginæ ſemper coronis charitatis redimitæ, quæ tenent primum & principalem locum in amore Saluatoris, poſt eius matrem, quæ eſt Reginarum Regina; Regina inquam non ſolum amore coronata, ſed etiam amoris perfectione. Et quod auget dignitatem, coronata à filio proprio, qui eſt ſupremum obiectum omnis amoris, filij ſiquidem ſunt corona ſuorum parentum.

Sunt adhuc & aliæ animæ, quas Deus ſtatuit ad tempus relinquere expoſitas, non quidem periculo perdendæ ſalutis; ſed iacturam faciendi diuini eius amoris: imo permiſit, vt re ipsâ perderent, quia non id eis pollicitus fuerat, neque certas fecerat de amore toto vitæ decurſu retinendo, ſed ſolummodò pro fine illius, & pro certo tempore eundem finem præcedente. Tales fuêre Apoſtoli, Dauid, Magdalena, & plures alij, qui certo aliquo tempore, manſerunt extra Dei amorem: ſed finaliter feriò ad bonum conuerſi, in gratia vſque ad mortem fuerunt conſeruati. Ita vt ab eo tempore, remanſerint quidem ſubiecti aliquibus imperfectionibus, ſed interim exempti fuerunt ab omni peccato mortali: & conſequenter à periculo perdendi diuinum amorem. Et hæ animæ fuerunt ſacræ, velut amicæ ſponſi Cæleſtis, amictæ quidem veſte nuptiali ſancti eius amoris, ſed non tamen coronatæ, quia corona eſt ornamentum capitis, id eſt principalis partis hominis. At cùm pri-

ma pars vitæ animarum iſtius ordinis ſubiecta fuerit amori rerum terrenarum, nequeunt geſtare coronam amoris cæleſtis, ſed ſufficit quòd veſtem geſtent, cuius beneficio efficiuntur capaces lecti nuptialis ſponſi diuini, & vnà cùm eo hæredes beatitudinis æternæ.

Quam admirabilis ſit prouidentia diuina in diuerſitate gratiarum, quas hominibus benignè elargitur.

Capvt VII.

INerat igitur prouidentiæ æternæ fauor incomparabilis aduerſus Reginam Reginarvm, *matrem ſanctæ & pulchræ dilectionis, & vnicè perfecta.* Non etiam defuêre aliæ ſpeciales prærogatiuæ aduerſus alios: poſtquam enim ſuprema bonitas in electam matrem pleno cornu dictum infudit fauorem, abundanter etiam gratias & benedictiones ſupra omne genus humanum, & naturam Angelorum, copioſiſsimè effudit. Quibus omnes, velut exoptatâ pluuiâ aliquâ, quæ cadit ſuper bonos & malos, fuerunt conſperſi, omneſque illuſtrati quaſi lumine illo, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Omnes inſuper ſuam partem quaſi ſeminis illius, quod cadit non ſolùm in terram bonam, ſed & ſecus viam, & in ſpinas, & ſuper petras receperunt. Vnde omnes ſunt inexcuſabiles coram Chriſto Saluatore noſtro, qui abundantiſsima hac redemptione, pro ſua ſalute conſequenda, non bene vſi ſunt.

Sed quamuis, Theotime, abundantiſsima gratiarum diuinarum copia ſuper vniuerſam naturam humanam ſit effuſa, & in eo omnes ſimus æquales, quòd diues iſta benedictionum abundantia nobis omnibus ſit oblata: nihilominus tamen varietas fauorum, & gratiarum ita eſt magna, vt efferri non poſsit, quæ magis ſit admirabilis, magnitudóne gratiarum in tam ampla diuerſitate; an verò diuerſitas in tanta rerum multitudine, & magnitudine? Ecquis eſt qui non videat inter Chriſtianos media ad ſalutem longè eſſe maiora & potentiora, quàm inter Barbaros?

Barbaros? & inter ipſos Chriſtianos eſſe populos aliquos & ciuitates, in quibus animarum paſtores fructuum ſpiritualium ſint feraciores, & magis idonei ad eos parochianis elargiendos, quàm in alijs?

Porrò negare media hæc exteriora eſſe fauores ſingulares & priuilegia à diuina prouidentia profecta, vel reuocare in dubium, an faciant, & promoueant ad ſalutem, & ad perfectionem animarum, eſſet non ſolùm ingratum, ſed & impium eſſe aduerſum bonitatem diuinam; quin & veritate ſtabilitam experientiam (quæ nos docet, quòd vbi, ordinariè loquendo, media iſta exteriora ſuppetunt, interiora habeant longè efficaciores effectus, omniaque melius ſuccedant) mendacij arguere.

Sicut videmus verè non reperiri vnquam duos homines perfectè ſibi ſimiles in donis naturalibus, ita nec perfectè pares in ſupernaturalibus. Exemplo ſint Angeli, qui vti eximij doctores, Sanctus Auguſtinus, & S. Thomas aſſerunt, receperunt gratiam iuxta varietatem ſuarum conditionum naturalium. Ii autem ſunt omnes vel differentes ſpecie, vel, vt minimùm indiuidualibus conditionibus, ſiquidem ſunt diſtincti ab inuicem, ſeu quod idem eſt, vnus ab altero. Quot igitur ſunt Angeli, tot etiam ſunt differentes gratiâ. Et quamuis hominibus gratia non ſit data iuxta eorum conditiones, tamen ſuauitas diuina quaſi ſibi complacens, &, vt ita dicam exultans in productione gratiarum, eas variat infinitis modis, vt ex iſta varietate pulcherrimum, & velut encauſto depictum fiat opus, redemptionis & miſericordiæ. Vnde Eccleſia cantat in quolibet Confeſſorum, Epiſcoporum Feſto, NON ESSE INVENTVM SIMILEM ILLI Et quemadmodũ in cælo *nemo ſcit nomen nouum, niſi qui accipit*, eò quòd quilibet beatorum habeat ſuum particulare, iuxta nouum ſtatum gloriæ, quem ibi acquirit: ita in terris quilibet recipit gratiam adeò ſingularem, vt eius beneficio omnes alij homines ab eo differant, & ipſe ab omnibus: quin etiam Saluator noſter comparat gratiam ſuam margaritis, quæ, vti dicit Plinius; alio nomine dicuntur vniones: quòd nulli duo reperiantur indiſcreti, id eſt pares in omnibus. Adde, quòd vti ſtella vna differt ab altera in claritate, ita homines differunt à ſe inuicem in gloria. Quod eſt ſignum euidens, eos etiam inter ſe diſpares fuiſſe in gratia. Varietas iſta in gratia, vel certè gratia in varietate, ita eximiam pulchritudinem & ſuauem procreat harmoniam, vt

exultare faciat vniuerſam ſanctam ciuitatem Hieruſalem cæleſtem.

Verùm accuratè cauendum eſt, ne vnquam curioſè inquiratur, cur ſuprema Sapientia vnam potius vni impertierit gratiam, quàm alteri; neque cur vnum fauore gratiæ ſuæ potius deſtituerit, quàm alterum. Caue, Theotime, ne vnquam iſtâ capi te ſinas curioſitate: nam cùm ſufficientia, imò & abundantia ad ſalutem conſequendam, adſint media: quid cauſæ, aut rationis habet mortalium aliquis querendi, cur viſum fuerit Deo vni largiùs, alteri parciùs ſuam impertiri gratiam. Si quiſpiam moueret quæſtionem cur Deus pepones, ſeu melones maiores fecerit fragis, vel cur lilia magnitudine ſuperent violas? Quare item flos marinus, quem vulgò vocant Roſmarinum, non ſit roſa; vel cur Cariophyllum non ſit Calendula? Cur Pauo pulchritudine ſuperet veſpertilionem, vel cur ficus dulcis ſit, & pomum citroneum ſubacidum? nónne jure merito omnes iſtæ interrogationes exploderentur, eique, qui eas moueret, diceretur: Mortalium miſerrime, ſiquidem mundi pulchritudo requirit varietatem, nónne oportet res eſſe differentes, & inæquales in perfectione? nónne oportet vnam non eſſe alteram? Atq; hinc oritur vt aliquæ ſint paruæ, aliquæ magnæ, aliquæ acerbæ aliæ dulces, aliquæ magis, aliæ minus pulchræ. Porrò idem eſt de rebus ſupernaturalibus, quilibet enim habet vnum donum; & vt dicit Spiritus Sanctus, *vnus ſic, alter ſic.* Et quis negabit eum abſona & impertinentia loqui, qui quærit quare S. Paulus non habeat gratiam S. Petri, neque S. Petrus Diui Pauli? cur S. Antonius non fuerit Athanaſius, neq; S. Athanaſius, B. Hieronymus? Facilis enim ad hæc Theoremata, ſeu quæſtiones erit reſponſio, ſi dicatur Ecclesiam eſſe hortvm pvlcherrimis, ac propè infinitis floribus diuerſis exornatum: in quo res eſſe debent diuerſæ magnitudinis, diuerſorum colorum, ſicut & odorum. Paucis, debent eſſe res differentes in perfectionibus. Quæ omnia, vt habent ſuam æſtimationem, ſuam gratiam, colorumque varietatem, ita ſuâ illâ varietate gratam efficiunt eximiæ pulchritudinis perfectionem,

Quanto-

Digitized by Google

Quantopere DEVS *deſideret, vt ſe amemus.*

Capvt VIII.

QVAMVIS Saluatoris noſtri Redemptio tot differen-
tibus modis nobis applicata ſit, quot ſunt animæ, ta-
men ſalutis noſtræ medium vniuerſale, eſt amor; qui
in omnibus ſalutariter ſe inſinuat & immiſcet; & ſine
quo, vt alibi dicemus, ſalus deſperanda eſt. *Ita Che-* Gen. 3.
rubin collocatus fuit ante paradiſum voluptatis tenens flammeum v. 24.
gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.
Quo neminem intraturum Paradiſum cæleſtem, qui transfixus non ſit
amoris gladio, edoceremur. Ideoque, Theotime, dulcis Iesus, qui
pretioſo ſuo ſanguine nos redemit, deſiderat modo vt infinito ſe ame-
mus, & amando, æternaliter ſaluemur; & ſaluati (eius amore in noſtram
ſalutem tendente, & viciſſim noſtra ſalute in eius amorem anhelante)
æterno amore ſe proſequamur. Audi quid dicat apud S. Matthæum:
Veni ignem mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Adde quòd ad de- c. 22. v. 37.
clarandum & firmiùs nobis imprimendum ſui ardorem deſiderij, admi-
randis prorſus terminis nobis hunc ſuum amorem commendârit:
*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente
tua, hoc eſt maximum & primum mandatum ſecundum autem ſimile eſt huic: Diliges
proximum tuum ſicut te ipſum.* Devs bone, Theotime quantopere cor di-
uinum amat cor noſtrum? nónne ſat eſſe debuiſſet, ſi publicaſſet, ſine-
re ſe, vt nos ſe amaremus vti Laban ſiuit Jacob amare pulchram ſuam
Rachelem, ſuiſque ſeruitijs Patriarcham eam ſibi acquirere vxorem?
Haud id fecit, ſed vlterius Devs noſter affectum ardentis ſui amoris ad-
uerſum nos declarauit, mandauitque ſe vt totis viribus amaremus. Et
hoc, ne forte conſideratione eius Maieſtatis ex vna, & ex altera parte
noſtræ miſeriæ, quæ infinitam diſparitatem & inæqualitatem inter nos
& illum faciunt, néue alio quocunque prætextu deterriti, auerteremur
ab eius amore. In quo teſtificatur, Theotime, ſe minimè fruſtrà no-
bis reliquiſſe inclinationem naturalem ad ſe amandum. Quæ inclina-
tio ne ſit otioſa, vrget nos generali ſuo mandato, vt illâ laudabiliter v-
tamur. Vt autem mandatum hoc rectè exerceatur, & à nobis morta-
libus in praxim deducatur, neminem noſtrum ſiuit eſſe abſque abun-

dantiſ-

Digitized by Google

dantiſsimis medijs ad eum effectum conſequendum, Sol viſibilis ſuo viuificante calore attingit & recreat omnia, & velut amator generalis rerum omnium ſublunarium, ijs tribuit vigorem & virtutem ad res ſuæ ſpeciei producendas. Eodem modo diuina bonitas omnes erigit ani-
Prouer mas, omniaque corda excitat ad ſuum amorem. Nec homo quiſpiam,
1.v.20. quicunque tandem ille ſit, abſconditur à calore illius. *Sapientia æterna,* inquit Salomon, *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert ſua verba dicens: Vſquequo parvuli diligetis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupiunt, & imprudentes oderunt ſcientiam? conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis*
c.33.v. *verba mea, quia vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret.*
10.& 11 Hanc eandem Sapientiam proſequitur Ezechiel: *ne dixeritis, iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ei viuere poterimus, nam hæc dicit Dominus: Dic ad eos: viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à viâ ſua, & viuat.* Porrò viuere ſecundum Deum, eſt eum amare: & qui non amat, manet in morte. Vidénne Theotime, quod deſideret vt ſe amore complectamur?

Nec ſatis ei eſt, ſic publicare in communi ardens ſuum deſiderium, vt ametur, eo modo vt quilibet particeps fiat amabilis eius vocatûs; ſed ecce: *ſto*, inquit *ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi* januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, id eſt ei oſtendam omne bonum.

Non aliò iſta ſpectant, Theotime, quàm ad docendum quòd Deus non ſolùm de ſimplicibus, & ſufficientibus medijs ad ſe amandum & vt in amando eum, ſaluemur, nobis proſpiciat, ſed & de vberrimis, ampliſsimis, magnificentiſſimiſq;, & vt verbo dicam, de talibus, quæ à tali & tanta bonitate ſolùm expectari poſſunt. Apoſtolus loquens de peccatore obſtinato, ſic ait: *An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti Iudicij DEI.* Mi chare Theotime, Deus, vt aduertere potes, non ſimplicem & nudam mediorum ſufficientiam ſuppeditat ad conuertendos obſtinatos, ſed & effundit diuitias bonitatis ſuæ. Apoſtolus, vt vides, opponit diuitias bonitatis Dei, theſauris malitiæ cordis impœnitentis, & dicit, cor malitioſum ita diues eſſe in iniquitate, vt etiam contemnat diuitias diuinæ benignitatis, per quas Deus illum attrahit ad pœnitentiam.

tiam. Et nota amabò, quòd non ſimpliciter ſint diuitiæ bonitatis, quas obſtinatus contemnit, ſed etiam diuitiæ attrahentes ad pœnitentiam; & tales diuitiæ, quæ facilè non poſſunt ignorari. Certè hæc copioſa, cumulata, & affluens mediorum ſufficientia, quam Deus peccatoribus elargitur, ſe vt ament, clara eſt, & paſſim ſparſa inuenitur in omnibus ferè ſacris literis. Videbis, ſi aduertas, Deum noſtri amantiſsimum, ad portam non ſimpliciter pulſantem, ſed hærentem ad pulſandum, vt inde euocet animam amicam ſuam: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa* Cant. 2
mea, & veni. Adde quòd & manum in portæ ſeram imponit, tentans an v. 10.
valeat aperire. Si concionatur foris in plateis, non concionatur ſimpliciter, ſed clamando concionatur, id eſt pergit, & continuat clamare; ſi clamat vt ad ſe nos conuertamus, videtur nunquam ſatis ſibi feciſſe, eſto id ſæpius iteret: *Conuertimini, Conuertimini, pœnitentiam agite, ad me reuertamini, viuite, quare moreris domus Iſrael?* Breuiter, diuinus hic Saluator nihil obliuiſcitur, nihil omittit ad oſtendendum, quòd *ſua miſerationes ſint ſuper omnia opera ſua, quòd miſericordia exaltet & ſuperet iudicium, quòd ſua redemptio ſit copioſa,* quòd amor ſuus ſit infinitus; &, vti dicit Apoſtolus, *diues ſit in miſericordia:* & conſequenter, *velit omnes homines ſaluos fieri & neminem perire*.

Qualiter amor æternus aduerſus nos, ſuâ inſpiratione præueniat corda noſtra, vt ſe amemus.

Capvt IX.

IN charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans. Rurſumq; Ieremiæ 31.
ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael: ſunt iſta Dei verba, v. 3.
quibus promittit futurum, vt veniens in mundum Saluator, in Eccleſia ſua ſtabiliat regnum nouum. Quæ eius futura ſit ſponſa virgo, & vera Iſraëlitis ſpiritualis.

Certè, vt vides, Theotime, non *merito noſtrorum operum, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiã ſaluos nos fecit* charitate ſuâ veteri, imò æternâ, quâ mota fuit eius prouidentia, vt ad ſe nos attraheret. Si Pater nos non traxiſſet, nunquam veniſſemus ad filium Saluatorem noſtrum, nec conſequenter ad ſalutem.

L Sunt

Sunt certæ quædam aues, Theotime, quas Ariſtoteles nuncupat Apodes, eò quòd crura habeant admodum breuia, & pedes ita omnis roboris expertes, vt ijs non magis ſint vſui, quàm ſi ijs prorſus carerent. Eæ ſi ſemel deſcendant ad terram, ita ei manent affixæ, vt nunquam amplius ex ſe poſsint volatum reſumere: quia vt dictum eſt, nullum neque crurum, neque pedum habent vſum: Vnde nequeunt vllo modo ſe ipſas propulſare, & in aërem vibrare, proindeque vbi decidunt, ibi manent, imò & moriuntur, niſi propitium ſuæ impotentiæ aliquem nanciſcantur ventum, qui iaciens flatum ſuum ſuper faciem terræ, eas attollat, & eleuet vti plures alias res conſueuit attollere. Tunc enim, ſi impendentes alarum ſuarum remigia, cùm vento concurrente ſe attollant, cooperando virtuti, & primo impetui idem ventus continuans ſuum ſuccurſum aduerſus eas, attollet altiùs atque altius earum volatum.

Theotime, Angeli ſunt velut aues, qui ob ſuam pulchritudinem & raritatem vocantur aues cæli, ſeu paradiſi, quæ nunquam viſæ ſunt in terra, niſi mortuæ: Spiritus enim cæleſtes ſimulatque amorem diuinum deſeruerunt, vt ſe traderent & addicerent proprio, ſubitò ceciderunt, velut mortui, in infernũ: in quo & ſepulti ſunt: Quod mors agit in hominibus, eos ſeparans in perpetuum ab hac mortali vita; hoc caſus fecit in Angelis, eos ſegregans & eiiciens æternaliter à vita & gaudio cæleſti. Verùm, miſsis Angelis, dicamus de nobis mortalibus, qui longè ſimiliores ſumus Apodibus, quàm illi. Nam ſi nos contingat deſerere aërem Amoris diuini, vt ad terram deueniamus, & nos creaturis affigamus (quod, prô dolor! toties facimus, quoties Deum offendimus) morimur verè, ſed non morte ita integra, quin aliquis exiguus remaneat motus, ſimulq; crura & pedes: id eſt aliquæ minutiores affectiones, quæ nobis vim imprimant ad faciendum periculum redintegrandi amoris cum noſtro Creatore: Verùm id adeò eſt debile, vt in veritate ex nobis ipſis nequeamus corda noſtra à peccato liberare; neque attollere ad volandum ad cæleſtis dilectionis habitaculum, quod nos miſeri & infelices mortales perfidè & voluntariè deſeruimus.

Nec dubium, quin omni iure mereremur à Deo derelinqui, eius ſiquidem amorem perquam infideliter prius derelinquimus. Verùm æterna eius charitas ſæpe non ſinit, vt iuxta rigorem iuſtitiæ caſtigemur:

Sed

ſed depromens theſauros ſuarum miſerationum, illum inducit, vt iuſtam maledictionem à nobis auerruncet. Quod præſtat, dum fauorabilem ſanctiſſimæ ſuæ inſpirationis ventum immittit. Quæ inſpiratio ſuaui cum violentia in corda veniens, ea occupat & mouet, cogitationes extollit, impellitque affectiones in auram diuini amoris.

Prima quidem motio, & concuſsio, quam Deus indit noſtris cordibus, vt ad proprium bonum ea nos euigilare faciat, fit equidem in nobis, ſed non à nobis, id enim fit ex improuiſo, antequam cogitauerimus, vel etiam cogitare potuerimus: eò quòd *ſufficientes non ſimus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis* (quod ad noſtrā faciat ſcilicet ſalutē) *ſed noſtra ſufficientia ex DEO eſt.* Qui non ſolùm antequam eſſemus, dilexit nos, ſed etiam vt eſſemus, & quidem ſancti & immaculati eſſemus. In quo nos præuenit in benedictionibus paternæ dulcedinis ſuæ, impellens animos noſtros ad ſalutarem pœnitentiam & conuerſionem. Intuere amabò Theotime, miſerculum Apoſtolorum Principem, in triſti illa nocte paſsionis ſui Magiſtri, conſtitutum, & ſuo in peccato torpeſcentem, nec magis de eo cogitantem, quàm ſi nunquam Saluatorem ſuum cognouiſſet. Inſtar enim apodis pedibus animi captus, terræ inhærebat. nunquam inde ſe erecturus, niſi gallus (ſacrum tunc diuinæ prouidentiæ inſtrumentum, eodem momento, quo Chriſtus miſericordiæ ſuæ oculis eum reſpexit, eiuſque cor lapidis inſtar induratum ſagittis diuini ſui amoris transfixit, largóſque imbres lacrymarum, veluti Moyſes in deſerto è petra percuſſa excitauit) ſuo cantu eius aures reuelaſſet. Intuere vicisſim diuinum hunc Apoſtolum in cuſtodia Herodiana dormientem, duabus catenis, vt Martyrem quidem ligatum; ſed ſimul infelicem hominem in profunda peccatorum abyſſo immerſum, Diaboliq́ue captiuum & mancipium repræſentantem.

2. Cor. 3. 5.

Heu, heu! quis eum liberabit? Angelus deſcendens de cælo; *qui percuſſo latere dormientis*, excitauit eum, dicens: *Surge velociter:* en inſpiratio cæleſtis, velut Angelus percutiens cor miſeri peccatoris excitat, vt ex ſua reſurgat iniquitate. Nónne verum eſt, chare Theotime, quòd prima commotio & concuſsio, quam ſentit anima, quando Deus eam amore præueniens, excitat, & auulſam à peccato ad ſe conuertit; & non ſolùm concuſsio, ſeu ſuccuſsio, ſed etiam quæuis ſuſcitatio è ſomno peccati fiat in nobis, & pro nobis, verùm non per nos; ſumus quidem

Actor. 12. 7.

Digitized by Google

experrecti, at non ex nobis ipſis. INSPIRATIO, INSPIRATIO illa eſt, quæ nos euigilare facit, dum nos mouet, & ſalubriter ſuccutit. *Ego dormio,* inquit deuota ſponſa, *& cor meum vigilat.* Sed, en adeſt dilectus meus, en vox eius pulſantis, & me vocantis, nomine noſtris amoribus noto, ex voce perbellè eum cognoſco. Inopinantes & nihil tale cogitantes, DEUS ſanctiſsimâ ſuâ inſpiratione nos vocat & excitat. In hoc principio gratiæ cæleſtis nihil prorſus agimus, niſi quòd commotionem, quam DEUS ſuſcitat in nobis, ſentimus, inquit mellifluus Doctor ſanctus Bernardus.

Quod perſæpe DEI inſpirationem repellamus, & DEUM amare recuſemus.

CAPUT X.

Luc. 11. 13. VÆ tibi Corozain, væ tibi Bethzaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in vobis factæ ſunt, olim in cilicio & cinere ſedentes pœnitentiam egiſſent.* Verba ſunt Saluatoris. Ne ergo graue ſit tibi, obſecro, Theotime, ex me audire, quòd habitatores Corozain & Bethzaidæ, verâ Religione inſtructi, & tam amplis aliarum gratiarum priuilegijs de manu DEI acceptis præuenti, vt ipſos etiam Ethnicos ad veræ fidei lumen inducere potuerint, nullum tamen ipſi ex omni illa agnitæ veritatis luce animarum fructum perceperunt: ſed eam cognitionem incomparabili contumaciâ & rebellione nihili facientes, proiecerunt.

Luc. 11. 31. Dubio procul, iuxta dictum Chriſti in die iudicij Niniuitæ, & Regina Sabæ ſurgent contra Judæos, eóſque conuincent dignos eſſe perpetuâ damnatione: QUIA, quod ad Niuiuitas attinet, ij exiſtentes Idololatræ ac Barbari, *pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ:* quod autem ad Reginam Sabæ ſpectat, QUIA, poſthabitis omnibus regni adminiſtrandi negotijs, *venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis:* dum interim Iudæi coràm præſentes, & auribus percipientes diuinam veri Salomonis, mundi Saluatoris ſapientiam; oculiſque intuentes miracula, quæ faciebat; manibus inſuper tangentes beneficia & virtutes quas exhibebat & patrabat, corde indurati, oblatæ ſibi gratiæ reſtiterunt. Hinc rurſum vides

des Theotime, quòd qui paucioribus tracti ſunt illicijs & fauoribus, pœnitentiam egerunt; qui autem pluribus, obſtinati in malo permanſerunt: ſeu, quod idem eſt, qui minorem habent occaſionem veniendi ad ſapientiæ ſcholam, ad eam adproperant; qui autem maiorem, manent in ſua ſtultitia & duritie cordis.

Ita peragetur iudicium comparationis, vti omnes Doctores notârunt; quæ doctrina nullum aliud habere poteſt fundamnntum, quàm hoc: quòd ſcilicet aliqui pari fauore præuenti, vel etiam beneficijs majoribus allecti, quàm alij nihilominus diuinæ miſericordiæ conſenſum denegârunt. alij autem ſimilibus gratiæ donis, vel etiam minoribus prouocati, cæleſti inſpirationi locum dederunt, & ſanctæ pœnitentiæ operibus ſe tradiderunt. Quî enim aliter conſentaneè rationi, perſeuerantibus in peccatis, ſua impœnitentia, ex comparatione eorum, qui ſe ad Deum conuerterunt & pœnitentiam egerunt, exprobrari poſſet: Chriſtus certè oſtendit clarè, & omnes Chriſtiani ſimpliciter intelligunt, futurum, vt Iudæi in iuſto Dei judicio condemnentur, idq́; factâ comparatione eorum cum Niniuitis: eò quòd illi multis à Deo prouocati beneficijs; ijs nec amore vllo nec pœnitentiâ aliquâ reſponderint; hi autem, qui parùm receperunt fauoris, plurimùm amoris rependerunt. Et quibus minoribus Deus præſtò fuit donis ſuis, ij pœnitentiæ opera præſtiterunt quàm plurima.

S. Auguſtinus hiſce noſtris diſcurſibus ſua ratiocinatione, quam inſtituit libro 12. de Ciuitate Dei c. 6. 7. 8. & 9. plurimùm adfert luminis. Nam licet propriè & peculiariter loquatur de Angelis, tamen hoc in puncto homines pares ijs facit.

Agedum, poſtquam capite 6. duos homines per omnia æquales in bonitate, omnibuſque in rebus, etiam eadem tentatione exagitatos propoſuiſſet; (ſupponit autem vnum potuiſſe tentationi reſiſtere, alterum eidem ſuccumbere & inimico cedere) probaſſetq́ue deinde cap. 9. omnes Angelos in gratia & charitate creatos fuiſſe, admittens inſuper, vt rem probabilem, gratiam & charitatem in eorum quolibet fuiſſe æqualem: quærit, quî factum ſit, quòd alij perſeuerarunt, & progreſſum fecerunt in bonitate, vſquedum pertigerunt ad gloriam; alij autem bonum deſeruerunt, & adhærentes malo vſque ad damnationem? Reſpondet poſtea nihil aliud adferri poſſe, niſi quòd alij gratiâ Saluatoris bene

vſi, perſeuerarint in caſto amore, quem in ſua creatione receperant; alij autem cùm eſſent boni, propriâ & ſolâ ſuâ voluntate in malos euaſerunt.

At ſi verum eſt, vti verum eſſe S. Thomas optimè probat, gratiam in Angelis proportionaliter fuiſſe diſparem, ac iuxta varietatem naturalium donorum ijs impertitam, Seraphin, dubio procul habuerint gratiam abſque vlla comparatione excellentiorem, quàm Angeli ſimplices & infimi ordinis: quomodo ergo factum eſt, quòd nonnulli ex Seraphin, iuxta communiorem Antiquorum, tum Patrum, tum Doctorum opinionem deciderunt, & vnà cum illis eorum princeps: ſtante interim & perſeuerante conſtanter & fortiter innumerabili multitudine aliorum Angelorum, tum naturâ, tum gratiâ illis inferiorum? Vnde ergo eſt, quòd Lucifer tam ſublimè exaltatus naturâ, & ſuperexaltatus gratiâ, in infernales abyſſos deciderit, & tot alij Angeli, longè paucioribus & minoribus donis exornati, in amore & fidelitate perſtiterint! Equidem qui ſic firmi ſteterunt, omnem eam laudem in Deum referre debent, qui ſuâ miſericordiâ non ſolùm eos creauit, ſed & in bono conſeruauit. At verò Lucifer ejuſque aſſeclæ, cui ſuũ interitum, niſi, vt ait S. Auguſtinus, propriæ voluntati adſcribent, qui ſuâ libertate nuncium remiſerunt diuinæ gratiæ, à qua tam ſuauiter erant præuenti? *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer*, qui velut ſplendens aurora in illo inuiſibili mundo oriebaris, cinctus charitate primâ, ſicut principium claritatis ſereniſſimi diei, quæ creſcere debebat vſque ad diem perfectum gloriæ ſempiternæ? Gratia profectò tibi non defuit, eam enim ſicut & naturam habebas alijs omnibus excellentiorem, ſed tu tibi, & gratiæ defuiſti. Deus te non deſtituerat operatione ſui amoris, ſed tu eius amorem priuaſti tuâ cooperatione: Devs nunquam te rejeciſſet, niſi tu priùs ejus dilectionem repudiaſſes. O Deus, optimus cùm ſis, tu ſolùm eos deſeris, qui te priùs deſerunt. Nunquam tua ſubtrahis à nobis dona, niſi quando noſtra à te ſubtrahimus corda. Bona Dei furto ſublegimus, ſi gloriam noſtræ ſalutis nobis adſcribimus: quia & Dei miſericordiam dedecore afficimus, ſi eam nobis defuiſſe aſſerimus. Eius nos liberalitatem lædimus, ſi eius in nos profecta dona non confiteamur; bonitatem autem eius blaſphemamus, ſi eum nobis ſuo ſuccurſu defuiſſe dicamus. Paucis, Devs clarâ & elatâ voce in

Digitized by Google

aures inclamat: *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.*

Non ſtat per diuinam bonitatem, quò minus excellentiſſimum amorem habeamus.

CAPVT XI.

DEVS bone, Theotime, ſi inſpirationes diuinas ſecundum omnem earum virtutis amplitudinem & extenſionem reciperemus, quantos breui tempore in ſanctitate progreſſus faceremus? ſit fons quiſpiam quantumuis abundans aquis, ex in hortum aliquem iuxta omnem ſuam affluentiam minimè influent, ſed iuxta paruitatem, vel magnitudinem canalis, quo in eum inducuntur. Eodem modo, licet Spiritus Sanctus omni ex parte velut *fons aquæ viuæ* cordi noſtro ſe applicet, & quaſi obſideat, vt illud ingreſſus fluentis gratiæ ſuæ irriget: non vult tamen illud ingredi, niſi obtento voluntatis noſtræ libero conſenſu: illo autem obtento, illud iuxta ſuum beneplacitum, & propriæ diſpoſitionis noſtræ cooperationem irrorabit, vt dicit SACRVM CONCILIVM TRIDENTINVM. Quod CONCILIVM etiam, vt opinor, reſpiciens mutuum noſtrum conſenſum cum gratia, vocat eius receptionem, receptionem voluntariam.

Hoc ſenſu S. Paulus monet nos ne *gratiam DEI in vanum recipiamus.* Nam quemadmodum ægrotus aliquiſpiam, qui acceptam manu medicinam, non ebiberet, neq; in ſtomachum demitteret, accepiſſe quidem medicinam diceretur, ſed abſque vera acceptione, quia cùm eam non ebiberit, eius effectu ſe priuauit. Similiter gratiam DEI in vanum recipimus, quando ſolùm ad fores cordis, & non intra intimum cordis conſenſum recipimus. Sic enim recipimus ſine vera receptione, hoc eſt, recipimus abſque vllo fructu: ſiquidem ſenſiſſe inſpirationem, excluſo conſenſu, nihil omnino prodeſt. Et manendo in aſſumpta ſimilitudine, ſi infirmus, cui in manum data eſt medicina eius ſolummodo partem vnam, non totam ſumeret, ea etiam non niſi ex parte, & non ex toto operaretur: ita etiam quando DEUS magnam & potentem homini im-

mittit

mittit inſpirationem, vt is amorem totis vlnis complectatur, ſi ille ſecundum totam inſpirationis virtutem & extenſionem non conſentiat, ſolùm iuxta menſuram conſenſùs, ea homini illi fructum feret. Fit enim, vt inſpiratione diuinâ ad multa facienda moueamur, ſed in vnam ſolùm aliquam illius inſpirationis partem conſentiamus, vt illi in Euan-
Mat. 4. 6. gelio; quorum vnus antequam plenæ Chriſti ſequelæ ſe addiceret, petebat ſibi ab eo permitti, vt iret ſepultum Patrem ſuum; alter autem, vt primùm ijs, qui domi erant renunciaret.

Quamdiu vidua illa, cui Eliſæus miraculosè multiplicationem olei à Deo impetrauit, habuit vaſa vacua, fluxit oleum; at poſtquam fuerunt impleta, ſtetit. Quâ menſurâ cor noſtrum eſt dilatatum, vel, vt melius dicam, finit ſe diſtendi & dilatari, & vacuitatem ſui conſenſùs miſericordiæ diuinæ non denegat; abſque intermiſſione in illud cæleſtes ſuas inſpirationes (velut ſacros quoſdam liquores) quæ creſcunt ſemper, & magis atque magis faciunt nos creſcere, pleno cornu in illud infundit. Verum ſi in illo nullus amplius locus detur vacuus, dum nullum præbemus conſenſum, ſtat, & vlteriorem ſuum denegat influxum.

Vnde, ſi interroges, o Theotime, quî fiat, quòd in diuino amore non eos facimus progreſſus, quos S. Auguſtinus, S. Franciſcus, S. Catharina Senenſis, S. Franciſca, &c. faciebant? Reſpondebo, id inde fieri, quòd Deus nobis ad id non elargitus ſit gratiam. Si autem inſtes; rogans: cur elargitus non ſit? in promptu eſt reſponſum: Quia ex parte noſtra ſacris eius inſpirationibus defuit conſenſus, & mutua conſpiratio. Pergis vlterius vrgere: Cur autem non conſpirauimus? quia cùm libero præditi eſſemus arbitrio, eo abuſi ſumus. At, inquis, cur noſtro abuſi ſumus arbitrio? Hic, Theotime, ſiſte gradum: quia, vt dicit S. Auguſtinus, deprauatio noſtræ voluntatis ex nulla prouenit ratione ſed ex defectu cauſæ, quæ peccatum committit, ſtultum autem eſſet non ſolùm dicere, ſed vel cogitare, quòd reddi poſſet ratio defectûs, qui committitur peccando, quia defectus ille, ſeu error, quem committendo, deflectimus à recto tramite, non eſſet peccatum, niſi eſſet abſque ratione.

Eximius pietatis cultor frater Rufinus, motus viſione quâ oſtenſa ei fuerat gloria, quam S. Franciſcus ſuâ humilitate erat adepturus, eum interrogauit: peramande, perq; obſeruande Pater, obſecro mihi ſincerè indi-

indicato opinionem, quam de te ipſo habes? Reſponſum ſe dignum, humile ſcilicet, dedit prædictus Sanctus: Sanè maximum totius mundi me peccatorem, & eum, qui negligentiſſimè omnium Deo ſeruit, exiſtimo. Non acquieſcens Frater Rufinus datæ reſponſioni, modeſtè inſtitit dicens: eum, ſaluâ veritate & conſcientiâ, non poſſe id affirmare, cùm plena ſint omnia peccatoribus, qui enormia committunt peccata, à quibus ipſe, Dei beneficio ſit immunis? Reſpondens inſtantiæ ait: ſi Deus alios illos peccatores, de quibus tu loqueris, tanta gratiâ & miſericordiâ præueniſſet, quantâ me præuenit, longè gratiores & accuratiores erga largitorem in ejus ſeruitio futuros fuiſſe, quàm ego ſim. Et ſi is me ſingulari ſuo fauore deſtitueret, in multò abominabiliora, quàm illi, quos commemoras, prolaberer peccata. Vides Theotime, iudicium illius, qui vix fuit homo, ſed Seraphin in terra! ſcio, ſcio equidem ſatis, eum ex humilitate ſic loquutum fuiſſe, ſed credebat ſe ipſiſsimam enunciare veritatem, ſat apertè indicans: quòd æqualis gratia, pari miſericordiâ duobus peccatorib⁹ exhibita, per vnum eorum vtilius ad ſalutem poſſit adhiberi, quàm per alterum. Porrò habeo oraculi loco ſenſum & iudicium magni iſtius in ſanctorum ſcientijs Doctoris, qui, educatus in ſchola Crvcifixi, non niſi inſpirationes diuinas ſpirabat. Hoc deinceps ſancti Franciſci apophtegma ab omnibus tenerioris deuotionis amatoribus laudatum, repetitum, receptumque eſt. Nec inter eos defuêre, qui aſſererent eodem ſenſu ſanctum Paulum dixiſſe, ſe primum, id eſt maximum peccatorem eſſe.

Beata mater Thereſia de Iesu, Virgo tota quanta Angelica, loquens de orationis quietudine, hæc protulit verba: *Complures ſunt animæ, quæ ad hunc vſque pertingunt ſtatum, quæ autem vltrà progrediantur, perpauca inueniuntur, cuius rei cauſam neſcio. Scio autem certiſsimè id ex parte Dei minimè prouenire: diuina ſiquidem ejus Majeſtas nos iuuat, eamq́ nobis exhibet gratiam, vt ad hoc uſque punctum pertingamus. Quidni autem eadem Maieſtas parata eſſet nos vlterius promouere, ac prouehere, modò obicem & remoram, quæ nos retrahunt, non poneremus?* Animum igitur, Theotime, aduertamus, ſtudiumq; adhibeamus, vt quem Deo debemus amorem deferamus: is enim amor, quo nos amare dignatur, nunquam ex parte Dei nobis deerit.

M Quòd

Quòd allectationes, ſeu illicia diuina nos in plena libertate relinquant, vt vel ea ſequamur, vel repellamus.

Caput XII.

Non hic, chare Theotime, loquar de iis gratiis, quæ non niſi miraculo aliquibus collatæ ſunt, quæque temporis momento lupos in paſtores transformârunt, rupes in aquas verterunt, & perſecutores in prædicatores tranſmutârunt. Relinquo etiam intactas vocationes, quæ non niſi præpotente Dei manu patrari potuerunt: ſilens etiam pertranſeo allectamenta quædam, violenta quidem, ſed ſanctè, per quæ Deus in ictu oculi animas electas ab enormitate peccatorum ad fluenta gratiæ tranſtulit; in iis, vt ita claritatis cauſâ loquar, faciens quandam transſubſtantiationem moralem, & ſpiritualem, vti contigit in Apoſtolo, qui ex Saulo vaſe perſecutionis factꝰ eſt ſubitò Paulus, & vas electionis. Animæ huiuſmodi priuilegiatæ diuerſo ordine & numero ſunt collocandæ, in eas enim placuit Deo non ſolùm ad affluentiam, ſed & ad inundationem vſque flumina ſuarum gratiarum deriuare: & ſi ita loqui licet, non ſolùm liberaliter & effusè, ſed etiam prodigaliter & profusè abundantiam ſui amoris proiicere. Diuina juſtitia hoc in mundo nos caſtigat pœnis, quæ quia ordinariæ ſunt, ferè ſemper etiam ſunt incognitæ & imperceptibiles. Nihilominus ſubinde immittit diluuia, & demergit in abyſſos caſtigationum: vt ejus indignationis ſeueritas non ſolùm cognoſcatur, ſed & timeatur: è contrario diuina eius miſericordia modo adeò dulci ſuauique ad ſe trahit ac aduocat animas, vt vix ejus motus percipiatur, & tamen ſubinde contingit, vt eius immenſa bonitas ordinarias ſupergrediens ripas, inſtar fluuii cuiuſpiam qui preſſus nimiâ aquarum affluentiâ, ſe exonerat in vicinas planicies, tanto cum impetu, licet grato & accepto, effundit ſuas gratias, vt temporis momento anima tota quanta ejus benedictionibus cooperta liqueſcat, & id ad oſtendendas immenſi amoris ſui diuitias. Sicut enim ejus juſtitia communiter procedit viis ordinariis, & nonnunquam extraordinariis, ita etiam eius miſericordia viis conſuetis in commu-

communem hominum ſocietatem ſuam exercet liberalitatem; in nonnullos autem modis, & vijs à communitate remotis.

O quàm vellem ſcire, quales ſint funes & vincula, quibus diuina prouidentia ad amorem ſuum corda noſtra trahere conſueuit! Tales equidem ſunt, quales ipſamet notat, deſcribens media, quibus vſa eſt, educens populum Iſrael ex Ægypto, & ex deſerto in terrâ promiſſionis: *In funiculis Adam*, inquit per Oſeam, *traham eos, & in vinculis charitatis*. Dubio procul, Theotime, non trahimur vinculis ferreis, vti trahuntur tauri & bubali, ſed per modum deliciarum & delectationum, ſanctarumque inſpirationum, quæ, vt verbo dicam, ſunt funiculi Adæ, & humanitatis, id eſt, proportionati & conuenientes cordi humano, cui libertas innata eſt, nos allicit. Proprium enim vinculum voluntatis humanæ eſt voluptas & delectatio. *Oſtenduntur*, inquit S. Auguſtinus, *puero nuces, & amando trahitur, non corpore, ſed corde.* Vide ergò quomodo Pater æternus nos trahat docendo, & delectet, non imponendo nobis aliquam neceſſitatem: inijcit in corda noſtra delectationes & gaudia ſpiritualia, velut ſacras quaſdam eſcas, per quas nos trahit ſuauiter ad guſtandam & recipiendam amabilis doctrinæ ſuæ dulcedinem.

Hoc itaque modo, chariſſime Theotime, gratia neque vim, neq; neceſſitatem libero infert arbitrio; quin imò perſeuerante vigore omnipotentis & miſericordiſsimæ DEI manûs, quæ tangit, quæ circumdat, quæque ligat animam, tot tantiſque inſpirationum, vocationum & allectationum modis, voluntas humana perfectiſsimè manet libera, & exempta ab omni genere coactionis & violentiæ, proinde gratia tam eſt gratioſa, tamq; gratioſè occupat noſtra corda, & occupata ita trahit, vt nihil officiat libertati noſtræ voluntatis! tangit quidem potenter vires noſtri intellectûs, ſed ita ſimul delicatè, vt noſtro libero arbitrio nullam omnino vim inferat. Gratia pollet quidem inſigni fortitudine, ſed non ad vi cogendos, ſed ad ſuauiter alliciendos animos; eidem gratiæ ineſt ſancta quædam violentia, non ad noſtram libertatem violenter agendam, ſed ad efficiendam eam, caſtam noſtri amatricem. Agit, non diffiteor, fortiter, ſed ſimul ita ſuauiter, vt voluntas noſtra ſub adeò potenti actione minimè ſuccumbat; nos quidem premit, ſed non opprimit noſtrum arbitrium. Itaque quibuſcunque tandem, adhibitis ab ea conatibus, poſſumus illius motibus conſentire, vel reſiſtere,

M 2 prout

prout nobis libuerit. Verumenimuerò, quod non minus habet admirabilitatis, quàm veritatis eſt, quòd quando noſtra voluntas ſequitur id, quod eam allicit, & motioni diuinæ conſentit, ſequitur & conſentit tam liberè, quàm liberè reſiſtit, dum reſiſtit; licet conſenſus in exhibitam gratiam longè magis dependeat à gratia, quàm à voluntate, & quòd reniſus, qui fit contra gratiam, ab vna ſolùm dependeat voluntate. Ita Dei manus amabiliter agit cum noſtris cordibus! Magna ſanè pollet dexteritate ad vires ſuas nobis communicandas, & ad motum ſuæ potentiæ nobis imprimendum, ſed tamen neque voluntati eripit libertatem, neque obicem vllum ei ponit, quò minus gratiæ liberè conſentiat, vel diſſentiat. Paucis, taliter iungit potentiam ſuauitati, vt, quemadmodum in eo, quod bonum reſpicit, eius potentia ſuauiter nobis exhibet vires, ita potenter ſuauitas tueatur libertatem noſtræ voluntatis.

Ioan 4. 10. *Si ſcires*, inquit Saluator Samaritanæ, *donum DEI, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forſitan petiiſſes ab illo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Vide & conſidera, amabò Theotime, tractum penicilli Saluatoris, quando loquitur de donis, quibus homines ad ſe attrahit. *Si ſcires donum DEI,* dubio procul moueereris, & attraherer is ad petendam aquam vitæ æternæ, & forſitan eam peteres. Quaſi diceret, in tua eſſet poteſtate eam petere, & quidem ad petendam prouocareris. Et nihilominus ad eam petendam minimè cogereris, neque neceſſitate vlla adigereris, ſed ſolùm, forſitan, tu peteres; libertas enim tibi maneret ad eam petendam, vel non petendam: talia ſunt Saluatoris verba, iuxta ordinariam editionem, & S. Auguſtini lectionem in Ioannem. Tandem, ſi quis diceret liberum noſtrum arbitrium non cooperari conſentiendo gratiæ, quâ Deus nos præuenit; vel non poſſe reijcere gratiam, & ei conſenſum denegare, is vniuerſis ſacris litteris, omnibus antiquis Patribus, & experientiæ contradiceret, ſacriq; Tridentini Concilij excommunicationis cenſuram incurreret. Verùm quando dicitur poſſe nos inſpirationem diuinam, & dona cæleſtia, quibus nos attrahit, reijcere, minimè intelligendum eſt, poſſe nos impedire, quò minùs Deus nobis inſpiret, & dona cordibus noſtris impertiat. Nam vt iam ſuperiùs dixi: id fit in nobis abſque nobis: ſunt proinde fauores, quibus nos Deus afficit, antequam cogitemus. Ipſe nos excitat, dum dormimus, & ex conſequenti, deprehendimus nos excitatos, nullâ noſtrâ cogitatione præeunte, ſed

in noſtra

Digitized by Google

in noſtra ſitum eſt poteſtate, ſurgere, vel non ſurgere. Et quamuis excitârit nos ſine nobis, non tamen vult ſtrato nos extrahere, niſi ipſimet nos iuuemus. Quis autem negabit eum reſiſtere excitationi, qui excitatus non ſurgit, imò, qui rurſum ſomno ſe tradit, quandoquidem excitatus eſt, vt ſurgat? Quo minus inſpiratio nos impellat, & conſequenter, nos commoueat concutiatque, nequimus vllo modo impedire. Verùm, ſi quo impetu nos impellit, eodem nos eam repellimus, ne nos ejus motu moueamur, quis dubitet, quin nos tunc ei reſiſtamus. Accipe huius rei ſimilitudinem à noſtris auibus, apodibus dictis, quas ſupra deſcripſimus: eas quidem apprehendit ventus & in aëra eleuat, ſed haud procul eas deferet, niſi alarum ſuarum remigio ſe juvent, & vento cooperentur, conantes viribus ſe attollere, & volatu in aëre (in quem, vento impellente, ſe vibrârunt) ſuſtentare. Contra, ſi forſitan aliquæ, herbarum arborumque viriditate, quam infra ſe intuentur, ineſcatæ, aut quòd in terra aliquamdiu fuerint, torpore ac pigritiâ deſides, loco, quo deberent vento obſecundare, alis complicatis, rurſum in terram ſe demittant, re ipſa quidem venti motum receperunt, ſed gratis; ſiquidem nullam inde vtilitatem perceperunt. Theotime, inſpirationes nos præueniunt, & antequam cogitemus, ſui in nobis imprimunt ſenſum; poſtquam autem eum percepimus, penes nos eſt, ijs obſecundare & adhærere, aut ab ijs diſſentiendo, illas ipſas propulſare. Efficiunt quidem vt ſe ſine nobis ſentiamus, ſed efficere nequeunt, vt ſibi ſine nobis conſentiamus.

De primis motibus Amoris, quos illectus diuini procreant in anima, antequam habeat fidem.

CAPVT XIII.

ILLE idem ventus, qui apodes in altum attollit, omnium primò earum plumas, vt partes leuiores & magis idoneas ad motum recipiendum, apprehendit: deinde continuò eundem motum illarum alis imprimens, extendit eoq; modo illas & explicat, quo faciliùs in aëra poteſt ſubleuare. Quodſi apodes hoc modo in auras

ſublatæ, alarum ſuarum motum jungant ventorum flatui, ijdem, qui eas in altum extulerunt, ſemper magis ac magis ita illas adiuuabunt; vt poſt-modum non ſit futurus difficilis volatus.

Ita Theotime, quando inſpiratio cæleſtis, velut ſacer ventus, venit, vt nos attollat in aëra diuini amoris, omnium primò ſuaui ſuo flatu ambit & circumdat voluntatem, deinde, interueniente ſenſu delectationis cæleſtis, extendens ac explicans inclinationem naturalem, quam habet ad bonum, mouet, & eo quidem mouet modo, vt ipſa inclinatio ſit ei velut inſtrumentum ad capiendum intellectum. Et hoc totum, vti iam ſæpius dixi, agitur in nobis ſine nobis: quia ſcilicet fauor diuinus, ita nos præuenit in benedictionibus dulcedinis ſuæ. Quodſi noſter intellectus ita præuentus ſentiens alas ſuæ inclinationis motas, explicatas, extenſas, impulſas, & agitatas Fauonio cæleſti, vel minimum tali inſpirationi det conſenſum, ô quàm felicem, Theotime, nacti ſumus fortunam! nam illa ipſa inſpiratio, & gratia ſuperna, quæ nos præoccupauit, communicans ſuam actionem noſtro conſenſui, animans debiles noſtros animi motus cæleſti ſuo robore, & viuificans imbecillem noſtram cooperationem potentiâ ſuæ operationis, nobis præſtò aderit, nos comitabitur & deducet de amore in amorem, vſque ad actum ſanctiſſimæ fidei, qui requiritur ad noſtram conuerſionem.

Deus bone, Theotime, quantæ conſolationis eſt conſiderare ſacram hanc methodum, quâ Spiritus Sanctus primos ſui luminis, & caloris vitalis radios ſenſúſque, immittit in corda noſtra! O Iesv dulciſſime, quantis delicijs abundans eſt gaudium, videre cæleſtem amorem (qui ſol eſt & decus virtutum) dum per admirandos quoſdam progreſſus, (qui ſenſim, & quaſi ſine ſenſu efficiuntur ſenſibiles) explicans ſuam claritatem, eam facit ſplendeſcere in animis mortalium, nec vnquam ceſſat eos magis ac magis illuminare, donec tandem illos penitus cooperiat, & velut obruat luce ſuæ præſentiæ, illis elargiens perfectiſſimum ſplendorem ſereniſſimæ diei. O quàm hilaris, quàm pulchra, quàm amabilis, quamq; grata eſt iſthæc aurora! verùmtamen ſtat, quòd aurora illa, aut non ſit dies, aut ſi dies eſt, ſit eum tantùm inchoans, & oriens, vel potius infans diei, quàm ipſemet dies. Eodem pene modo motus amoris, qui præcedunt actum fidei requiſitum, ad noſtram juſtificationem, vel non ſunt amor ipſe, propriè loquendo, vel certè ſunt incipiens & im-

& imperfectus. Paucis, ſunt inſtar primarum gemmarum verno tempore viridantium, quas anima cæleſti ſole calefacta, velut arbor myſtica eiaculatur, ſuntque magis præſagia futurorum fructuum, quàm ipſi fructus.

Pachomius admodum iuuenis, & adhuc Ethnicus adſcriptus militiæ, quã Conſtantinus contra Maxentium Tyrannum congregârat, venit cum ſua cohorte ad paruam quandam ciuitatem, non procul diſtantem Thebis; vbi non ſolùm ipſe, ſed vniuerſus exercitus maxima commeatûs inopiâ cæpit laborare, quod intelligentes dictæ ciuitatulæ habitatores, qui bono omine erant Chriſti fideles,& conſequenter propenſi ad ſuccurrendum proximorum egeſtati, ſtatim militum neceſſitatibus ſubuenerunt, & hoc tanta cum ſolicitudine, diligentia & amore, vt Pachomius ſummè admiratus,interrogârit,quæ eſſet iſta natio tam bona,tam amabilis,tamq; gratioſa? cui cùm dictum eſſet,eos eſſe Chriſtianos, rurſum inquirens, quâ lege & formâ viuerent, didicit eos credere in Iesvm Chriſtum vnicvm Dei Filivm, & eoſdem benefacere omni hominum generi, ſumma cum ſpe & fiducia expectantes, non ab hominibus, ſed ab ipſomet Deo amplam ſuæ beneficentiæ & hoſpitalitatis renumerationem. Hem! Theotime,miſer Pachomius, quamuis bonam nactus eſſet animam, tunc adhuc in infidelitatis ſtrato hærens, altè dormiebat, cùm ecce repentè Devs adeſt, pulſans ad eius cordis portam, & partim bono Chriſtianorum exemplo, partim ſuaui voce eum vocans & excitans, primum caloris vitalis ſui amoris in eo motum excitauit. Vix enim aliquid inaudierat, vt dixi,de amabili lege Saluatoris, cùm nouo lumine, & interiori conſolatione repletus, in partem ſecedens, & apud ſe cogitans, manus in Cælum ſuſtulit, profundumque traxit ſuſpirium, & dixit: *Domine Deus, creator cæli & terræ, ſi dignatus fueris oculos tuos ſuper humilitatem & afflictionem animi mei demittere, ingenerans mihi notitiam tuæ diuinitatis, promitto me tibi totâ meâ vitâ ſeruiturum, tuiſq; mandatis obtemperaturum, quàm potuero accuratiſſimè.* Facta hac oratione & promiſſione, amor veri boni,& ſinceræ pietatis in eo ita ſtatim creuit, vt ex eo momento nunquam intermiſerit in praxin mille millena virtutum exercitia deducere. In hoc exemplo videor videre philomelam, quæ primâ aurorâ euigilans, ſe incipit ſuccutere, agitare, extendere,plumas explicare, nec non in ſuo dumo ab vno ramo ad alterum

terum volitare, paulatimq; ſylueſtres quidem, ſed ſimul delicatos cantus depromere. Notâris enim, non dubito, quomodo tum ſibi, tum alijs militibus à dictis Chriſtianis, exemplo charitatis exhibito, comprimis fortunatus Pachomius ex improuiſo excitatus fuerit. Equidem ſtupor admirationis, quo fuit ſubitò correptus, aliud non fuit, quàm euigilatiò è ſomno, quâ Deus, vt ſol terram, claritatis ſuæ radio eum tetigit, repleuitque magno & eximio ſpiritualis gaudij ſenſu. Vnde Pachomius excutit à ſe impedimenta, vt maiori attentione, collectione & facilitate oblatam gratiam recipere & deguſtare valeat, dum à turbis ad quietem ſe recipit, ibiq; primò acceptum beneficium penſiculatius perpendit; deinde cor & manus extendit in Cælum; quò ab inſpiratione trahebatur, incipit & affectionum alas explicare volitans inter ſui ipſius diffidentiam, & conceptam in Deo confidentiam. Et tum demum alto ſpiritu, & voce humiliter elatâ incipit decantare canticum ſuæ conuerſionis, quo continuò Deum cæli & terræ creatorem ſe iam noſſe fatetur quidem, ſed non ita adhuc intimè, vt perfectè ei ſeruire poſſit. Vnde ſupplex fit Deo, ſibi vt maiorem ſui notitiam impertiat, qua imbutus diuinæ eius Maieſtati perfectum ſeruitium queat exhibere.

Hic velim conſideres, Theotime, qualiter Deus omni ex parte ſenſim inſpirationis ſuæ gratiam corroboret in cordibus eorum, qui ei aſſenſum præbent: dum poſt ſe velut de gradu in gradum ad apicem vſque ſcalæ Jacob, eos ſuauiter trahit. Sed dices qui ſunt funiculi, quibus ab eo tam ſuauiter trahimur? Primus eſt funiculus Adæ, quo ille ſolus nos ſine nobis trahit, prænenit & è ſomno peccati excitat; reliqui autem omnes per eundem quoque fiunt in nobis, ſed non ſine nobis: *Trahe me*, inquit ſacra ſponſa, id eſt, tu incipe primò trahere, nequeo enim vel minimùm me mouere, niſi meo motui des principium; Verùm vbi me moueris, ô mi chare ſponſe, ambo curremus: tu curres ante me, plus vltrà ſemper me trahens, ego autem te currentem ſequar, tuis cõſentiens illicijs. Abſit autem cuipiam veniat in mentem me ligatam inſtar alicuius mancipij, aut inanis bigæ, inuitam poſt te trahi! O non ſic, non ſic trahor, ſed *odore vnguentorum tuorum* trahor. Si pergo lubens, te ſequendo, non vi trahis, ſed libenter ſequentem allicis. Sunt quidem tui allectus fortes, ſed nulli violentiam inferunt. Omnis ſiquidem eorum potentia in vna & ſola conſiſtit dulcedine; vnguẽta & Thymiamata

aliam

aliam ad trahendum non habent vim, quàm ſuauitatem; Suauitas autem quî aliter trahere poteſt, quàm ſuauiter & gratiosè?

De ſenſu ſeu motu amoris diuini, qui per fidem recipitur.

CAPVT XIV.

DEVS fidem nobis elargiens, animæ noſtræ intimos receſſus ingreditur, ibique intellectui noſtro loquitur, non per modum & viam diſcurſuum, ſed inſpirationum, modo tam gratioſo, proponens dicto intellectui, quod fide tenendum eſt, vt ex eo voluntas maximâ perfundatur voluptate: quo fit, vt, pulſo procul omni dubio, & diffidentiâ, incitet intellectum ad conſentiendum, & veritati acquieſcendum; & hoc magna non caret admiratione. Devs enim myſteria fidei tali cum obſcuritate & tenebris proponit animæ noſtræ, vt eorum veritatem non videamus, ſed ſolummodo intervideamus, vti ſubinde contingit terram ita denſâ caligine contegi, vt ſolem ipſum non intueamur, ſed ſolùm claritatem aliquam ea in parte, vbi ille hic & nunc eſt, & vt ita dicam, eum videmus & non videmus, eò quòd vna ex parte non ita videmus, vt omnino dicere poſſimus, nos eum videre; ex altera autem parte non ita modicè eum videmus, vt dicere cum veritate valeamus nos eum non videre. Et hoc vocamus inter videre. Et nihilominus hæc obſcura claritas fidei ingreſſa intellectum noſtrum, non vi diſcurſuum, neq; efficaciâ verorum, aut apparentium argumentorum, ſed ſolâ & vnicâ ſuauitate illius præſentiæ, facit tanta cum auctoritate fidem & obedientiam præſtari ſibi ab intellectu, vt certitudo, quam ex ea habemus, omnes totius mundi certitudines plurimùm ſuperet, ſicque ſibi ipſum ſubijcit intellectum, omneſque illius ratiocinationes, vt comparatione illius, nullæ aliæ certitudines habeantur in pretio.

Diceréne poſſum, inoffenſo Deo, Theotime, hoc quod ſequitur, de fide? fides magna eſt amica noſtri intellectus, quæ abſque erubeſcentia liberè dicere poteſt ſcientijs humanis (ſuam præ illa iactantibus

euidentiam & claritatem) quod dicebat ſponſa ſui ſexûs alijs cuſtodibus ouium: NIGRA SVM SED FORMOSA: quaſi diceret: ô diſcurſus humani, ô ſcientiæ acquiſitæ, NIGRA SVM, quia ſum inter obſcuritates ſimplicium reuelationum, quæ ſunt abſque aliqua apparente euidentia, & vt nigra & fuſca humanis oculis appaream, imò, vt ferè hominibus incognita permaneam, efficiunt, ſum tamen in me ipſa pulchra & formoſa, ob infinitam meam certitudinem. Et verò ſi mortalium oculi me, qualis ſum naturâ, poſſent intueri, totam pulchram & abſque macula me deprehenderent. Quid multis? quis me re ipſa pulchritudine, & amabilitate infinitâ condecoratam, & perfuſam negare audebit? ſiquidem caliginoſæ tenebræ, & ſpiſſæ nebulæ, inter quas aſsiduè verſor, nec tamen vlli videor, ſed ſolummodò interuideor, nequeunt impedire, quo minus ſim grata, quò minus intellectus meam ambiat amicitiam, meq; omni alteri præferat cognitioni, quin & primum mihi aſsignet locum, & ſuam velut Reginam in ſuo excipiat & recipiat palatio! vbi ſcientijs omnibus leges, & iura præſcribo, meoq; imperio omnes humanos diſcurſus & opiniones ſubijcio: quin imò, Theotime, quemadmodum Duces exercitus Iſraelitici *ſuis ſe exſpoliantes pallijs, ea poſuerunt ſub pedibus Iehu,*
Reg. 4 *in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ atque dixerunt: Regnauit Iehu:*
9. ita, adueniente fide in corda mortalium, intellectus ſe exuens omni diſcurſu, & humana reijciens argumenta, fideiq; imperio, ac pedibus, velut Reginæ, ea omnia ſubijciens, magnâ exclamat lætitia, dicens: VIVAT FIDES. Diſcurſus, ratiocinationes, pia argumenta, miracula, aliaq; Chriſtianæ Religionis compendia, efficiunt equidem eam comprimis auditu dignam, & cognitu faciliorem, quàm ea ſit in ſe ipſa, ſed ſola fides efficit, vt ea credatur, agnoſcatur, dum inducit ad amandam pulchritudinem ipſius veritatis, & ad credendam veritatem illius pulchritudinis. Et hoc per ſuauitatem, quâ voluntatem afficit, & per certitudinem, quâ intellectum ſtabilem reddit, pulsâ formidine. Iudæi viderunt miracula, & audiêrunt admiranda, quæ Chriſtus patrabat opera, ſed cùm eſſent diſpoſitionibus neceſſarijs ad fidem recipiendam deſtituti, nec eas quærerent, id eſt voluntas eorum non eſſet adaptata ad ſuſcipiendam & deguſtandam ſuauitatem fidei, propter amaritudinem & malitiam, quâ redundabant, in ſua permanſerunt infidelitate. Vim quidem argumenti experiebantur, & oculis cernebant, ſed concluſio-

nis

Digitized by Google

nis dulcedinem minimè percipiebant. Ideoque veritati nequaquam acquieſcebant, & tamen fidei actus in hoc conſiſtit, vt quod fides iudicauit, intellectus noſter, poſtquam gratum veritatis lumen recepit, adhæreat, ſuaui quidem, ſed ſimul potenti & firmâ ſoliditate & certitudine, quam ex auctoritate reuelationis ſibi factæ accepit.

Audiſti ſæpius, Theotime, quòd in concilijs generalibus diſputationes pro indaganda veritate, adhibitis diſcurſibus, rationibus, & argumentis Theologicis inſtituantur; res autem huiuſmodi diſputationibus vltrò citroq; agitatæ à Patribus, id eſt, ab Epiſcopis, ſpecialiter verò à ſummo Pontifice concluduntur, & determinantur; quibus ſic concluſis, determinatis & pronunciatis omnes plenè acquieſcunt, non propter rationes in præmiſsis diſputationibus, & veritatis indagationibus allegatas, ſed in virtute, & auctoritate Spiritûs Sancti, qui inuiſibiliter in concilijs præſidens, per os ſuorum ſeruorum, quos paſtores totius Chriſtianitatis conſtituit, & ſtabiliuit, id, quod controuertebatur, dijudicat & finaliter determinat. Inquiſitio hæc & diſputatio, fit quidem in atrijs ſacerdotum inter doctores, ſed vltima determinatio, cui omnes acquieſcere debent, fit in ipſo SANCTVARIO: vbi Spiritus Sanctus, qui vniuerſum Eccleſiæ corpus animat, per ora Paſtorum ipſius Eccleſiæ, iuxta quod Chriſtus promiſit, loquitur. Accipe ſimile: quemadmodum Struthiones ſua oua ponunt quidem in arenis Libyæ, ſed ſol ſuo calore pullos excludit: ita doctores Eccleſiæ ſuis ratiocinationibus & diſcurſibus diſcutiunt & proponunt veritatem; verùm radij ſolis juſtitiæ ſunt, qui exhibent certitudinem, inq; ea animos acquieſcere faciunt. Denique, Theotime, certitudo iſta, quam prætendit intellectus humanus in rebus reuelatis, & fidei myſterijs, incipit per feruentes quoſdam ſenſus complacentiæ, & gaudij, quòd recipit voluntas ex pulchritudine & ſuauitate veritatis propoſitæ. Atque ita fides principium amoris comprehendit, quem cor noſtrum ſentit erga res diuinas.

De magno amoris ſenſu, quem per ſpem ſanctam recipimus.

Caput XV.

Qvemadmodum nos expoſiti radijs meridianis ſolis, vix citius claritatem videmus, quàm eius ardorem experiamur: ita fidei lumen haud prius tempore ſplendorem ſuarum veritatum iacit in noſtrum intellectū, quàm noſtra voluntas ſentiat ſanctum amoris cæleſtis calorem. Fides per ineffabilem ſuam certitudinem, facit, vt cognoſcamus Deum eſſe; eundem eſſe infinitum in bonitate, qui poſſit ſe nobis communicare; nec poſſit tantùm, ſed velit; & ita quidem velit, vt ex ineffabili benignitatis dulcedine omnia media perueniendi ad felicitatem immortalis gloriæ nobis præparârit. Porrò nobis ea innata eſt inclinatio ad ſupremum & abſolutum bonum, & ex ea quædam intima & continua inquietudo ita arctè cordi noſtro impreſſa, vt nunquam non teſtetur ad perfectam quietem, & ſolidum gaudium aliquid ſibi deeſſe, verùm, poſtquam fides noſtro intellectui repræſentauit eximium naturalis ſuæ inclinationis obiectum; ô Deus bone, Theotime, quæ voluptas, quod gaudium! quæ vniuerſalis animæ noſtræ exultatio, quæ tunc velut à ſenſibus abſtracta, & in ecſtaſin abrepta ad aſpectum tam excellentis pulchritudinis, clamat, languens amore! ô quàm pulcher es ſponſe mi, quàm pulcher es amice mi!

Eliezer, quærens Iſaaco filio Domini ſui Abraham vxorem, quî ſcire poterat, an pulchram, an gratioſam, qualem deſiderabat, eſſet reperturus? Vbi autem ad fontem eam reperiſſet, & tam excellenti pulchritudine, tamque eximiâ morum ſuauitate præditam animaduertiſſet,
Gen. 24 v. 26. incredibili gaudio exultauit, ſeque *inclinans, DEVM adorauit, & benedixit, dominum Domini ſui Abraham, quòd iter ſuum proſperum feciſſet*, ſed tunc maximè exilijt gaudio, vbi à conſanguineis puellæ facta ſibi eſt poteſtas, eam ſecum abducendi. Cor humanum naturali ſua inclinatione tendit ad Deum, non ſatis ſciens qualis ille ſit, at verò, quando eum deprehendit ad fontem fidei, & tam bonum, tam eximium, tam ſuauem, tamque aduerſus.

Digitized by Google

uerſus omnes benignum, tam deniquè promptum ac propenſum, ad ſe vt SVMMVM BONVM, communicandum omnibus, qui eum deſiderant, animaduertit, DEus bone, quæ non gaudia, & quæ non cæleſtes motiones animum agitant excitantque vt in perpetuum tam amabili bonitati intimè ſe vniat? *Ego,* inquit *anima,* iſtiuſmodi gaudijs, & ſacris commotionibus tacta, *inueni, quem deſiderabam, tenui eum, nec dimittam.* Sed & quemadmodum Jacob, poſtquam formoſam Rachel, cognatam ſuam viderat, & ſanctum ei oſculum fixerat, præ nimia dulcedine totus in lacrymas, ex bona, quam expectabat fortuna, ob tam deſiderabilem occurſum ſoluebatur; ita & noſtrum cor deſolatum, vbi DEUM inuenit, & primùm ab eo ſanctæ fidei recipit oſculum, liqueſcit totum quantum ex ſuauitate amoris, ob repertum infinitum bonum, quod primo ſtatim intuitu conſpicit in abſoluta omnibus numeris pulchritudine diuina.

Certa ſubinde ſentimus gaudia, quæ ex improuiſo animis noſtris abſque vllo apparente argumento ſuboriuntur. Ea ſæpe ſunt præſagia maioris futuri gaudij, vnde complures exiſtimant bonos Angelos, præuidentes bona, quæ nobis euenire debent, eorum quandam præſenſionem nobis imprimere; ſicut è contrario inter ignota pericula nobis timores & horrores immittere, vt DEVM feruentius inuocemus, diligentioremque noſtri cuſtodiam adhibeamus. Porrò quando id, quod præſagiuimus euenit, corda noſtra expanſis brachijs ſuſcipiunt, & in mentem reducunt voluptatem, quam, causâ ignotâ, habuerant: cognoſcunt tunc ſolummodo id, velut prodromum & prænuntium ejus quod euenit, fuiſſe. Ita, mi chare Theotime, poſtquam cor noſtrum, tamdiu habuerat inclinationem ad ſupremum & increatum bonum, ignorarat quorſum motus ille tenderet; at ſimulatque ei fides id detexit, tunc probè aduertit fuiſſe id, quod eius anima requirebat, eius intellectus inueſtigabat, & propenſio in id & inclinatio reſpiciebat. Equidem ſiue velimus, ſiue nolimus, noſter intellectus tendit ad ſupremum illud bonum. Verùm quid eſt illud ſupremum bonum? Reſpondeo, hoc in genere nos ſimiles eſſe Athenienſibus, qui offerebant ſacrificium DEO vero, qui tamen ijs erat ignotus, vſque dum magnus Apoſtolus Paulus illius cognitionem eos edocuit. Ita enim cor noſtrum per profundum & ſecretum inſtinctum tendit in omnes ſuas actiones, & prætendit felicitatem, & eam omni ex parte, velut manu prætentans, iter ad illud ſolicitè

licite quærit, ignarum tamen adhuc vbi reſideat, in quo conſiſtat, vſque dum hoc ei fides detegat, & miris infinitiſque illud modis ipſi deſcribat.

Et tunc vbi inuenit theſaurum, quem indagabat, ô quale gaudium, qualis lætitia, quæ complacentia, & quis amor non oboritur cordi humano? Eho! eum ego inueni, nec tamen cognoui, *quem quærebat anima mea.* O ſciſſem ego quò tendebant meæ præſenſiones & prætenſiones, quando id omne quod prætendebam, me minimè ſatiabat; eò quòd neſciebam, quid reipſa prætenderem? prætendebam quidem amare, ſed ignorabam quid eſſet amandum. Ac ideò mea prætenſio non inueniebat verum amorem. Meus tamen amor ſemper erat in vera prætenſione, ſed quod prætendebam, minimè cognoſcebam. Multas, fatendum eſt, amoris præſenſiones habebam, quæ me prætendere faciebant, ſed non ſufficientia præſagia ſeu prænuncia habebam argumenta illius bonitatis, quæ amanda erat ad exercendum amorem.

Quomodo Amor in ſpe exerceatur.

Caput XVI.

Intellectu humano debitè applicato conſiderationi eorum, quæ de ſupremo bono fides ei repræſentat; voluntas ſtatim concipit eximiam complacentiam in diuino illo obiecto: quod, tunc abſens, procreat ardentiſsimum deſiderium ſuæ præſentiæ: vnde anima in ſocietatem accurrens, ſanctè exclamat, & dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum! Pſal. 83. v. 3,

Et quemadmodum auis, cui Falconarius ab oculis remouet capitium, intuens ante oculos prædam, ſubitò ſe vibrat ad volandum, & ſi contingat eam retineri lemniſcis, conatur, ſuper pugnum exiſtens, quàm ardentiſsimè ſe eis expedire, quin & modo ſibi à natura indito expoſtulat cum ſuo falconario, quòd ſtatim ſe liberam non faciat, & prædam inuadere ſinat. Eodem modo cùm fides remouet à nobis velum ignorantiæ, & ob oculos nobis ponit ſupremum bonum, quod tamen

men necdum valemus poſſidere, retenti huius vitæ mortalis conditione: eheu! Theotime, tunc id deſideramus iuxta Dauidis deſiderium, quod expreſſit Pſalmo 41. v. 1. & ſeqq: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te DEVS. Sitiuit anima mea ad DEVM fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI?*

Deſiderium hoc, Theotime, iuſtum eſt: quis enim non appeteret bonum tam deſiderabile? Veruntamen id penitus eſſet inutile, imò continuum martyrium cordi noſtro, niſi certi eſſemus illud aliquando expletum iri. Is, qui ob remoram & dilationem iſtius felicitatis, proteſtabatur *lacrymas ſuas panes eſſe die ac nocte*, dum ſuus à ſe abeſſet DEUS, & ſui aduerſarij, quotidie ei dicerent: *Vbi eſt DEVS tuus?* Hem! quid feciſſet, ſi deſtitutus fuiſſet ſpe perueniendi, & poſſidendi aliquando bonum, ad quod tam ardenti animo ſuſpirabat? Diuina ſponſa languens amore, plena lacrymarum, plena ſolicitudinis, tota quanta anxia, iam huc, iam illuc vadit, eò quòd non tam citò reperiat ſuum dilectum, quem quærens, volebat. Amor boni amati deſideria in ea creârat, deſiderium autem produxerat ingentem proſecutionis illius ardorem: ardor verò languorem, qui eius afflictum cor exinaniuiſſet, conſummaſſétq;, niſi ſpem aliquam concepiſſet tandem aliquando reperiendi id, quod anhelans proſequebatur. Sicut igitur ne inquietudo & iners languor, quem conatus, & vehemens impreſſio amoris deſiderantis poſſent in noſtris animis procreare, nos inducerent in aliquod animi deliquium, & fors etiam deſperationem, idem ſupremum bonum, quod nos impellit, ad ſe tam ardenter deſiderandum, etiam viam nobis monſtrat ad illud ſecurè & faciliter obtinendum, per infinita propè ab eo promiſſa, & ſimul inſpirationes ea de re factas nobis. Reſtat ſolùm, vt quæ media nobis præparauit, & adhuc quotidie offert, fideliter exequamur.

Porrò, promiſſa hæc, & oracula diuina modo prorſus ſingulari & admirando augent cauſam noſtræ inquietudinis: eaque menſurâ, quâ cauſam amplificant, eâdem imminuunt & deſtruunt effectus. Ita omnino res habet, Theotime, quia aſſecuratio illa, quam DEUS nobis perhibet paradiſum eſſe noſtrum, futurumq; vt aliquando illum poſſideamus, infinitè propemodum fortificat, & acuit deſiderium, quod habemus olim eo fruendi, & ſimul nihilominus debilitat, imò annihilat penitus turbationem, & inquietudinem, quam deſiderium nobis procreabat;

bat; ita vt corda noſtra, ob ſacra promiſſa nobis diuinitus facta, omnino conquieſcant. Et hæc quidem quies eſt radix eximiæ virtutis, quam Spem nuncupamus. Nam voluntas per fidem ſecura, & certior reddita, quòd vtens medijs præparatis poterit frui ſuo ſupremo bono, exercet duos virtutis actus: per vnum quidem expectat à Deo fruitionem ſupremæ ſuæ felicitatis; per alterum autem aſpirat ad eandem ſanctam illam fruitionem.

Et verè, Theotime, inter sperare & aspirare hoc ſolum eſt diſcrimen: quod res, quas auxilio alieno aſſequi poſſe nos putamus, ſperemus; aſpiremus autem ad eas, quas proprijs medijs conſequi prætendimus; quod eſt dicere, per noſmetipſos, & in quantum ad fruitionem ſupremi noſtri boni (quod eſt Deus) primò quidem & principaliter per eius fauorem, & miſericordiam, pertingimus, ſed nihilominus eadem illa miſericordia, vult vt fauori ſuo cooperemur, contribuendo debilitatem noſtri conſensûs fortitudini ſuæ gratiæ. Ideò noſtra ſpes aliquomodo mixta eſt aſpirationi: vnde non ſperamus omnino ſine aſpiratione, nec aſpiramus vnquam ſine ſpe. Qua in re ſpes ſemper tenet primum & principalem locum, quippe fundata ſuper gratiam diuinam, ſine qua, quemadmodum nequimus vel cogitare quidem de ſupremo noſtro bono, vt conuenit, conſequendo; ita non poſſumus vnquam ſine illa aſpirare, vt expedit, ad illud obtinendum.

Aſpiratio igitur eſt velut palmes emiſſarius ſpei, vti cooperatio gratiæ. Et quemadmodum ij, qui volunt ſperare ſine aſpiratione, ſeu quod idem eſt, proprio conatu, vt imbelles & ignaui reijciuntur; eodem modo, qui voluerint aſpirare ſine ſpe, temerarij, inſolentes, & præſumptuoſi omni jure habebuntur. Verùm quando aſpiratio ſequitur ſpem, & ſperantes aſpiramus, & aſpirantes ſperamus, tunc, chare Theotime, ſpes per aſpirationem in auſum minimè ignauum ſe vertit, & aſpiratio per ſpem ſe in humilem prætenſionem conuertit. Quò fit, vt ſperemus & aſpiremus iuxta id, quod nobis Deus inſpirat. Sed interim vtrumque fit per amorem deſiderantem, qui tendit ad ſupremum noſtrum bonum. Quod bonum, quò ſecuriùs ſperatur, eò etiam ſemper magis diligitur. At ſpes aliud non eſt, quàm dulcis & grata complacentia, quam in expectatione & prætenſione noſtri ſupremi boni habemus. Omnia condita ſunt amore, Theotime, vnde ſimulatque fides mihi oſtendit ſupremum bonum

Digitized by Google

bonum meum, illud amare incepi. Et quia mihi erat abſens, deſideraui, quantum potui, vt illud poſſem conſequi, quod vbi factum eſt, rurſum ardentius amaui & deſideraui; aduerti enim eius bonitatem, tantò eſſe amabiliorem, & deſiderabiliorem, quantò magis ea eſt diſpoſita ad ſe communicandum. Porrò, per inſignes hos progreſſus, amor conuertit ſuum deſiderium in ſpem, in prætenſionem & expectationem. Atque ita ſpes eſt amor expectans, & prætendens. Et quia ſupremum bonum quod expectat ſpes, eſt Deus, fit vt non aliud expectet, quàm Deum ipſum, quem ſperat, & ad quem aſpirat. Hæc ſancta virtus, ſpes ſcilicet, quia omni ex parte ſpectat Deum, omni iure venit in numerum virtutum diuinarum, ſeu Theologicarum.

Quòd amor ſpei ſit valde bonus, licet imperfectus.

Capvt XVII.

Amor, quem in ſpe exercemus, Theotime, tendit quidem ad Deum, ſed ad nos reuertitur; ſpectat diuinam bonitatem, ſed cum reſpectu ad noſtram vtilitatem; tendit quidem ad ſupremam perfectionem, ſed reſpicit noſtram ſatisfactionem. Id eſt, non transfert nos in Deum, quâ Deus in ſemetipſo ſummè eſt bonus, ſed qua ſummè bonus eſt aduerſus nos ipſos, vel, vt ipſe vides, aliquid ineſt de noſtro & de nobis ipſis. Ac ideò Amor quidem iſte, eſt verus Amor, ſed concupiſcentiæ, & propriorum commodorum. Non tamen dico eum taliter ad nos redire, vt ſolummodò in Dei amorem nos inducat propter nos. Non, non, bonus id auertat Deus: anima enim quæ Deum non amaret, niſi propter amorem ſui ipſius, faciens finem amoris, quem Deo defert, in proprijs ſuis commodis, eheu! maximum committeret ſacrilegium. Si fœmina quæpiam non alio reſpectu amaret ſuum maritum quàm reſpectu amoris aduerſus famulum, amaret illa maritum in famulo, & in marito ſuum famulum. Idem eſſet de anima quæ Deum non amaret, niſi propter ſui ipſius amorem, illa ſe amaret, vti Deum

O amare

amare deberet; & Deum amaret eo amore, quo illa ſe ipſam amare deberet.

Magna verò differentia reperitur in hac locutione: amo Deum ob bona quæ ab illo expecto; & hanc, non amo Deum niſi propter bona quæ ab illo ſpero, & expecto. Eſt etiam res longè diuerſa dicere: amo Deum propter me: & dicere: amo Deum ob mei ipſius amorem. Nam quando dico, amo Deum propter me, tantũ eſt, ac ſi dicerem: amo habere Deum, amo vt Deus ſit meus, vt ſit meum ſupremum bonum. Quæ ſancta eſt affectio ſponſæ cæleſtis, quæ ſæpiſſime per exceſſum complacentiæ proteſtatur: *Dilectus meus mihi, & ego illi:* ille eſt meus, & ego illius. Sed dicere: amo Deum propter mei ipſius amorem, eſt idem ac ſi diceretur: amor quo me amo, eſt finis eius, quo Deum amo. Atque ita amor Dei eſſet dependens, & ſubalternatus amori proprio, & quod ex eo ſequitur, inferior proprio, quem erga nos habemus. Quod eſt impietas maxima.

Amor igitur ille, quem vocamus ſpem, eſt amor concupiſcentiæ, ſed concupiſcentiæ ſanctæ & bene ordinatæ, per quem non trahimus Deum ad nos, neque ad noſtra commoda, ſed ei nos iungimus, vt finali noſtræ felicitati. Simul cum Deo per hunc amorem nos amamus, ſed Deo nos non præferimus, vel æquamus in hoc amore. Noſtri ipſorum amor eſt mixtus Dei amori, ſed Dei ſupernatat. Proprius quidem noſter amor intrat, ſed ſolùm vt ſimplex motivum, & non principale. Propria noſtra vtilitas aliquem in eo tenet locum; ſed Deus primum, & principalem. Ita dubio procul, Theotime: nam, quando Deum amamus vt ſupremum noſtrum bonum, eo reſpectu eum amamus, quo ad nos eum non referimus, ſed nos ad illum. Non ſumus finis ipſius, neq; prætenſio, neque etiam perfectio, ſed ille eſt noſter finis, noſtra prætenſio, & perfectio. Non ille ad nos ſpectat, ſed nos ad illum ſpectamus, ille à nobis non dependet, ſed nos ab illo. Tandem ex reſpectu ſupremi boni, propter quod eum amamus, nihil ille à nobis recipit, ſed nos ab illo. Effundit in nos bonitatis ſuæ diuitias, nos autem noſtram indigentiam, & inopiam exercemus. Ita vt amare Deum, vt ſupremum bonum, ſit eum amare titulo honorifico, & venerationis pleno: per quem fatemur, & agnoſcimus eum eſſe noſtram perfectionem, noſtram quietem & finem, in cuius adeptione omnis noſtra conſiſtit felicitas.

Sunt

Sunt bona nonnulla, quæ ad noſtra adhibemus ſeruitia, vt ſunt v. g. noſtra mancipia, ſerui, equi, veſtes; & amor quem ergà illa habemus, eſt purè putè amor concupiſcentiæ, quia ea ſolùm amamus propter noſtra commoda. Sunt & alia bona, quibus quidem fruimur, ſed per reciprocam, & ex æquo mutuam fruitionem, vt ſunt amici, & conſanguinei. Amor enim, quem ijs deferimus, quatenus ſcilicet gaudia ex his habemus, eſt equidem etiam amor concupiſcentiæ, ſed honeſtæ: per quam illi ſunt noſtri, & nos ſimiliter illorum; illi ad nos ſpectant, & nos pariter ad illos. Verùm ſunt adhuc & alia bona, quibus fruimur fruitione dependentiæ, participationis, & ſubiectionis, vti eſt v. g. beneuolentia noſtrorum Paſtorum, Principum, Patrum, & Matrum, vel præſentiæ & fauoris: amor enim, quem ijs deferimus, omnino etiam eſt amor concupiſcentiæ, quando nos eos amamus, quâ noſtri ſunt principes, Paſtores, Parentes; quandoquidem neque circumſtantia Paſtoris, neque Principis, neque Patris, aut Matris eſt quæ nos inducit ad eos amandos, ſed ſolùm quia tales ſunt, noſtri causâ, ſeu reſpectu noſtri. Verùm concupiſcentia hæc eſt amor ſubmiſsionis, reuerentiæ, & honoris. Nam amamus, exempli causâ, Parentes non ideò quia noſtri ſint, ſed quia nos eorum ſumus. Et iſte eſt modus, quo Deum amamus, concupiſcimusq́; per virtutem ſpei, non vt ſit noſtrum bonum, ſed quia eſt noſtrum bonum, non vt ſit noſter, ſed quia nos ipſius ſumus; non quaſi ille ſit propter nos, ſed quia nos propter illum ſumus.

Nota, Theotime, in hoc amore, quòd ratio propter quam amamus, id eſt, propter quam corda noſtra applicamus amori illius boni, quod concupiſcimus, eſt, quod ſit bonum noſtrum; ſed ratio menſuræ & quantitatis iſtius amoris dependet ab excellentia & dignitate boni, quod amamus. Amamus exempli causâ noſtros benefactores, quia tales ſunt aduerſum nos, ſed plùs vel minùs eos amamus, iuxta quod maiores vel minores ſunt benefactores; quam ob rem igitur, Theotime, amamus Deum hoc amore concupiſcentiæ? quia eſt bonum noſtrum. Sed cur amamus ſummè? quia ille eſt ſummum noſtrum bonum.

Porrò, quando dico Deum ſuummè à nobis amari, non dico eum à nobis amari reſpectu ſummi amoris; nam ſupremus amor non eſt niſi in charitate: amor autem, qui eſt in ſpe eſt imperfectus, eò quòd non

tendat ad eius infinitam bonitatem, quà talis eſt in ſe ipſa; ſed ſolùm quà talis eſt: & nihilominus quia in hoc amoris genere, non eſt excellentius motiuum, quàm ſit illud, quod conuenit ex conſideratione ſupremi boni; dicimus, quod per illud amamus ſummè, licet in rei veritate, nemò per ſolum iſtum amorem poſſit obſeruare Dei mandata, nec obtinere vitam æternam, eò quòd amor iſte plus exhibeat affectionis, quàm effectûs, ſi charitate deſtituatur.

Quòd amor exerceatur in pœnitentia, & primò quòd diuerſa ſint genera & ſpecies pœnitentiæ.

Capvt XVIII.

Pœnitentia, generaliter loquendo, eſt dolor, per quem quis reſpuit & deteſtatur peccatum quod commiſit, cum decreto & propoſito, quantùm poterit, reparandi offenſam & iniuriam factam ei, contra quem peccauit. Incluſi in pœnitentia Propositvm reparandi offensam, eò quòd dolor non ſatis deteſtetur malum, quando voluntariè omittit principalem effectum, qui eſt offenſa & iniuria. At omittit, quando, potens reparare quocunque tandem genere reparandi, eam non reparat.

Prætermitto nunc pœnitentiam complurium Ethnicorum, qui, vt teſtatur Tertullianus, aliquam pœnitentiæ ſpeciem, vel potius vmbram habuerunt, ſed ita vanam & inutilem, vt quandoque etiam eos pœniteret bene feciſſe. Non enim loquor de pœnitentia, quæ cum virtute coniuncta eſt, quæ & juxta motiua inter ſe differentia, ex quibus profluit, eſt etiam diuerſarum ſpecierum. Inter quas vna omnino eſt purè moralis, & humana, vti fuit pœnitentia Alexandri Magni, qui cùm Clitum vnum è præcipuis ſuis familiaribus in conuiuio, quòd liberius in Perſicos mores inuectus fuiſſet, ſpiculo temulentus traieciſſet, poſtridie tanta facti ſui eum cœpit pœnitentia, vt totum triduum cibo abſtinuerit, decreueritq; omninò inediâ ſibi necem conſciſcere, amicumque optimè de ſe meritum ad inferos perſequi; tam vehemens, inquit Cicero, fuit pœni-

pœnitentia! Huius pœnitentiæ non multùm diſſimilis, licet in alio genere, fuit Alcibiadis, qui à Socrate conuictus, quòd non eſſet ſapiens, perquam amarè cœpit flere, triſtari & affligi, quòd non eſſet, inquit S. Auguſtinus, quod eſſe debuiſſet: Quin & Ariſtoteles perſpectam habens vim, & robur pœnitentiæ, aſſeruit intemperantem, qui ex propoſitò ſe tradit voluptatibus, omnino eſſe incorrigibilem; eò quòd eum non poſſit pœnitere: qui autem ſine pœnitentia eſt, incurabilis eſt.

Seneca equidem, Plutarchus, & Pythagoræi, qui magnopere commendabant examen conſcientiæ, (& maximè Seneca, qui admodum viuaciter loquitur de turbatione, quam interior remorſus excitat in anima) probè aduerterunt pœnitentiam aliquam exſtare. Et quod ad ſapientem Epictetum attinet, tam graphicè deſcribit is reprehenſionē, quam aduerſus nos ipſos adhibere debemus, vt vix melius à quoquam etiam Chriſtiano deſcribi poſſit.

Eſt adhuc & alia pœnitentia, quæ quidem moralis eſt, ſed ſimul etiam Religioſa, & quodammodo diuina: eò quòd procedat ex cognitione naturali, quæ habetur ex eo, quòd, commiſſo peccato, Deus ſit offenſus. Nam multi Philoſophi verè cognouerunt rem gratam fieri diuinitati, ſi virtuti conſentaneè vita traducatur; & contrà, eum offendi, ſi malè & vitioſè. Epictetus, vir non malus, qui optat mori vt verus Chriſtianus (vt etiam eſt valde probabile eum ſic mortuum fuiſſe) inter alia dicit ſe plenè conſolatum iri, ſi moriens, ad Deum manus eleuare poſſit, & dicere illi: *Quantùm ex me fuit, non te inhonoraui:* & quod plus eſt, vult vt ſuus philoſophus admirabili ſe Deo obliget ſacramento, *ad nunquam ſcilicet tranſgredienda diuina eius Maieſtatis ſtatuta; nunquam eandem maieſtatem ſe blaſphematurum, neque accuſaturum ob euentum cuiuſcunq; rei ex parte Dei prouenientis; neque contra eum vllo modo queſturum.* Quin & alibi docet *Deum, & bonum noſtrum Angelum eſſe præſentes noſtris actionibus.* Probè ergo vides, Theotime, quod Philoſophus hic, adhuc exiſtens ethnicus, nōrat peccato Deum offendi, virtute autem honorari; & conſequenter volebat vt qui eum offendiſſet, pœniteret. Fieri ſiquidem etiam examen conſcientiæ veſperi iubebat. In cuius rei fauorem cum Pythagora monebat iuuenes, hunc verſiculum ſuo cum animo verſarent, quoties domum ingrederentur: *quæ male, quæ rectè feci, aut facienda reliqui?*

Porrò pœnitudo huius generis iuncta ſcientiæ & dilectioni Dei, quam ſuppeditare poterat natura, erat quædam dependentia quæ emanabat à Religione morali. Verùm ſicuti ratio naturalis exhibebat plus notitiæ, quàm amoris Ethnicis Philoſophis, qui eum non glorificârunt ſecundum notitiam, quam de eo habebant; ita eadem natura, plus luminis elargiebatur ad ingenerandum intellectui quantopere Deus eſſet offenſus per peccatum, quàm caloris ad excitandam pœnitentiam, ad reparationem offenſæ requiſitam.

Nihilominus licet pœnitentia Religioſa aliquo modo cognita fuerit per aliquos è Philoſophis: ita tamen raro & remiſsè id eueniebat, vt inter illos ij, qui crediti ſunt maximè Religioſi, & virtutum ſtudioſi, (id eſt Stoici) affirmârint hominem ſapientem nunquam contriſtari. Ex quo ſtatuerunt dogma tam contrarium rationi, quàm erat propoſitio ſupra quam illud fundabant, contraria experientiæ. Hoc autem, fuit, *hominem ſapientià præditum non peccare.*

Poſſumus igitur optimè dicere, chare Theotime, pœnitentiam eſſe virtutem omnino Chriſtianam, ſiquidem vna ex parte tam parum innotuit Ethnicis; ex altera autem ita cognita, & perſpecta eſt inter veros Chriſtianos, vt in ea magna ex parte conſiſtat Philoſophia Euangelica, iuxta quam quicunq; præſumit dicere ſe non peccare, inſanus eſſe conuincitur; ſicut & qui credit ſe remedium adferre poſſe ſuo peccato abſque pœnitentia, penitus mente captus habetur. In hoc enim ſumma Chriſti Domini exhortationum fuit ſita, Pœnitentiam agite. En breuis deſcriptio progreſsûs iſtius virtutis.

Ingredimur viam difficilem, & profundæ apprehenſionis, quia, quantùm in nobis eſt, Deum noſtris peccatis offendimus, contemnimus, inhonoramus, & ab eius obedientia recedimus, ac velut perduelles ei rebellamus; qui etiam ex ſua parte omni iure ſe ſentit offenſum, irritatum & contemptum, dum conſtat eum reſpuere, reprobare & abominari omnem iniquitatem. Ex hac vera apprehenſione complura oriuntur motiua, quæ vel omnia, vel plura ſimul, vel vnumquodque in particulari ad dolorem de peccatis & pœnitentiam nos mouere poſſunt.

Nam conſideramus ſubindè Deum, qui offenſus eſt, conſtituiſſe punitionem in inferno pro peccatoribus rigidam; & quòd eos priuaturus

rus

Digitized by Google

rus ſit beatitudine æterna,quæ ſolùm probis, & Deum timentibus præparata eſt. Porrò,vt deſiderium beatitudinis omni honore dignum eſt, ita timor eam perdendi comprimis eſt laudabilis: nec hoc tantùm, ſed deſiderium beatitudinis cùm ſit maximi faciendum, timor eius contrarij, quod eſt infernus, eſt bonus & laude dignus. Hem! ecquis non timeret tantam iacturam,& pœnam eam conſequentem? Et quidē duplex iſte timor, quorum vnus ſeruorum eſt, alter mercenariorum,magnopere nos inducit ad pœnitendum de peccatis: per quæ nos & iacturam patriæ cæleſtis, & pœnam peccatis debitam incurrimus. Et ad effectum hunc, timor hic, in ſacris litteris, infinitis propè vicibus nobis intimatur, & inculcatur; aliàs conſideramus turpitudinem & malitiam peccati prout fides nos edocet, vt, exempli gratia, quòd per illud ſimilitudo & imago Dei, quæ in nobis eſt,contaminetur ac deturpetur;quòd dignitas noſtri intellectûs, magno dedecore afficiatur; quòd nos ſimiles brutis animalibus reddamur, quia ſcilicet quod erat debitum noſtri in Deum officij,abutendo creaturis, violauimus, & iacturam boni,quod ex ſocietate Angelorum habebamus fecimus, ſocioſque Dæmoum nos conſtituimus, eiſque ſubiecimus; nos ipſos conſtituentes mancipia noſtrarum paſſionum, inuertentes rationis ordinem, nil veriti offendere noſtros Angelos cuſtodes, quibus tot nominibus obligati tenemur.

Quandoque etiam prouocamur ad pœnitentiam pulchritudine virtutum, à quibus tot condecoramur bonis, quot malis afficimur à peccatis. Adde quòd ſæpius ad dictam pœnitentiam ſanctorum exemplis prouocemur. Ecquis enim vnquam intimè penetrans exercitia incomparabilis pœnitentiæ D. Mariæ Magdalenæ, Mariæ Ægyptiacæ, vel Pœnitentium Monasterii Carceris cognominati (quos S.Joannes Climacus deſcribit) non moueatur ad pœnitentiam de peccatis agendam; ſola ſiquidem hiſtoriæ lectio potens eſt, prouocare eos ad eam peragendam,qui vel modicum quid boni ſenſûs retinent.

Pœniten-

Pœnitentiam abſque amore eſſe imperfectam.

Capvt XIX.

Porrò omnia hæc motiua à fide & Religione chriſtiana edocemur : ideoq; pœnitentia,quæ inde prouenit, ſummè eſt laudabilis, licet imperfecta. Eſt inquam verè laudabilis : nam, neque ſacra ſcriptura, neque Eccleſia nos incitaret per talia motiua, ſi pœnitentia, quæ inde procedit non eſſet bona. Adde, quòd pœnitere hoc modo de peccatis admodum ſit rationi conſentaneum : imò, auſim aſſerere fieri non poſſe, vt is,qui attentè dicta motiua conſiderat, non pœniteat, ideóque talem pœnitentiam eſſe verè pœnitentiam, licet imperfectam, in quantùm amor diuinus adhuc in ea deſideratur. Eheu! nónne vides, Theotime, quòd omnes iſtæ pœnitentiæ fiunt ob bonum animæ, ob felicitatem, ob interiorem pulchritudinem, honorem, & dignitatem eidem animæ acquirendam? vno verbo, ob amorem noſtri ipſorum, qui eſt amor, omnium judicio, legitimus, juſtus,& bene ordinatus?

Aduerte autem me non dicere,quod huiuſmodi pœnitentiæ reijciant Dei amorem, ſed ſolùm affirmare, quòd eum in ſe non comprehendant : non repellunt quidem, ſed nec eum continent ; non ſunt illi contrariæ ; ſed adhuc ſunt ſine illo : non quidem eſt ab ijs excluſus, ſed nec etiam in ijs incluſus. Voluntas, quæ bonum ſimpliciter amplectitur, admodum bona eſt, ſed ſi ita id amplectatur, vt melius reijciat, eſt verè inordinata, non quidem quòd vnum acceptet, ſed quòd alterum reijciat. Ita votum elargiendi hodie eleemoſynam bonum eſt; ſed votum hodie ſolùm elargiendi, eſſet malum, eò quòd excluderet melius, quod eſt elargiri hodie, cras, & quotieſcunq; ſuppetit facultas. Bonum eſt quidem, nec vllus ſanæ mentis negârit, pœnitere de commiſſis peccatis ad euitandam pœnam infernalem,& obtinendam beatitudinem; ſed qui ſtatueret nolle alio motiuo de eis dolere, voluntariè excluderet Melivs, quod eſt pœnitere ob Dei amorem, & magno ſe peccato inquinaret. Quis enim Patrum aut Matrum non judicaret malum, ſi

filius

Digitized by Google

filius vellet quidem ſeruire, ſed nunquam ex amore, aut propter amorem?

Principium rerum bonarum eſt bonum, progreſſus melior, & finis optimus: tamen principium hoc bonum eſt, vt principium, & progreſſus vt progreſſus, ſed velle finem operi imponere per principium aut per progreſſum, eſt inuertere ordinem. Eſſe infantem, bonum eſt, ſed velle ſemper agere infantem, ſeu in ſtatu infantis permanere, quis non dicat eſſe malum? Nam infans centum annorum reprehenditur. Incipere aliquid boni addiſcere, laudabile eſt, ſed qui inciperet intentione ſe nunquam perficiendi, procul deuiaret à recta ratione. Timor, aliaque motiua, de quibus locuti ſumus, bona ſunt pro principio ſapientiæ Chriſtianæ, quæ conſiſtit in pœnitentia: ſed qui nollet ex propoſito deliberato peruenire ad amorem, qui finis eſt pœnitentiæ, grauiter eum offenderet, qui omnia deſtinauit ad ſui amorem, vt rerum omnium finem.

Concluſio, pœnitudo quæ excludit DEI amorem infernalis eſt, ſimilis damnatorum: pœnitentia, quæ DEI amorem non reijcit; eſto adhuc ſit ſine eo, eſt bona & deſiderabilis pœnitentia, ſed imperfecta vſq; dum amorẽ nanciſcatur, & amori ſe ſociet; Et vt DEI Apoſtol' dicit: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: 1. Cor. 13. 4.
Ita veritati conſentaneè dicere poſſumus nos: ſi pœnitentia noſtra tanta vi eſſet prædita, vt eius dolor oculos noſtros in lacrymas totos quantos reſolueret, & pœnitudine corda noſtra eodem dolore diffinderet, ſi ſancto DEI amore deſtituti eſſemus, omnia iſta nihil nobis prodeſſent ad vitam æternam.

Quomodo mixtio amoris & doloris fiat in contritione.

CAPVT XX.

NAtura, quod quidem ſciam, nunquam conuertit ignem in aquam, quamuis complures aquæ conuerſæ ſint in ignem. Attamen DEUS miraculosè agendo, ſemel id fecit, nam vti ſcriptum eſt in libro Machabæorum, quando filij Iſraël, tempore Sedeciæ, captiui ducti ſunt in Babylonem, Sacerdotes, monitu Jeremiæ, *acceptum ignem de altari* 2. lib. c. 1. v. 19.

de altari abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus: poſtquam autem reuerſi ſunt è captiuitate, nepotes eorum qui ignem abſconderant, eum requirentes, iuxta acceptum à ſuis patribus documentum, inuenerunt illum in aquam craſſam conuerſum: quæ hauſta per illos, & effuſa ſuper ſacrificia, jubente Nehemiâ, ſimulatque radij ſolis refulſerunt, accenſus eſt ignis ita magnus, vt omnes ſummè mirarentur.

Theotime, inter tribulationes & dolores viuacis pœnitentiæ, Deus perſæpe in intimis cordium noſtrorum receptaculis excitat ſacrũ ſui amoris ignem: qui deinde amor in aquam multarum lacrymarum conuertitur, & per ſecundam mutationem, lacrymæ ipſæ conuertuntur in longè maiorem amoris flammam: ita celebris illa & inſignis Pœnitens amatrix Chriſti, primò Saluatorem vnicè dilexit, poſtmodùm verò amor in largos fletus ſe conuertit, fletus autem in excellentem amorem. De quo dicit Saluator: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Et quemadmodum videmus ab igne vinum in aquam, quæ fere paſſim vocatur aqua vitæ, conuerti, quæ, quia concipit & nutrit facile ignem, pluribus in locis vocatur AQVA ARDENS; ita ſuauis & amabilis conſideratio bonitatis, (quæ cùm ſit ſummè amabilis, offenſa eſt per peccatum) producit aquam ſanctæ pœnitentiæ, deinde ex aqua pœnitentię prouenit reciprocè ignis diuini amoris; vnde propriè vocari poteſt AQVA VITÆ, ſeu ardens. Nec formides velim eam nuncupare aquam, eſt enim talis in ſua ſubſtantia: quid enim aliud eſt pœnitentia, quàm verus dolor, & cordis pœnitudo? ſed tamen ARDENS aqua, eò quòd contineat virtutem & proprietatem amoris, quippe qui prouenerit ex motiuo ſuaui & amabili. Et per hanc proprietatem elargitur vitam gratiæ. Inde eſt quòd vera pœnitentia habeat duos differentes effectus: quia, in virtute ſui doloris & deteſtationis, nos ſeiungit & ſeparat à PECCATO, & à CREATURA, cui inordinata delectatio nos affixerat: at in virtute motiui amoris, vnde ſuam deſumit originem, nos reconciliat, & reunit Deo noſtro, à quo, illato ei contemptu, eramus ſeparati, ita vt eo modo, quo nos retrahit à peccato per pœnitentiam, eodem nos viciſſim iungat Deo per amorem.

Non intendo tamen dicere, quòd perfectus Dei amor, per quem is amatur ſuper omnia, præcedat ſemper pœnitentiam; neque quòd dicta pœnitentia amorem ſemper præcedat. Nam licet perſæpe ſic eueniat,

niat, nihilominus aliàs eodem tempore, quo diuinus amor naſcitur in cordibus noſtris, pœnitentia naſcitur in amore: quin & pluribus vicibus, dum pœnitentia venit in corda noſtra, Dei amor venit in pœnitentiam. Et quemadmodum, egrediente Eſau ex vtero matris, Iacob, eius Gemellus, plantam fratris tenebat manu, vt non ſolùm eorum ortus ſe inuicem conſequerentur, ſed etiam complecterentur, quaſi colligati eſſent inter ſe: ita rudis & aſpera pœnitentia propter dolorem, prima naſcitur, vt alter Eſau; amor autem ſuauis & gratioſus, vti Iacob, eam per plantam pedis tenet, & ita ei adhæret, vt vnam tantùm habeant originem: ſiquidem finis natiuitatis pœnitentiæ, eſt principium ortûs perfecti amoris. Porrò ſicut Eſau primus comparuit, ita communiter pœnitentia ante amorem ſe videndam exhibet, at amor, vt alter Iacob, licet ſit ſecundò genitus, ſubijcit tamen poſtea ſibi pœnitentiam, eam in conſolationem conuertens. Gen. 25. 25.

Aduerte obſecro, Theotime, quomodo dilecta Magdalena ploret ex amore: *Tulerunt Dominum meum,* inquit illa, tota quanta lacrymis perfuſa, *& neſcio vbi poſuerunt eum,* ſed vbi per ſuſpiria & fletus inuênit eum, & inuentum tenet illa, & poſſidet per amorem. Amor imperfectus eum deſiderat & requirit, pœnitentia autem indâgat, & reperit: Amor perfectus tenet & conſtringit, ſicut dicitur de carbunculis Æthiopiæ, qui naturaliter ignem ſuum habent perquàm pallidum, ſed poſiti in aceto, ſplendent, & radios emittunt clariſſimos: quia amor, qui præcedit pœnitentiam, ordinariè eſt imperfectus; at cùm maceratus & imbutus fuerit acrore pœnitentiæ, ſe corroborat & in excellentem euadit amorem.

Negari non poteſt, quin aliquando eueniat, vt pœnitentia, eſto ſit perfecta, in ſe non contineat propriam actionem amoris, ſed ſolùm virtutem & proprietatem illius. At dices, qualem virtutem aut proprietatem amoris habere poteſt pœnitentia, ſi non habeat eiuſdem actionem? Theotime, motiuum perfectæ pœnitentiæ, eſt Dei bonitas, ob quam offenſam dolemus; porrò motiuum hoc, non eſt motiuum, niſi quia mouet, & motum imprimit; ſed motus bonitatis diuinæ, quem imprimit cordi ſe conſideranti, non poteſt eſſe niſi motus amoris, id eſt, vnionis. Inde eſt quòd vera pœnitentia, licet non notetur, nec videatur propria amoris actio, ſemper tamen recipit motum amoris, & qua-

litatem vnitiuam illius, per quam nos reunit & reponit in gratia cum diuina bonitate. Agedum nónne proprium magnetis eſt ad ſe trahere ferrum & ſibi iungere? & tamen videmus, quòd ferrum tactum à magnete non habens neque magnetem, neque eius naturam, ſed ſolùm eius virtutem & qualitatem attrahentem, non intermittat trahere, & ſe vnire alteri ferro. Ita perfecta pœnitentia, tacta à motiuo amoris, licet non habeat in ſe propriam amoris actionem, habet tamen virtutem & qualitatem illius, id eſt motum vnionis ad viciſſim iungenda & reunienda corda noſtra voluntati diuinæ. Sed inquis: qualis eſt differentia inter hunc motum pœnitentiæ vnientem, & propriam amoris actionem? Theotime, actio amoris, eſt motus vnionis quidem, ſed qui fit per complacentiam; motus autem vnionis, qui eſt pœnitentia, non fit viâ complacentiæ, ſed diſplicentiæ, pœnitentiæ, reparationis, & reconciliationis. Quà igitur motus hic vnit, habet qualitatem & proprietatem amoris: quà autem eſt amarus, & dolorem creat; habet proprietatem pœnitentiæ: breuiter ex naturali ſua conditione, eſt verus motus pœnitentiæ, habens virtutem & proprietatem vnitiuam amoris.

Ita vinum theriacale, non ideò vocatur theriacale, quòd propriam ſubſtantiam theriacæ contineat; quia nihil omnino de theriaca ineſt tali vino, ſed hoc nuncupatur nomine, quòd inferior pars vitis ſeu planta, antequam plantaretur madefacta & macerata ſit in theriaca. Vnde vuæ & vinum inde prouenientia virtutem & operationem theriacæ contra omne genus veneni traxerunt. Si igitur pœnitentia, iuxta ſacras literas, delet & extinguit peccatum, ſaluat animam, & Deo eam reddit acceptiorem, iuſtificat etiam; qui ſunt effectus pertinentes ad amorem, & qui omnino videntur illi attribui debere, mirum videri non debet: nam & ſi ipſemet amor non ſemper inſit perfectæ pœnitentiæ, ineſt tamen ſuâ virtute & proprietate, dum in eam influit ex motiuo multùm ad amorem impellente, ex quo ille prouenit.

Nec mirandum eſt, quod vis & proprietas amoris inueniatur in pœnitentia, antequam is perfectè ſit formatus; videmus ſiquidem per reflexionem radiorum ſolis diuerberantis glaciem alicuius ſpeculi, calorem, (qui eſt virtus & propria qualitas ignis) ſenſim ita augmentari, vt ardere citiùs incipiat, quam perfectè ignem produxerit, vel ſaltem citiùs, quàm ab eo productum animaduertamus. Ita enim Spiritu ſan-

cto

ᵭo iaciente in noſtrum intellectum conſiderationem & cognitionem magnitudinis noſtrorum peccatorum, quibus offendimus ſupremam eius bonitatem; & voluntate noſtrâ recipiente iſtius cognitionis reflexionem, pœnitudo peccatorum vnà cum quodam calore affectiuo, & deſiderio redeundi in gratiam cum Deo, paulatim ita creſcit, donec tandem motus iſte eò vſque pertingat, vrat & vniat, idq; antequam amor perfectè ſit formatus. Qui tamen amor, velut ſacer quidam ignis, immediatè eo ipſo temporis puncto igneſcit. Quo fit, vt pœnitentia nunquam perueniat ad ſignum & notam vſtionis & vnionis humani cordis cùm Deo (quæ eſt eius ſuprema perfectio) quin tota quanta conuertatur in ignem & flammam amoris, ita vt finis vnius ſeruiat principio alterius. Imò, potius finis pœnitentiæ, eſt in principio amoris, ſicut planta pedis Eſau erat in manu Jacob, ita vt quando Eſau abſoluebat ſuam natiuitatem, Jacob ſuam inchoaret: fine natiuitatis vnius iuncto, ligato, & quod plus eſt, velut circumdato principio ortûs alterius. Hoc enim principium perfecti amoris non ſolùm ſequitur finem pœnitentiæ, ſed ſe ei affigit, ligat: &, vt verbo dicam, principium amoris ſe miſcet & immittit fini pœnitentiæ, & in momento iſtius mixtionis, pœnitentia & contritio meretur vitam æternam.

Porrò quia dulcis pœnitentia hæc exercetur ordinariè per quandam vibrationem & eleuationem cordis in Deum, quæ fere repræſentant modum antiquorum pœnitentium: *Tuus ſum, ò mi DEVS, ſalua me, mei miſerere, miſericordia tua præueniat me: In te enim confidit anima mea, ſalua me Deus, quoniam aquæ intrauerunt vſque ad animam meam. Fac me, vt vnum de mercenariis tuis. DEVS propitius eſto mihi miſero peccatori.* Non abſque cauſa & ratione nonnulli dixerunt per orationem hominem peccatorem iuſtificari: nam oratio pœnitens, vel pœnitentia ſupplicans, eleuans animum in Deum, & rurſum hominem peccatorem vniens cum ejus bonitate, dubio procul in virtute ſancti amoris, qui ei ſacrum motum elargitur, peccator obtinet remiſsionem. Ideoque abundare debemus huiuſmodi orationibus jaculatorijs (factis per modum feruentiſſimæ pœnitentiæ) & votis, quæ nos reconcilient cum Deo, vt per ea coram oculis Dei Saluatoris manifeſtatâ tribulatione noſtrâ, effundamus animas noſtras coram & intra pijſſimum ejus cor, à quo miſericordiam expectamus.

Digitized by Google

Qualiter illicia ad Diuinum amorem impellentia, nos iuuent & commitentur vſque ad ipſam fidem & charitatem.

Capvt XXI.

INter primam ſuſcitationem à peccato ſeu incredulitate, & finale decretum, quo quis ſtatuit firmiter credere, ſæpe multum temporis interlabitur; quo durante orare poteſt, vt orauit Pachomius, de quo ſupra diximus; ſicut etiam Pater miſerculi illius lunatici Euangelici, qui referente S. Marco, aſſerens ſe credere, id eſt, incipere credere, aduertit ſtatim ſe non ſatis credere: vnde exclamauit: *Credo Domine, ſed adiuua meam incredulitatem.* Quaſi diceret, non amplius iaceo in obſcuritate noctis infidelitatis; iam radij tuæ fidei ſupra horizontem animæ meæ exſurgunt, ſed tamen necdum credo, vt credere conuenit. Notitia hæc adhuc debilis eſt, & mixta tenebris: eheu! Domine ſuccurre mihi. Magnus etiam Sanctus Doctor Auguſt. hoc ſolenniter pronunciat verbum: *Audi ſemel, ô homo & intellige: non tu traheris? ora vt traharis.* Qua in locutione non intendit dicere de primo motu, quem Deus in nobis ſine nobis producit, & excitat, quando nos è ſomno peccati euigilare facit: quomodo enim petere poſſemus excitationem à ſomno, nemo ſiquidem orare poteſt, antequam excitetur? ſed loquitur de decreto, quo quis ſtatuit eſſe fidelis. Exiſtimat enim quòd credere ſit trahi; & ideò monet eos, qui fuerunt excitati, vt in Deum credant, donumq; fidei petant. Et verò nemo melius ſcire poterat difficultates, quæ ordinariè interueniunt inter primum motum, quem Deus in nobis facit; & perfectum decretum bene credendi, quàm S. Auguſtinus, qui, cùm expertus eſſet tantam varietatem allectationum, & illiciorum ex congreſſu glorioſi Doctoris Ambroſij, & collationibus vltro citroque habitis cum Potitiano, & ſexcentis alijs modis, non intermiſit nihilominus conuerſionem ſuam de die in diem differre, & experiri difficultates propè infinitas, antequam ad fidem Catholicam amplectendam ſe determinaret. Vnde veriùs illi, quàm vlli alteri dici pote-

poterat, quod poſtea dixit alijs: *age Auguſtine, ſi non es tractus, ſi non credis, Deum ora, vt traharis, fidemq; complectaris.*

Deus trahit ad ſe corda, per delectationes quas ijſdem cordibus elargitur. Quæ delectationes hoc agunt in hominibus, vt doctrinam cæleſtem, gratiamque ſentiant experianturque ſuauiſſimam. Verùm antequam ſuauitas iſta obliget, imò liget voluntatem per amabilia vincula, vt ſinat ſe trahi ad acquieſcendum, & conſentiendum perfectæ fidei, ſciendum eſt, quod ſicut Deus aſſiduè bonitatem ſuam in nobis per ſanctas inſpirationes exercet; ita & diabolus perpetuò per tentationes ad malum animos noſtros ſolicitat. Interim tamen relinquimur in plena libertate ad conſentiendum vocationi Diuinæ, vel eidem diſſentiendum. Nam ſicut ſacrum Concilium Tridentinum dilucidè declarat dicens: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti quoddam inane, nihil omnino agere, mereq; paſsiuè ſe habere, anathema ſit:* Certè talem, ſi quem reperiret Eccleſia, excommunicaret, & reprobaret. Quod ſi non repellamus gratiam ſancti eius amoris, illa per continua augmenta eò vſque in noſtris animabus ſe dilatat, quouſque eæ integrè conuertantur: & hoc ad inſtar magnorum fluuiorum, qui deprehendentes planities apertas, ſe dilatant, & maiorem atque maiorem ſemper locum occupant. Can. 4 de Iuſt.

Quod ſi inſpiratio, quæ nos traxit ad fidem, non reperiat in nobis obſtacula, trahit nos vſque ad pœnitentiam & ipſammet charitatem. S. Petrus velut aues apodes, de quibus ſuprà, ſublatus & excitatus per inſpirationem, quam oculi miſericordiſſimi eius Magiſtri ei impertiti ſunt, ſinens ſe liberè moueri, & portari à ſuaui vento ſpiritus Sancti, reſpicit ſalutares oculos, qui ſe excitârunt, legit in illis, velut in libro vitæ, benignam peccati ſui condonationem, quam diuina bonitas ei offert; indeque haurit juſtum ſpei motiuum; egreditur ex aula & palatio, conſiderat horrorem contractæ labis, eandemque deteſtatur, flet, gemit, proſternit miſerabile cor ſuum ante cor miſericordiæ Domini & Magiſtri ſui, clamat, veniam petit, proponit poſthac fidelitatem, nullo vnquam tempore, aut euentu violandam; & per progreſſum iſtorum motuum, in praxim redactorum, beneficio gratiæ, quæ eum ad bonum ducit,

cit, ei aſſiſtit, & continuè adiuuat, tandemque peruenit ad ſanctam peccatorum ſuorum omnimodam remiſſionem. Ita de gratia in gratiam procedit, iuxta quod Sanctus Proſper aſſerit, *quòd ſcilicet ſine gratia, non curritur ad gratiam.*

Atque ita, vt punctum hoc concludam, anima præuenta gratiâ, ſentiens primos Dei attractus, conſentienſque eorum dulcedini, velut poſt longum animi deliquium, incipit ſuſpirare, & in hæc atque his ſimilia verba prorumpere: *O, chare mi ſponſe, amice mi, trahe me, etiam atque etiam te obteſtor, & ſupra tua brachia me attolle; neqneo enim aliter præ languore progredi. Verùm ſi me trahas, ſimul ambo curremus, tu me adiuuans & refocillans odore vnguentorum tuorum; ego autem eo recreata, pro viribus tuo adiutorio ſuffragans & odorans tuas ſuauitates, quibus releuor, vſque dum balſamo ſacri tui amoris, id eſt ſalutari vnctione iuſtificationis, perfundar.* Viden', Theotime, quòd illa non oraret, niſi exercitata eſſet, ſed quàmprimùm eſt, & ſentit ſuaues attractus diuinæ bonitatis, orat, vt trahatur, & tracta *currit viam mandatorum* DEI. Verùm minimè curreret, ſi vnguenta, per quæ illa trahitur & attrahitur vi & virtute pretioſi ſui odoris, cor ei non viuificarent. Et quò fortiùs currit appropinquans ad ſuum cæleſtem ſponſum, eò delicioſiùs ſemper ſentit ſuauitates, quas ille diſpergit, vſque dum tandem ille ipſe in eius cor, adinſtar effuſi balſami, illabatur. Vnde præoccupata gaudio inopinato, & opinione citiùs conceſſo exclamat: *O ſponſe mi, ô balſamum ſuauiter influens in ſinum ancillæ ſuæ: quid mirum ſi adoleſcentulæ dilexerunt te nimis?*

Hoc modo, amantiſſime Theotime, inſpiratio cæleſtis ad nos venit, imò & præuenit, excitans voluntates noſtras ad ſacrum amorem. Quod ſi eam nos non repellamus, pergit nobiſcum, quin & nos ambit cingitque, ad nos excitandos & ſemper longius ac longius in amorem propellendos: & ſi nos eam non deſeramus, illa minimè nos deſeret priuſquam nos deduxerit ad tutum charitatis portum, nobis exhibendo tria illa officia, quæ Archangelus Raphaël ſuo charo Tobiæ exhibuit: comitatur enim nos in omni itinere ſanctæ pœnitentiæ; ſeruat ab imminentibus periculis & aſſultibus diaboli; & tandem in omnibus noſtris difficultatibus conſolatur, animat, vireſque ad eas ſuperandas ſuppeditat.

Breuis

Breuis deſcriptio charitatis.

CAPVT XXII.

EN tandem, chare Theotime, modum & progreſſum ineffabilis ſuauitatis plenum, quo DEUS animam è peccato, velut ex Ægypto eductam, de amore in amorem, quaſi ex hoſpitio in hoſpitium deducit, vſque dum planè in terram promiſsionis introducat: volo dicere, in deliciosos ſanctiſſimæ charitatis hortos. Quæ, vt verbo dicam, eſt amicitia, & non amor ſua quærens commoda, ſeu quod idem eſt, amor concupiſcentiæ. Nam per charitatem DEUM amamus propter ſui ipſius amorem, conſideratâ eius bonitate ſummè amabili. Amicitia autem hæc, eſt vera amicitia: quia eſt reciproca: cùm enim DEUS æternè amârit eum, à quo viciſſim amatus eſt, amatur, vel amabitur temporè, quis dubitet eſſe, & agnoſci debere reciprocam? DEUS ſiquidem nequit ignorare amorem, quem eius causâ noſtro gerimus pectore, quia ille ipſe eum nobis elargitus eſt; neque etiam nos poteſt latere amor, quem habet aduerſum nos; eum ſiquidem nobis commendans, tanto ſtudio publicauit, & quicquid nos habemus boni, vt veros effectus eius beneuolentiæ recognoſcimus. Et tandem continuè nos cum illo noſtra omnia communicamus, & ipſe ſimiliter per ſanctas inſpirationes, per amabiles ad omne bonum prouocationes, ſacraſque commotiones non intermittit ad cor nobis loqui: dum ſine intermiſsione ſua in nos liberali manu effundit beneficia, ſanctiſſimæque omnis generis affectionis teſtimonia exhibet: nec non apertè nobis vt fidis ſuis amicis ſua reuelat ſecreta; & pro cumulo ſanctiſsimi & ſuauiſſimi, quod nobiſcum habet, commercij, ſe ipſum in cibum & potum nobis in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento exhibet. Et quod ad nos attinet, omni hora, omni momento cum eo per ſanctas orationes, ſi ita nobis lubeat, agimus; habentes omnem vitam, omnem motum, & exiſtentiam, non ſolùm cum illo, ſed in illo & per illum.

Q Porrò

Porrò amicitia iſta non eſt ſimplex amicitia, ſed dilectionis amicitia, per quam Deum eligimus, vt amore peculiari eum diligamus. *Electus*, inquit ſacra ſponſa *ex millibus*, dicit ex millibus, at dicere vult ex omnibus. Inde eſt, quòd dilectio iſta non ſit dilectio ſimplicis excellentiæ, ſed dilectio incomparabilis: charitas enim amat Deum per amorem inæſtimabilem, & prærogatiuam eius bonitati debitam, adeoq; exaltatam ſupra omnem aliam æſtimationem, vt alij amores vel non ſint veri amores comparatione huius; vel ſi ſunt veri amores, hic amor infinities ijs ſit maior. Proinde, Theotime, non eſt amor, quem vel vires naturales, vel humanæ, vel Angelicæ valeant producere, ſed ſpiritus ſanctus tribuit, & effundit in corda noſtra. Et ſicut animæ noſtræ, quæ vitam corporibus communicant, non habent originem ex noſtris corporibus, ſed in ea infuſæ ſunt per naturalem Dei prouidentiam; ita Charitas, quæ cordibus noſtris vitam ſpiritualem elargitur, non eſt educta è cordibus noſtris, ſed in ea fuſa eſt, vt cæleſtis quidam liquor, per ſupernaturalem prouidentiam diuinæ eius Maieſtatis.

Propter hoc igitur, & plura alia, vocamus eam charitatem, amicitiam ſupernaturalem, eò quòd Deum reſpiciat, ad eumque tendat, non ſecundùm ſcientiam naturalem, quam ab eius bonitate habemus, ſed ſecundum ſupernaturalem cognitionem fidei. Et inde eſt, quòd ea cum fide & ſpe reſideat in ſupremo mentis apice, & velut Regina ſumma cum Maieſtate reſideat in voluntate, ſicut in throno, ex quo ſuper omnem animam ſuas ſuauitates & dulcedines effundit: eam hoc modo efficiens totam quantam pulchram, gratam & amabilem diuinæ bonitati, ita vt, ſi anima ſit regnum, cuius Sanctus Spiritus Rex exiſtat, charitas ſimiliter eſt Regina *ſedens à dextris in veſtitu deaurato, circũdata varietate*; ſi anima eſt Regina ſponſa magni Regis Cæleſtis, charitas eius eſt corona, quæ mirâ regiaque dignitate eius caput exornat; verùm, ſi anima ſuo cum corpore eſt paruus mundus, charitas eſt eius ſol, quia omnia condecorat, omnia calefacit, omnibuſque vitam tribuit.

Paucis, Charitas eſt amor amicitiæ, & dilectionis, dilectio autem eſt prærogatiuæ, & præeminentiæ, nec qualiſcunque præeminentiæ,

tiæ, ſed incomparabilis, quæ ſumma eſt & ſupernaturalis. Quæ proinde eſt velut ſol in tota anima, quam ſuis condecorat radijs in omnibus facultatibus ſpiritualibus, quas perficit, in omnibus potentijs, quas moderatur; at verò in voluntate velut in proprio ſolio, vt in ea reſideat, inducatque ad Deum ſuum amandum, & adorandum ſuper omnia. O beata illa anima, in qua ſancta iſta dilectio infuſa perſeuerat, omnia ſiquidem cum ea pariter animæ illi ad votum proueniunt!

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

De PROGRESSV ET PERFECTIONE AMORIS.

Quòd Diuinus amor ſemper magis ac magis in quolibet noſtrum poſſit augeri.

CAPVT I.

SAcrum Tridentinum concilium aſſerit DEI amicos, euntes de virtute in virtutem, de die in diem renouari; id eſt, per bona opera creſcere in iuſtitia, per Chriſti gratiam accepta, & magis ac magis per obſeruationem mandatorum iuſtificari, Eccleſ.
ſcriptum enim eſt: *qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & qui* 18. 22.
ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Ne verearis vſque ad mortem Prouſ
iuſtificari. Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & 4.v.18.
creſcit vſque ad perfectam diem. Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Et tandem hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet. Ad Epheſ. 4 v. 15.
Omnia iſta ſacra verba ex propheta Dauid, ex S. Ioanne, ex Eccleſiaſtico, & S. Paulo deſumpta ſunt. Ad Epheſ. 1.

Nunquam ſciui in mundo exſtare animal aliquod, quod creſcendo v. 9.

ſcendo non pertingat ad terminos & limites ſuæ magnitudinis, niſi Crocodilum, qui cùm in principio admodum ſit exiguus, nunquam, dũ viuit, ceſſat augeri, in quo æqualiter tum bonos, tum malos repræſentat:
Pſal. 73 *Superbia enim eorum qui oderunt DEVM aſcendit ſemper*, inquit Magnus Rex & Propheta Dauid; at verò boni creſcunt velut aurora, & pergunt de ſplendore in ſplendorem. Permanere autem longo tempore in eodem conſiſtentiæ ſtatu, impoſsibile omnino eſt, vnde qui in hoc genere commercij non lucratur, iacturam facit. Qui non iſtâ ſcalâ aſcendit, deſcendit; qui non eſt victor in hac pugna, victus ſit, oportet. Viuimus inter pericula pugnarum & præliorum, quæ hoſtis indies offert & infert: ſi non reſiſtimus, perimus. Non poſſumus autem reſiſtere, niſi ſuperemus, nec ſuperare abſque victoria, Nam, vt bene glorioſus & mellifluus Doctor S. Bernardus dixit: ſpecialiter ſcriptum eſt de homine, quòd nunquam in eodem ſtatu permaneat, oportet eum progredi, aut regredi. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis.*

1. Cor. 9. 24. Quod illud eſt BRAVIVM, niſi Chriſtus Ieſus? Quî autem apprehendes, ſi non ſequaris? quod ſi eum ſequaris, perges & curres ſemper: non enim vnquam ille ſubſtitit, ſed curſum ſui amoris & obedientiæ continuauit *vſque ad mortem, & quidem mortem crucis.*

Ito igitur, inquit S. Bernardus: ito inquam, ſed cum illo ito & tu chare Theotime, nec alias tibi præfigas metas, quàm vitæ tuæ: & dum illa durat, tibi currendum eſt poſt Saluatorem, ſed currendum ardenter & feſtinanter. Quid enim tibi proderit te eum ſecutum fuiſſe, niſi feliciter ſequendo eum aſſequaris? Audiamus Prophetam: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.* Non dicit ſe cuſtoditurum ad tempus aliquod, ſed vſque ad æternitatem. Et quia in æternum vult benefacere, ei etiam dabitur merces æterna. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* Infelices autem ſunt illi, qui maculati ſunt, nec ambulant in lege Domini. Soli conuenit Satanæ dicere; *ſedebo ſuper latera Aquilonis, & ſimilis ero altiſsimo.* O deteſtabilis, tu ſedebis? túne ignoras te eſſe in via, viam autem non eſſe factam ad ſedendum, ſed ad ambulandum, & quidem taliter facta eſt ad ambulandum, vt ambulare idem ſit, quod iter peragere? Audi DEVM alloquentem vnum
Geneſ. 17. 1. ex maximis ſuis amicis: *ambula inquit, coram me, & eſto perfectus.*

Vera virtus nullis clauditur terminis, ſed plus vltrà ſemper progreditur;

greditur; præſertim autem ſancta charitas; quæ cùm ſit Regina virtutum omnium, habeatque obiectum infinitum, videri poſſet mereri, vt fieret infinita, ſi cor capax infinitatis inueniret. Nihil autem eſt quod eam impediat, quò minus ſit infinita, niſi conditio voluntatis, quæ eam recipit in ſe, perque eandem agit, quæ agit, quâ obſtante conditione, vt nemo vnquam DEUM videbit, quantum eſt viſibilis, ita nullus vnquam eum amare poterit, quantùm eſt amabilis. Si extaret cor, quod DEUM amare poſſet amore pari diuinæ bonitati, gauderet voluntate infinitè bonâ: at hoc non niſi in ſolo DEO reperitur; Charitas autem inter nos mortales vſque ad infinitum poteſt perfici, ſed excluſiuè. Volo dicere: charitas quidem ſemper reddi poteſt excellentior & excellentior, ſed nunquam eò pertingere poteſt, vt fiat infinita. DEI ſpiritus, ſeu mens diuina, noſtram poteſt eleuare, & applicare ad omnes actiones ſupernaturales, quibus illi placet, dummodò eæ non ſint infinitæ, quia inter res paruas & magnas, eſto plurimùm hæ excedant in magnitudine & illæ excedantur, dum tamen ſemper aliqua reperitur proportio, exceſſus ille non eſt infinitus; at verò inter FINITUM & INFINITUM NULLA OMNINO EST PROPORTIO: modò excedentium exceſſus non ſit infinitus. Ad inducendam autem aliquam proportionem, oportet, vel eleuare finitum, & efficere infinitum, vel diminuere infinitum, & reddere finitum, quod fieri non poteſt.

Atque adeò id verum eſt, vt ne ipſamet quidem charitas, quæ eſt in noſtro Redemptore, quà eſt homo, quamuis ſit maior, quàm & homines & Angeli poſsint comprehendere, tamen in ſuo ESSE ſeu ex ſe ipſa non eſt infinita; ſed ſolummodò in æſtimatione ſuæ dignitatis & meriti; quia ſcilicet eſt charitas perſonæ infinitè excellentis, id eſt perſonæ diuinæ, quæ eſt æternus omnipotentis Patris Filius.

Interim fauor, & gratia ſumma, quæ excogitari poteſt pro noſtris animabus, eſt quòd creſcere magis ac magis poſsint in amore DEI ſui, quamdiu hac in mortalitate commorantur: ibunt de virtute in virtutem, donec videatur DEUS DEORUM in Sion. Pſ. 83. 8

Digitized by Google

Quomodo Chriſtus facile reddiderit amoris augmentum.

Capvt II.

Vides, Theotime, quàm vel calix aquæ frigidæ, vel exigua panis buccella, quam pia aliqua anima elargitur pauperi Dei amore, res in veritate ſit parua, & ſecundum iudicium humanum penè indigna, quæ in cogitationem admittatur; & tamen Deus eam ſtatim aliquo charitatis augmento compenſat. Sicuti pili caprarum olim oblati tabernaculo, grato accipiebantur animo, & inter alias oblationes non poſtremo habebantur loco; ita exigua opera à charitate imperata, Deo grata ſunt, & inter merita ſuum obtinent locum. Nam quemadmodum in felice Arabia non ſolùm plantæ naturâ aromaticæ, ſed etiam omnes aliæ ſunt odoriferæ, participantes illarum felicitatem; ita in anima charitate prædita, non ſolùm excellentes naturæ actiones, ſed etiam paruæ & mediocres, factæ in charitate, participant virtutem ſancti amoris, & boni odoris ſunt in conſpectu diuinæ Maieſtatis, quæ, ob eas auget ſanctam charitatem. Dico autem Deum id præſtare, eò quòd charitas ſua non edat augmenta, adinſtar arboris alicuius, quæ protrudit ramos ſuos, & vnum ex alio prodire facit per propriam virtutem; ſed vti fides, ſpes & charitas ſunt virtutes, quæ ex bonitate diuina ſuam ducunt originem, ita ab eadem ſuam habent augmentationem & perfectionem, & hoc adinſtar apum, quæ extractæ ex melle, ex eodem accipiunt nutrimentum.

Quare, quemadmodum Margaritæ, non ſolùm natiuitatem, ſed etiam alimentum percipiunt ex rore (Matre ſua, eum in finem, aperiente & attollente ſquamam ex parte Cæli, velut emendicaturâ guttas, quæ beneficio alſioris ſeu frigidioris aeris defluunt, oriente aurorâ) eodem modo poſtquam fidem, ſpem & charitatem à bonitate cæleſti recepimus, debemus corda noſtra vertere, & tenere verſus Cælum, ad impetrandam continuationem & augmentationem earundem virtutum. *O DEVS (ſic orare nos facit S. Eccleſia Mater noſtra) da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum*: id eſt, da nobis imitationem eo-

rum,

Digitized by Google

rum, qui dicebant Chriſto: *Domine, adauge nobis fidem*; & ſecundum dictum S. Pauli, qui aſſerit *DEVM ſolum potentem eſſe, vt faciat in nobis gratiam abundare*.

DEus igitur eſt, qui monet, vt ſua bene vtamur gratia, ſecundum quod ſcriptum eſt, *qui habet*, id eſt, qui bene impendit receptos à DEO fauores, *dabitur ei, & abundabit*. Ita omnino in praxim deducitur exhortatio Saluatoris: *theſaurizate vobis theſauros in cælo*; quaſi diceret: ſemper noua & noua opera bona iungite prioribus: ea enim ſunt partes, & ſegmenta, quibus theſauri veſtri conſtare debent: IEIVNIVM ſcilicet, ORATIO & ELEEMOSYNA. Porrò, quemadmodum in gazophylacio templi duo pauperculæ viduæ minuta à Saluatore ſunt æſtimata, & vt re ipſa per additionem rerum exiguarum theſauri augentur, & conſequenter eorum valor creſcit; ita minima opera bona, eſto, aliqua etiam cum negligentia, & feruoris remiſsione, & non ſecundum totam latitudinem virium charitatis, facta ſint, non ideò tamen deſinunt grata eſſe DEO, vel ſuum perdunt valorem. Et, eſto ex ſe ipſis non poſſent adijcere aliquod augmentum charitatis ad priorem amorem, quia ſcilicet minoris virtutis ſint, quam ille, tamen Diuina prouidentia, qui ea æſtimat, & ex ſua bonitate, aliquo habet loco, ſtatim ea compenſat per augmentum charitatis in præſenti vita, & per aſsignationem maioris gloriæ futuræ in cælo.

Theotime, apes delicioſum conficiunt mel, quod eſt præcipuum & primarium earum opus, ſed cera, quam etiam conficiunt, non ideò ceſſat ſuum, (eſto ſit inferior) valorem habere, earumque laborem commendare. Cor amoroſum, vt potenter ſuam adaugeat charitatem, eius opera magni ſint momenti, magnoque cum feruore producta ſint oportet: ſi tamen non niſi parua, vel mediocria producat, non carebit ſuâ mercede. DEus enim gratum habebit eius conatum, id eſt, ſemper aliquantulùm erga illud augebit amorem ſuum. Nota DEUM nunquam amare magis animam aliquam amore charitatis, quin eidem conferat aliquid plus charitatis; quia ſcilicet amor noſter aduersùs eum, eſt proprius & peculiaris effectus eius amoris erga nos. Quò viuacius reſpicimus noſtram ſimilitudinem, parentem in ſpeculo, eò etiam attentius illa nos reſpicit; & quò DEus benignius dulces ſuos oculos conijcit in noſtram animam (quæ facta eſt ad eius ima-

imaginem & ſimilitudinem) eò reciprocè attentius & ardentius illa reſpicit diuinam eius bonitatem, conando iuxta ſuam exiguitatem vicem rependere omnibus amoris diuini augmentis. Certè Sacrum Concilium Tridentinum ita loquitur: *Si quis dixerit iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam augeri coram* DEO *per bona opera; ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe iuſtificationis adepta, non autem ipſius augenda cauſam; anathema ſit.* Vides equidem, Theotime, iuſtificationem, quæ fit per charitatem, augeri per bona opera; quod bene notandum eſt, quia id fit PER BONA OPERA, ABSQVE VLLA EXCEPTIONE. Nam, ſicut excellenter dicit S.Bernardus alia in re: *nihil eſt exceptum vel nihil diſtinctum.* Concilium loquitur de bonis operibus indiſtinctè & abſque vlla reſeruatione, & exceptione, nos docens, quòd non ſolùm excellentia, magnoque cum feruore facta opera, ſed etiam parua & nonnihil remiſsiora ſanctæ charitatis augmentum producunt. Magna quidem potenter, parua autem lentius.

Canõ. de Iuſtif. ſeſ. 6.

Talis eſt Dei amor in nos, tale etiam deſiderium, vt in eo amore, quem ei deferimus, nos creſcere faciat: in hoc vnico tota eſſe videtur diuina eius ſuauitas, vt res omnes nobis reddat vtiles, omnia acceptet in noſtrum commodum; opera denique noſtra omnia, quantumuis humilia ſint & debilia, conuertat in noſtrum emolumentum.

In commercio virtutum moralium, parua opera non conferunt augmentum virtuti, ex qua procedunt, imò ſi valde ſint parua & debilia, eam reddunt debiliorem. Nam, exempli cauſa magna liberalitas perit, quando rebus exigui momenti elargiendis ſe detinet: quin imò ex liberalitate, fit parcitas; in commercio autem virtutum, quæ profluunt ex diuina miſericordia, & præcipuè ex charitate, nulla non iſtius generis opera conferunt augmentum. Porrò mirandum non eſt, ſi diuinus amor, vt Rex virtutum, nihil habeat; ſiue paruum, ſiue magnum, quod non ſit amabile: balſamum ſiquidem, Princeps arborum aromaticarum, neque corticem, neque folium habet, quod non ſit odoriferum. Aliquidne enim producere poſſet amor, quod non eſſet dignum amore, totumque non tenderet in amorem?

Anima

Anima charitate comitata quales in ea faciat progreſſus.

Capvt III.

Theotime, imitati ſupremum amoris, quem docemus, Magiſtrum: in medium adferamus vnam parabolam, ei ſiquidem olim verſanti inter mortales, eoſque docenti, ea methodus & modus adeò fuit familiaris, vt de eo dictum ſit: *ſine parabolis non loquebatur ad eos.*

Cùm magnus quidam & eximius Rex, eximiam ſimiliter vnius è primarijs mundi principibus filiam matrimonio ſibi iunxiſſet, & die quopiam, quò liberius, iuxta ſuum votum, cum ea conuerſaretur, in ſecretius ſui palatij, conclaue illam duxiſſet, poſt aliquos vltrò citroq; habitos ſermones, ex certo quodam & inopinato caſu deficiens animo cadit in terram. Hem! deliquio hoc adeò vehementer Rex fuit exterritus, vt parum abſuerit, quin & ipſe animo deficiente, vnà cum illa in terram corruerit. Eam enim magis, quàm propriam vitam amabat. Idem tamen amor, qui, eâ defectum animi patiente, ingenti dolore Regem affecerat, animũ ei indidit, vt illam ſuſtentaret, & magnâ promptitudine remedia, ad ſubueniendum malo, quòd vitæ & tori ſocia patiebatur, inquireret: vnde adaperiens dicto citius repoſitorium, quod ibi erat, aquam cordialem, vt vocant pretioſiſsimam ex eo extraxit, quâ cùm os proprium replêſſet, magnâ vi adhibitâ, labra & dentes eius, (quæ in animi deliquio iacebat) compreſſos aperuit, aquamque illam in eius os, flando, iniecit; quod autem in phiala reſtabat, ſuper naſum, ſuper tempora, & circa cor diſtillauit. Qua ex diſtillatione paulatim ad ſe redijt, & animos reſumpſit; deinde Rex eam ſuauiter erexit, & virtute adhibitorum remediorum ita refocillauit & recreauit, vt ceperit inſiſtere pedibus, quin & cum eo ſenſim deambulare; non tamen abſque aliena ope: nam adhuc ipſe Rex brachijs eam ſuſtentans ducebat, vſque dum tandem, tanti valoris, tantæque efficaciæ applicauit circa eius cor epithema, vt plenè reſtituta priſtinæ ſanitati, ſola ſat commodè incederet; Rege aliquantulum ſolummodo manu dex-

trâ &

trâ & brachio eam ſuſtentante. Qua in ſuſtentatione quatuor charitatis officia illi præſtabat. I. animi ſui amorem, eximiamque ſollicitudinem teſtabatur. II. Eam ſolari adhuc pergebat. III. Si quæ præteriti defectûs animi reliquiæ caſum alterum minitari cœpiſſent, Reginam ſuſtentando, eum præcauiſſet. IV. Si vel locus lubricus, vel iter ſcabrum fefelliſſet veſtigium, eam ne caderet, retinuiſſet, & in aſcenſu adminiculo fuiſſet: vel denique quando properare libuiſſet, potenter eam ſubleuaſſet. Quid multis? ſummo, qui in probum maritum cadere poteſt, amore & ſolicitudine ad noctem vſque illi præſtò fuit; quin & adeſſe voluit, dum in ſuo Regali thoro ea collocaretur.

Anima eſt Dei ſponſa, quando eſt iuſta; iuſta autem non eſt, quando non eſt in charitate, ſicuti nec ſponſa, niſi in conclaue delicatorum vnguentorum, de quibus ſermo eſt in canticis canticorum, introducatur. Porrò, quando anima, quæ tali honore afficitur, committit peccatum aliquod, cadit in ſpirituale deliquium. Et caſus iſte eſt verè inopinatus. Quis enim vnquam in mentem admitteret creaturam rationalem recedere velle à ſuo Creatore, & ſupremo ſuo bono, ob res nullius momenti, vt ſunt eſcæ & illicia peccati? Cælum hoc videns nonné meritò obſtupeſceret? & ſi Deus ſubiectus eſſet paſsionibus animi, nonné ipſe ob hoc tantum malum in animi deliquium poſſe cadere videretur, ſicuti quando adhuc erat mortalis, vt nos ex amore redimeret, in cruce voluit exſpirare? Verùm, quandoquidem nulla exigit neceſsitas, vt amorem ſuum iterum erga nos teſtetur moriendo pro nobis, iam æternùm viuens quando videt animam præcipitatam in barathrum iniquitatis, ordinariè ad eam iuuandam accurrit, & ex maxima miſericordia portam cordis aperit per quoſdam impulſus & remorſus conſcientiæ, qui procedunt ex pluribus apprehenſionibus & luminibus in corda noſtra euibratis cum ſalutaribus motibus: per quos velut per aquas odoriferas, & vitales animam ad ſeipſam reuocat, & in ſenſus reducit, Totum hoc, chare Theotime, Deus agit in nobis ſine nobis, & hoc ex amabili ſua bonitate, quæ prouenit ex ſingulari eius clementia. Nam quemadmodum ſponſa noſtra in ſuo manſiſſet deliquio emortua; ſi ei Rex efficacibus cum remedijs præſtò non fuiſſet; ita anima tota quanta hæreret in peccato perdita, niſi Deus ſingulari bonitate præueniens, illi adfuiſſet. Quod ſi anima ſic excitata, adiungat ſuum conſenſum

ſenſum

ſenſum motui & influxui gratiæ, obſecundans & obtemperans inſpirationi, quæ præuenta eſt, & ſimul acceptans ſuccurſus & remedia requiſita, quæ Deus ei præparauit, eam ipſe refocillabit, & per diuerſos fidei, ſpei, & pœnitentiæ motus deducet vſque dum planè reſtituta ſit ſanitati ſpirituali: quæ aliud non eſt, quàm ipſa charitas. Porrò, dum illam deducit per eximios virtutum choros, per quas eam diſponit ad ſuum amorem dignè recipiendum, non deducit ſolùm, ſed tali modo eam ſuſtinet, vt quemadmodum illa ex ſua parte, quantùm poteſt graditur; ita & Deus ſua ex parte eam portat & ſuſtinet: vnde difficile dictu eſt, an incedat, an verò portetur. Nam, non ita portatur, quin ambulet, & tamen taliter ambulat, vt ſi non portaretur, omnino non ambularet. Vnde more Apoſtoli dicendum eſt: *ambulo non ego ſolus, ſed gratia DEI mecum.*

Verùm, anima reſtituta priſtinæ ſanitati per excellens ſacræ charitatis epithema, quod Spiritus ſanctus cordi eius applicauit, poteſt quidē per ſe gradi & pedibus inſiſtere, ſed tamen in virtute datæ ſanitatis per eximium ſancti amoris epithema. Proinde quod per ſe ipſam poſſit incedere, id totum adſcribendum eſt Deo, qui ſanitatem iſtam, & fortitudinem adeò florentem & viuidam ei contulit, vt iam ambulare valeat, quod ante nequibat. Nam ſiue Spiritus Sanctus per motiónes, quas imprimit cordibus noſtris, nos fortificet, vel per charitatem iiſdem noſtris cordibus infuſam, nos ſuſtentet; ſiue per modum præſentis auxilij nobis ſuccurrat, nos attollens & portans, vel dicta ſæpius corda noſtra confortet, iiſdem amorem infundendo & refocillando; ſemper in illo & per illum viuimus, ambulamus & operamur.

Sed eſto; mediante charitate animis noſtris infuſâ valeamus ambulare coram Deo, & progredi in via ſalutis, tamen bonitas diuina ſemper animæ, cui amorem ſuum contulit, præſtò eſt, eam continuè manu tenens. Sic enim I. amoris ſui dulcedinem erga illam patentius oſtendit. II. perpetuò cum ea pergens animam ducens de virtute in virtutem. III. Eam erigit contra malas inclinationes, & prauos animi habitus, per præterita peccata contractos IV. & vltimò, conſeruat & defendit illam contra omnis generis irruentes tentationes.

Quemadmodum videmus, Theotime, ſæpe homines, alioquin ſa-

nos & potentes viribus egere incitamento, vt bene impendant tum ſuam fortitudinem, tum alia ſibi à Deo collata dona, &, vt dici ſolet, manu ducantur ad opus; ita quodammodo, vbi Deus noſtris animabus ſuum infudit amorem, & per eum fortitudinem & modum faciendi progreſſum in via perfectionis, non ſatis id eſt ipſius charitati, niſi etiam ille cum ijſdem animabus noſtris pergat in via, eas vrgendo, ſolicitando, & impellendo, ad bene impendenda accepta chariſmatum dona, inculcando etiam per inſpirationes diui Pauli monita:
2. Cor. 6. v. 1. *Videte ne in vacuum gratiam DEI recipiatis. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Sic currite, vt brauium accipiatis.* Atque ita ſæpe nobis imaginari debemus Deum auribus cordium noſtrorum ingerentem verba, quæ dicebat ad Abraham: *Ambula coram me, & eſto perfectus.*

Gal. 6. 10. 1. Cor. 9. 24.

Comprimis autem ſpecialis Dei aduocatio & præſentia, animæ res arduas, ſingulares, & excedentes captum vulgarium hominum meditanti neceſſaria eſt. Nam etſi charitas, eſto ſit parua, ſat propenſionis, & vt puto, ſufficiens robur ad facienda opera neceſſaria ad ſalutem conſequendam nobis conferat; tamen ad aſpirandum & aggrediendum actiones excellentes, & extraordinarias; corda noſtra egent, vt ſubleuentur, ducantur, & propellantur manu, & motione eximij Amatoris cæleſtis: quâ ſubtractâ manu, ſicuti Princeps noſtræ parabolæ (licet reſtituta eſſet ſanitati) nequibat montes conſcendere, neque celeriter greſſus mouere, niſi eleuata & fortiter ſuſtentata per Regem ſponſum ſuum; ita S. Antonius, & S. Simeon Stylites, qui omnino erant in gratia & charitate Dei, quando vitam prorſus ſublimem & arduam elegerunt; ſicut etiam beata Mater Thereſia, quando ſpeciale votum obedientiæ Deo nuncupauit; adde his S. Franciſcum & S. Ludouicum, Galliæ Regem, quando iter vltra marinum pro Dei gloria ſuſceperunt; quibus iure annumerari debet S. Franciſcus Xauerius, quando conuerſioni Indorum vitam ſuam conſecrauit: ſicut & S. Carolus Borromæus, quando vtilitati peſte laborantium ſe voluntariè expoſuit: nec prætereundus eſt S. Paulinus, quando ſe, vt filium viduæ à captiuitate liberaret, vendidit: nunquam hi, alijq; innumeri tam ardua, tamque generoſa opera, vel animo deſignaſſent, vel re ipſa geſſiſſent, niſi Deus charitati, (quam animis infuſam incluſamque gerebant) inſpirationes, aduocationes, lumina & ſpecialia fortitudinis auxilia, quæ illos animabant,

& ad res arduas & extraordinarias ſtrenuitatis ſpiritualis ſuſcipiendas impellebant, adiunxiſſet.

Vidéſne Juuenem illum Euangelicum, quem Chriſtus amabat, & quod hinc ſequitur, in charitate conſtitutus erat, nullam omnino cogitationem habuiſſe *vendendi ea, quæ habebat*, & collectum ex ijs precium pauperibus elargiendi, multoque minus Chriſtum ſequendi; imò verò etiam poſtquam Chriſtus illi id inſpirauit, nullum exequendi animum concepiſſe! Theotime, ad magna opera non ſolùm egemus inſpirationibus, ſed etiam ſingulari fortitudine, vt ea iuxta inſpirationem, executioni mandemus; nec ſolùm ad hæc, ſed etiam ad eludendos magnarum tentationum & extraordinariarum aſſultus, ſpeciali & peculiari Dei prouidentiâ nobis opus eſt. Eum in finem vult nos Dei Eccleſia vti orationibus iaculatorijs, vt v. g. *Domine, excita corda noſtra; ô Deus, actiones noſtras aſpirando præueni; tuâ præſentiâ & auxilio nos protege; Domine ne tardaueris; in auxilium noſtrum reſpice*, &c. vult, inquam, vt per huiuſmodi orationes obtineamus gratiam ad perficiendas actiones excellentes & ſingulares; quin & ad frequentius, & feruentius peragendas res communes & conſuetas; nec non ad ardentius minoribus & quotidianis, quæ in nos inuolant, tentationibus reſiſtendum, & contra maiores pugnandum & omnino expugnandum. Sanctum Antonium aliquando horribilis dæmonum legio inuaſit: quorum impetus cùm ſat diu, non abſque dolore, & incredibilibus cruciatibus ſuſtinuiſſet, tandem vidit tectum ſuæ cellulæ findi per medium,& per factam fiſſuram radium cæleſtem immitti: qui radius temporis momento nigram illam, & tenebroſam inimicorum turbam diſſipauit, & omnem cruciatum, vulnerumque in illa pugna acceptorum acerbitatem abſterſit. Quare ſpecialem Dei præſentiam agnoſcens, altum ſuſpirium eam in partem, quâ erat viſio, emiſit & dixit: vbi eras, ô bone Iesv, vbi, inquam, eras? quare ab initio mihi vt ferres afflicto remedium, non adſtitiſti? *Antoni*, cælitùs ei reſponſum eſt: *hic eram, expectans exitum tuæ pugnæ. Et quia tu egregiè & ſtrenuè pugnaſti, poſthac ſemper te adiuuero.* At in quo conſiſtebat ſtrenuitas & animoſitas magni iſtius militis ſpiritualis? ipſemet alia vice & occaſione declarauit, dum oppugnatus à diabolo, (qui ſe dicebat ſpiritum fornicationis) glorioſus Dei Athleta, poſt plura verba

eius ſtrenuitate digna, incœpit cantare verſum ſeptimum Pſalm: 117. *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.*

Certè, Chriſtus ſanctæ Catharinæ Senenſi reuelauit, quòd in medio cordis eius fuerit in magna illius tentatione, quam habuit ſimilem ei, quam quiſpiam generoſus dux, exiſtens in aliqua munitione defendenda, habere poſſet, & quòd ſine ſuo ſuccurſu in ea pugna fuiſſet peritura. Idem dicendum & tenendum de omnibus magnis aſſultibus, quos infernales inimici nobis intentant. Proinde perappoſitè cum Jacobo Patriarcha dicere poſſumus, quòd Angelus nos cuſtodiat ab o-
Pſ.22.1. mni malo, nec non cantare cum Regio Propheta: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit: ſuper aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.*

Vnde ſæpe repetere debemus ſequentem exclamationem ſeu orationem, quæ reperitur in eodem Pſalmo, v. 6. *Miſericordia ſubſequatur me omnibus diebus vitæ meæ: Vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

De Sancta perſeuerantia in Diuino amore.

CAPVT IV.

QVemadmodum igitur bona quæpiam mater ducens ſecum tenellum filium, iuuat & ſubleuat ſicut ei opus eſt, ſinens etiam vt paſſus aliquot ex ſe ipſo, in locis tutis & planis faciat; nunc manu eum apprehendens & docens rectè greſſus figere; nunc eum inter brachia accipiens, baiulat: Similiter Deus noſter in ductu filiorum ſuorum continuam eorum curam gerit. Id eſt, illorum, quibus ineſt charitas; iubens eos ante ſe incedere, & cautè in difficultatibus, eos manu tenens ambulare: quin & eoſdem geſtat in aduerſis, per quæ videt vix eos poſſe pergere. Quod ipſe in Eſaia declarauit dicẽs:
cap.44 *Ne timeas, quia ego tecum ſum, ne declines, quia ego Deus tuus: confortaui te & auxi-*
10. *liatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera Iuſti mei.* Atque ita magno eſſe debemus animo, firmiſsimamque in Deo & in eius auxilio habere fiduciam. Si enim non defuerimus eius gratiæ, in nobis opus noſtræ ſalutis, *quemadmodum cœpit perficiet, operans in nobis* VELLE & PERFICERE, vti ſacrum Concilium Tridentinum nos admonet.

Digitized by Google

In hoc ductu, quem Dei clementia præbet noſtris animabus, iam ab ipſa prima introductione in charitatem, vſque ad finalem eiuſdem perfectionem (quæ non fit niſi in hora mortis,) conſiſtit magnum perſeuerantiæ donum, cui Deus attexuit maximum æternæ gloriæ donum, ſicuti ipſe dixit: *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Nam donum hoc aliud non eſt, quàm coaugmentum, commiſſio, & ſeries quædam diuerſorum fulcrorum, leuaminum & auxiliorum: quorum ope in continuo Dei amore, vſque ad finem perſiſtimus. Sicuti nutritio & educatio infantis alicuius ferè nihil aliud eſt, quàm multitudo curarum, adminiculorum & ſubſidiorum, & iſtius generis officiorum infanti neceſſariorum, quæ continuè illi adhibenda ſunt, vſque ad ætatem, quâ ampliùs ijs non egeat.

Verùm ſeries & conſequentia præſidiorum & aduocationum, (vulgò aſſiſtentiarum) non eſt æqualis in omnibus, qui perſeuerant: in aliquibus enim valde eſt breuis, vt videre eſt in illis, qui paulò ante mortem ad Deum ſeriò ſe conuertunt: ſicuti euenit bono latroni, ſatelliti illi, ſeu Apparitori, qui videns in morte conſtantiam S. Jacobi, ſubito, factâ profeſſione fidei, effectus eſt ſocius Martyrij illius magni Apoſtoli; carceris item cuſtodi comprimis felici, cui Sebaſtæ commiſſa erat cuſtodia 40. Martyrum: is cùm conſpiceret vnum ex ijs, nimio vrgente frigore, animo deficere, palmamq; martyrij deſerere, eius ſe ſubſtituit loco, & temporis momento factus eſt Chriſtianus, & ſimul glorioſus Martyr; Notario item, de quo ſermo eſt in vita ſancti Antonij de Padua; qui cùm totius vitæ decurſu fuiſſet homo impurus, & falſarius, nihilominus in morte factus eſt Martyr. Taceo innumeros alios, quos vidimus & legimus fuiſſe beatos, bene moriendo, cùm tamen male vixerint. Et quod ad hos, hiſque ſimiles attinet, non egent magna varietate auxiliorum, quia ſi aliqua tentatio eos apprehenderit, poſſunt tantillo iſto tempore, quo ſuperſunt, cum charitate ſibi collata & præſenti auxilio diuino, per quæ ad fidem adducti ſunt, perſeuerare. Ad portum enim appellunt ſine nauigatione, & ſuam peregrinationem abſoluunt vnico ſaltu. Quod bonum potens Dei miſericordia ita appoſitè illis contulit, vt illorum inimici eos videant citiùs triumphare, quàm pugnare viderint. Quò fit, vt eorum conuerſio, & perſeuerantia vix rem efficiant diuerſam. Et ſi quis velit exactè loqui iuxta verborum pro-

proprietatem, gratia, quam à Deo recipiunt, conſequendo ſcilicet tam citò felicem è vita exitum,quàm initium ſuæ prætenſionis, non poterit facile & propriè vocari perſeuerantia; quia tamen, quod ad effectum attinet,locum tenet perſeuerantiæ,eò quod ſalutem conferat,ideò eam nomine perſeuerantiæ comprehendimus. In pluribus alijs prorſus contrarium eſt: in ijs ſiquidem perſeuerantia multò eſt largior: ſicuti videmus in ſancta Anna Propheti ſſa, vti apud S. Joannem Euangeliſtam habetur; in S. Paulo primo Eremita, in S. Hilarione, S. Romualdo, S. Franciſco de Paula, &c. & hi quidem hiſque ſimiles, quis dubitat, quin innumeris eguerint auxilijs, & aduocationibus,iuxta varietatem caſuum & euentuum, quos ſpatio peractæ peregrinationis, ac durationis vitæ ſuæ experti ſunt.

Manet tamen ſemper donum perſeuerantiæ inter ea, quæ deſiderare & ſperare debemus in hac vita (de quo & loquitur ſacrum Concilium) maximè eſſe deſiderandum & ardentibus precibus à Deo petendum; illud enim aliunde habere non poſſumus, quàm ab ipſomet Deo, qui ſolus poteſt ſtantem, ne cadat, ſtabilire, & eum, qui cecidit, erigere. Vnde continuè illud petendum eſt; mediaque interim, quæ Deus ad illud obtinendum nos edocet, ſedulò adhibenda: vt ſunt Oratio, Ieiunium, Eleemosyna, vſus Sacramentorum, conuerſatio cum probis, auditio & lectio verbi diuini.

Et quia donum orationis & deuotionis omnibus liberaliter,qui ex animo conſentiunt inſpirationibus diuinis conceditur conſequenter in noſtra eſt poteſtate, in bono perſeuerare. Dum hoc dico, non intendo enunciare, quòd perſeuerantia originem ſuam trahat ex noſtra poteſtate; ſcio enim contrarium, quod nempe eà procedat ex diuina miſericordia, cuius eſt donum, omnium donorum pretioſiſſimum; ſed intendo dicere, quod, etſi illa non profluat ex noſtra poteſtate, veniat tamen in noſtram poteſtatem, mediante voluntate, quam negare non poſſumus eſſe in noſtra poteſtate: nam etſi gratia Diuina nobis neceſſaria ſit, vt velimus perſeuerare, tamen voluntas hæc eſt in noſtra poteſtate: diuina ſiquidem gratia nunquam deeſt noſtræ voluntati,quamdiu ea non deeſt noſtræ poteſtati. Et re ipſa,ſecundum ſententiã & opinionẽ S.Bernardi, Apoſtolũ,ſecuti,ſemper cum veritate dicere poſſumus: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,neque virtutes, neque*

neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate DEI; quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. Ita omnino eſt, nulla enim creatura poteſt nos auellere à ſancto amore, ſed nos ipſi & ſoli eum deſerere, & ſpontaneè derelinquere poſſumus. Et, ſi hoc excipiamus, nihil omnino eſt, quòd aliunde timeamus.

Atque ita, chariſſime Theotime, iuxta monitum ſacri Concilij, omnem noſtram ſpem in Deo collocatam habere debemus, qui ſalutem noſtram, vti in nobis cœpit, perficiet, modò eius gratiæ non deſimus. Non enim putandum eſt, quod is qui dixit Paralitico: *Vade, & iam amplius noli peccare*, ſimul etiam non dederit virtutem ad euitandam voluntatem peccandi in poſterum. Ioan. 8 11. Et profectò, nunquam fideles exhortaretur ad perſeuerandum, niſi paratus eſſet ijs dare vim & robur ad non amplius peccandum. *Eſto fidelis vſque ad mortem*, dicitur per Joannē Epiſcopo Smyrnenſi, *& dabo tibi coronam vitæ. Vigilate*, inquit Apoſtolus, Apoc. 2. 10. *ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in charitate fiant, taliterque curratis, vt brauium reportetis.* 1. Cor. 16. 13. His ita ſe habentibus; cum magno Rege Dauide ſæpe ſæpius nobis à Deo petendum eſt donum perſeuerantiæ, ſperandumque quòd ipſe nobis benignè elargietur, ſi ex corde, cum eodem Rege petamus: *ne proijcias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Pſal. 7

Quod felicitas moriendi in diuina charitate ſit ſpeciale DEI donum.

CAPVT V.

TAndem poſtquam Rex cæleſtis duxit animam, quam amat, vſque ad finem vitæ, etiam illi adhuc adſtat in beato illius exitu, ex quo & per quem eam trahit ad thalamum nuptialem æternæ gloriæ: qui eſt delicioſus fructus ſanctæ perſeuerantiæ. Et illa tunc, Theotime, tota quanta amore inflammata aduerſus dilectum ſuum ſponſum, ſibi repræſentans multitudinem & magnitudinem fauorum & auxiliorum, quibus præuenta & adiuta fuit, dum in hac vita peregrinaretur,

Digitized by Google

retur, inceſſanter auxiliatricem & ductricem manum, quâ conducta, tracta, & lata eſt in via huius vitæ, deoſculatur, ſimul & confitetur, à diuino ſuo Saluatore omnem, quam habet felicitatem, ſe habere; ſibi ſiquidem totum id præſtitit, quod magnus ille Patriarcha Jacob ad iter ſuum conficiendum exoptauit, poſtquam vidit ſcalam, quæ ad cælum vſque pertingebat. *O Domine, dixit tunc felix illa anima: tu mecum fuiſti, me cuſtodiſti in via, per quam ambulaui; mihi pro nutrimento tuorum Sacramentorum panem exhibuiſti; tu me veſte nuptiali, charitate putâ, induiſti; tu ſaluam & incolumem me ad commorationem, ſeu domum, quæ tua eſt, deduxiſti. O Pater mi æterne! quid ſupereſt, ô Domine, & Saluator mi, quàm, vt proſtrata ad pedes Diuinæ tuæ Maieſtatis, proteſter te eſſe Deũ meũ in omne æuum! Tenuiſti certè, tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.*

Gen. 28 20.

Pſal. 72

Talis igitur eſt ordo & ſeries noſtri itineris ad vitam ſempiternam. Pro cuius adeptione prouidentia diuina iam ab ipſa æternitate multitudinem, diſtinctionem & continuationem gratiarum neceſſariarum ad dictam vitam conſequendam, cum admirandis circumſtantijs, & charitatis causâ, dependentijs aliorum ex alijs, voluit primò ſæpius dicta prouidentia verâ & ſincerâ voluntate etiam poſt lapſum Adami, *omnes homines ſaluos fieri;* ſed id modis & medijs conuenientibus conditioni eorum naturæ libero arbitrio condecoratæ. Id eſt, voluit ſalutem eorum omnium, qui volent præbere conſenſum donis & auxilijs gratiæ & fauoris, quæ illis præparauerit, obtulerit, & diſpertierit eâ intentione.

Hos autem inter fauores voluit vocationem primum locum tenere, eamque taliter voluit eſſe contemperatam noſtræ libertati, vt vel eam acceptare, vel pro noſtro libitu reijcere poſſemus. Iis autem, quos præuidit eam acceptaturos, voluit motiua ad pœnitentiam incitantia conferre; ijs verò, qui obſecundauerint huiuſmodi incitamentis, ſtatuit charitatem elargiri; & iam habentibus eam decreuit dare auxilia gratiæ ad perſeuerandum in illa; ijs demum qui bene vſuri ſunt diuinis hiſce auxilijs, ſtatuit perſeuerantiam finalem vnà cum amoris ſui glorioſa felicitate conferre.

Poſſumus igitur reddere rationem, ordinis effectuum diuinæ prouidentiæ, quæ ſalutem noſtram reſpicit, deſcendendo à primo vſque ad vltimum,

Digitized by Google

vltimum, id eſt ab ipſo fructu, qui eſt gloria, vſque ad radicem pulcherrimæ arboris, quæ eſt redemptio, morte, cæteriſque Chriſti meritis nobis comparata. Diuina enim bonitas dat gloriam propter merita; merita autem propter charitatem, charitatem verò propter pœnitentiam; pœnitentiam intuitu obedientiæ ad vocationem; obedientiam ad vocationem intuitu vocationis; vocationem denique intuitu redemptionis Saluatoris: cui redemptioni tota myſtica Patriarchæ Jacobi ſcala innititur: & hoc tam ex parte cæli, ſiquidem ea vſque ad amantiſſimum æterni Patris ſinum pertingit, in quem electos, eos glorificando, recipit; quàm etiam ex parte terræ, quandoquidem plantata eſt ſuper ſinum & latus transfixum Saluatoris, Crucifixi & mortui in monte Caluariæ. Et hæc ſeries & ordo effectuum prouidentiæ diuinæ ſic ordinatus fuit cum conſequentia & cohærentia, quam habuerunt ad inuicem in æterna Dei voluntate. Quod S. Mater Eccleſia teſtatur, quando in vna ſolennium ſuarum orationum præfatione ſic Deum affatur, *Omnipotens ſempiterne DEVS, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumq́ miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe pranoſcis.* Quaſi fateretur, profitereturque gloriam, quæ eſt cumulus & fructus miſericordiæ diuinæ aduerſus homines, ſolùm ijs collatum iri, quos diuina Sapientia præuidit vocationi obedituros, obtemperaturos, fidemque viuam, quæ per charitatem operatur, ſuſcepturos.

Vt ſummatim dicam, omnes iſti effectus abſolutè dependent à Redemptione Saluatoris, qui eos promeruit ſummo rigore iuſtitiæ, per feruentiſſimam promptiſſimamq́; obedientiam, quam tenuit exercuitq́; *vſque ad mortem, & quidem mortem crucis;* quæ eſt radix omnium gratiarum, quas recipimus nos, qui ſumus ſpirituales calami, inſerti eius cauli ſeu trunco. Quodſi, poſtquam inſerti ſumus, in illo manſerimus, dubio procul, viâ gratiæ ab eo nobis communicandæ, fructus gloriæ, quam nobis præparauit, vberrimos feremus; Sin autem fractis ſurculis & calamis in iſta arbore ſimiles inueniamur, id eſt, ſi, repugnando, reſiſtendoque interrumpamus progreſſum, & ſeriem effectuum eius benignitatis, haud mirandum erit, ſi tandem omnino amputemur, & in ignem æternum, tanquam rami inutiles, proijciamur.

Deus, ſine dubio; paradiſum præparauit ſolùm pro ijs, quos

præuidit futuros ſuos. Simus igitur, ô Theotime, eius per fidem & per opera; & ille erit noſter per gloriam. Porrò vt ſimus illius per nos ſolummodo ſtat: nam licet ſit Dei donum, nos eſſe Dei, eſt tamen donum, quod nemini vnquam Deus recuſat, ſed illud omnibus offert, vt iis, qui corde perfecto ei recipiendo conſentient, re ipsâ conferat. At obſecro, Theotime, aduerte quo Deus ardore deſideret nos ſuos eſſe: eâ ſiquidem intentione totum quantum ſe noſtrum effecit, nobis donando tum mortem, tum vitam ſuam, vitam quidem vt ab æternâ morte eximamur, mortem autem, vt æternâ vitâ perfrui mereamur. In pace igitur maneamus, Deoq; ſeruiamus, vt eius ſimus in hac mortali vita, ac multò magis in ſempiternâ.

Quòd in hac vita mortali nequeamus ad perfectam cum DEO vnionem pertingere.

Capvt VI.

Eccleſ. 29. FLumina inceſſanter fluunt, &, vt inquit Sapiens, ad locum vnde exeunt, reuertuntur. Mare, quod eſt locus eorum ſcaturiginis, eſt etiam locus vltimæ eorum quietis; omnis ſiquidem eorum motus alio non tendit, quàm ad eorundẽ cum ſua origine vnionẽ. Audi S. Auguſtinum hunc in modum Deo loquentem. *Cor meum ad te creaſti, & nunquam quieſcit niſi in te, at quid mihi eſt in cælo præter te? ô mi DEVS quid aliud præter te volo in terra? qui es DEVS cordis mei, pars mea & portio mea in æternum.* Nihilominus vnio iſta, ad quam cor noſtrum aſpirat, nequit in hac vita mortali ad ſuam perfectionem pertingere. Poſſumus quidem in hoc mundo noſtros amores inchoare, ſed non niſi in altero conſummare.

Cant. 3.4. Cæleſtis amatrix, ſeu ſummi Amatoris ſponſa dilectiſſima, id delicatè exprimit dum dicit: *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Inuenit ergo dilectum ſuum*; nam is innumeris conſolationibus facit, ſuam vt illa præſentiam perſentiſcat, eundem teneat: ſenſus enim reperti ſponſi difficile dictu eſt quàm fortes procreet affectiones, quibus eum amplexatur,

Digitized by Google

xatur, imò comprimit, proteſtans ſe nunquam eum dimiſſuram. Et hoc agit ſapientiſsimè: nam affectiones iſtæ tendunt in decreta æterna; non enim cogitat eum oſculari oſculo nuptiali, vſq; dum cum illo commoretur in domo matris ſuæ, quæ eſt, vt dicit S. Paulus, Cæleſtis Hieruſalem. Ambò, Theotime, aduerte, quòd illa hæc agens nihil minus cogitet, quàm ſuum dilectum tenere, velut quodpiam amoris ſui mancipium: cogitat quidem ſuarum eſſe partium eum introducere in beatum Matris ſuæ domicilium, ſed non niſi volentem, cùm illa per eundem eodem introducenda ſit, ſicut introducta fuit Rebecca in tentorium Saræ per dilectum ſuum Iſaac. Animus vehementi & ardenti amoris paſſione præoccupatus ſemper aliquid poteſtatis & prærogatiuæ vult habere in id, quod amat. Hinc eſt, quod ipſemet ſponſus fateatur ſibi à ſua dilecta cor abreptum, ab eadem captum ligatumque *vno crine colli eius*, ac demum ſe eius amoris captiuum eſſe. Cãt. 4.

Perfecta igitur coniunctio animæ cum Deo non fiet niſi in cælo, vbi, vt dicitur in Apocalypſi, erunt nuptiæ Agni. In hac quidem vita caduca & tranſitoria anima eſt ſponſa, deuota & promiſſa Agno immaculato, ſed necdum ei coniuncta Matrimonio: fides & promiſſa data ſunt, ſed matrimonij executio differtur. Vnde nobis ſemper eſt locus in hac vita renunciandi & contradicendi, licet ex parte ſponſi nulla nobis detur occaſio; ille ſiquidem fidelis noſter ſponſus, nunquam nos deſerit, niſi nos noſtrâ infidelitate & perfidiâ ad id faciendum, illum cogamus. At vbi cæli erimus incolæ, & nuptiæ diuinæ iſtius vnionis fuerint celebratæ, vinculum noſtrorum cordium cum ſummo illo principe Deo nunquam diſſoluetur.

Verum eſt, Theotime, quòd dum expectamus magnum illud oſculum indiſſolubilis vnionis, quod à ſponſo in cælo, ſede gloriæ, accepturi ſum9, interim aliqua per innumeros ſenſus, & mot9 internos nobis gratiæ, ſuæ præſentiæ, figat oſcula; ſi enim anima aliqua ſubinde nō reciperet huiuſmodi oſcula, neque traheretur, *non curreret in odorem vnguentorum ſui dilecti ſponſi.* Propter hoc, iuxta genuinum Hebraicum textum, & traductionem 70. Interpretum, plura exoptat oſcula: *Oſculetur*, inquit illa, *me oſculis oris ſui.* Verùm, quia minuta iſta vitæ præſentis oſcula referuntur ad oſculum vitæ æternæ, non ſunt ea niſi prægustus quidam, præparatiua, & pignora illius. Vnde ſacra vulgaris editio præclarè

oſcula gratiæ, reducit ad oſcula gloriæ, exprimens hoc modo votum diuinæ amatricis: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: quaſi diceret: inter omnia oſcula, inter omnes fauores, quæ & quos Amicus cordis mei vel cor animæ meæ, præparauit: eheu! non ſuſpiro, neque adſpiro ad aliud, quàm ad magnum & ſolenne oſculum nuptiale, quod in æternum durabit, in cuius comparatione reliqua omnia oſcula oſculi nomen minimè merentur; ea ſiquidem potius ſunt ſigna futuræ vnionis, inter me, & meum dilectum, quàm ipſamet vnio.

Quod charitas Sanctorum in hac mortali vita æquet charitatem beatorum in altera, imò & quandoque ſuperet.

Capvt VII.

QVando exantlatis laboribus & ſuperatis huius vitæ tranſitoriæ periculis, animæ beatæ pertingunt ad portũ vitæ æternæ, altiſſimum & vltimum amoris gradum, ad quem pertingere valent, conſcendunt. Et quidem augmentum hoc finale, dum ijs confertur pro compenſatione meritorũ, non ſolum confertur in menſura bona, ſed & conferta, coagitata & ſuper effluente, vt dixit
Luc. 6. 38. Chriſtus: ita vt amor, qui ſalarij nomine datur, ſemper in vnoquoque ſit maior eo, qui illi collatus fuerat in hac vita ad merendum. Porrò, non tantùm quilibet particulatim maiorem in cælo habebit amorem, quàm vnquam habuerit in terris, ſed etiam exercitium minimæ charitatis, quod in vita beata reperiri poteſt, longè erit beatius & excellentius vniuerſim loquendo, quàm illud maximæ charitatis, quæ eſt, quæ fuit, aut quæ erit in hac mortali vita. Nam in beato illo cælorum domicilio omnes ſancti inceſſanter & abſq; vlla intermiſsione ſuum exercent amorem, dum hiſce in terris quam plurimi Dei ſerui neceſsitate, velut tyrannide aliquâ trahuntur, torquentur, & coguntur ad ſufferendas innumeras diſtractiones, quibus perſæpe eos abſtrahi ab exercitio diuini amoris neceſſe eſt.

In cælo,

Digitized by Google

In cælo, Theotime, amoroſa beatorum attentio, eſt firma, conſtans, & inuiolabilis. Vnde nec perire, nec diminui eorum intentio vnquam poteſt; quippe quæ ſemper eſt pura, ſemper exempta ab omni permixtione inferioris intentionis. Paucis, quis neget felicitatem cuicunque collatam Deum clarè videndi, eundemque conſtanter amandi, eſſe incomparabilem? & quis poſſet bonum, ſi aliquod tamen bonum eſt, videre inter continua pericula, tormenta, agitationes & viciſſitudines, quæ tum in terra, tum in mari huius mundi perferenda ſunt, adæquare gaudium, quod eſt eſſe, & habitare in Regio palatio, vbi omnia habentur ad votum, imò vbi deliciæ incomparabiliter ſuperant omne votum?

Plus igitur gaudij, ſuauitatis & perfectionis inuenitur in exercitio amoris inter cæli incolas, quàm inter peregrinos huius miſerabilis vitæ. Verumtamen non defuerunt homines beati in ſua peregrinatione, quorum charitas maior extiterit, quàm complurium Sanctorum, re ipſâ iam fruentium æterna Patria. Certè nullum extat argumentum quo oſtendi & conuinci poſſet charitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum, hominumque Apoſtolicorum non fuiſſe maiorem, etiam dum in terra verſarentur, quàm fuerit infantium, qui mortui in ſola Baptiſmatis gratia, gloriâ fruuntur ſempiternâ.

Extra ordinem eſt, vt Opiliones ſint magis ſtrenui, quàm milites, & tamen Dauid paruus opilio veniens ad exercitum Iſraëliticum, in quo omnes magis exercitati erant in armis, quam ipſe, tamen omnibus magis ſe ſtrenuum, illatâ Goliath nece, oſtendit. Conſuetum etiam non eſt, vt mortales maiori gaudeant charitate, quàm immortales, & nihilominus reperti ſunt mortales, qui cùm inferiores eſſent immortalibus in exercitio amoris, tamen in charitate & in habitu feruoris eos ſuperârunt. Et ſicut conferendo ferrum candens cum lucerna accenſa, dicimus ferrum plus ignis & caloris habere, lucernam autem plus flammæ & claritatis, ita comparando infantem glorioſum cum S. Ioanne Baptiſta, adhuc exiſtente in cuſtodia, aut S. Paulo captiuo, dicemus certè infantem in cælo commorantem plus claritatis & luminis in intellectu, pluſque flammæ & exercitij amoris habere in voluntate, ſed S. Joannem, vel S. Paulum in terris maiorem charitatis ignem, maioremq; dilectionis amorem habuiſſe.

De incomparabili amore DEI Matris, Dominæ noſtræ clementiſſimæ.

Caput VIII.

VBicunque & quandocunque facio comparationes, nunquam intendo ſanctiſſimam Virginem Dei matrem includere: abſit, abſit: eſt enim ea filia pulchræ & incomparabilis dilectionis, columba vnica, ſponſa tota quanta perfecta. De hac cæli Regina, totâ cordis latitudine, amoroſam quidem ſententiam, ſed veriſſimã pronuncio, quòd, minimũ in fine vitæ, eius charitas ſuperârit amorẽ Seraphinorum: *nam ſi multæ filiæ congregauerunt diuitias, hæc ſupergreſſa eſt vniuerſas;* omnes ſancti, tum Angeli, tum homines ſolùm comparantur ſtellis, & primus quidem inter illos, pulcherrimæ illarum comparatur: verùm, *hæc pulchra eſt vt luna*, & tam facilis delectu & cognitu inter omnes ſanctos, quàm ſol inter aſtra. Sed & cogitationem meam vlterius extendens, nõ dubito dicere, quin, quemadmodum charitas huius *Matris pulchræ dilectionis*, ſuperat omnem Sanctorum in cælo degentium perfectionem: ita eadem virgo, eandem charitatem, iiſdem Sanctis in hac vita mortali excellentius exercuerit. Nunquam, ne venialiter quidem, opinione & judicio Eccleſiæ peccauit. Non habuit igitur, neque viciſſitudines, neque remoras vllas in amoris progreſſu, ſed de vno in alterum aſcendit amoris gradum, adijciens ſemper noua & noua eidem amori augmenta. Eadem nunquam ſenſit contradictionem in appetitu ſenſitiuo: ideoq; eius amor, vt verus Salomon, pacificè regnauit in eius anima, ibique omnia ſua exercitia ad votum fecit. Eius tum cordis, tum corporis virginitas dignior fuit qualibet Angelica puritate. Vnde eius mens, ſeu animus, nunquam erat diuiſus, nunquam in diuerſa trahebatur, ſed vt loquitur S. Paulus, ſemper occupatus fuit in cogitandis & reuoluendis rebus ſpiritualibus, quomodo Deo placeret. Tandem amor maternus comprimis vrgens, actuoſus, inſuper & omnium ardentiſſimus, infatigabilis, & inſatiabilis, quid non ageret in corde talis matris, & pro corde talis filij?

Hem!

Digitized by Google

Hem! noli, obſecro noli, mihi allegare quòd hæc ſancta Virgo fuerit ſubiecta dormitioni, noli inquam, Theotime, hoc mihi dicere; non vides, non aduertis eius ſomnum, eſſe ſomnum amoris, proindeque non immeritò ipſum ſponſum clamare & iubere, vt ſinatur quieſcere quamdiu vult? ſed ipſius verba lubet audire.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruoſq; camporum, ne ſuſciteris, neque euigilare faciatis dilectam quoadusq; ipſa velit. Ita res habet, Theotime, Regina hæc cæleſtis, nunquam *ſomnum dabat palpebris ſuis,* niſi vrgente amore. Et ratio in promptu eſt, quia corpus ſuum, quod corporum omnium erat pretioſiſſimum, nunquam tradebat quieti, niſi cauſâ illud refocillandi, paululumque recreandi, vt illo recreato ipſa dein melius ſeruiret Deo; quod erat actus excellentiſsimæ charitatis. Nam, vt dicit magnus Sanctus & magnus Doctor Auguſtin⁹, illa nos hoc facto docet conuenienter amare corpora noſtra, in tantũ ſcilicet, in quantum requirunt neceſſaria ad peragenda bona opera, ſuntque pars altera noſtræ perſonæ, quin & cum anima participatura felicitatem æternam. Certè quilibet Chriſtianus corpus ſuum, vt imaginem viuam corporis incarnati Saluatoris, vtque proueniens cum illo ex eodem trunco, amare debet; & conſequenter ad eum pertinens, ratione conſanguinitatis & propinquitatis. Præſertim autem id actitandum eſt, poſtquam neceſſitudinis fœdus per realem receptionem diuini corporis Chriſti in venerabili Euchariſtiæ Sacramento renouauimus, noſque per Baptiſmum, per Confirmationem, aliaque Sacramenta ſupremæ eius bonitati dedicauimus, conſecrauimuſque. Cant. 2. 7.

Sed quod ad ſanctiſſimam Virginem attinet, Deus bone! quanta cum deuotione corpus ſuum virginale amare debuit, non ſolùm, quia erat corpus mite, humile, purum, obſequens ſancto amori, & mille ſuauitatibus diuinis, velut totidem balſaminis vnguentis conditum; ſed etiam, quia erat vnica ſcaturigo corporis Saluatoris, quod ad eam per arctâ ac incomparabili proprietate ſpectabat. Quo fiebat, vt, quando Angelicum illud ſuum corpus quieti & ſomno tradebat, diceret, *Age ô tabernaculum fœderis ô arca ſanctitatis, ô throne diuinitatis, paululùm te ex laſsitudine recrea, vireſq; per dulcem quietem reſice.*

Deinde, chare Theotime, ſcio, non te latet, quòd quemadmodum praua ſomnia voluntariè procurata per malas diei cogitationes,

ſunt

ſunt (non determino qualia) peccata, quia ſcilicet ſunt velut dependentiæ & executiones malitiæ, quæ præceſſit; ita ſomnia ex ſanctis vigiliarũ affectionibus prouenientia, virtutibus ſunt affinia, & ſacra æſtimantur. O Theotime, quæ conſolatio audire S. Chryſoſtomum ſuo populo referentem, vehementiam amoris, quem aduerſus eum habebat, voces eius ſunt hæ; circa verba ſponſæ. *Ego dormio, & cor meum vigilat: Somni neceſſitas palpebras ipſas contrahit, tyrannis verò amoris veſtri oculos noſtræ mentis excitat, atque ſæpenumero per ſomnum vobiſcum loqui viſus ſum: etenim conſueuit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in ſomniis per phantaſiam cernere. Quod & nobis tunc accidit. Et vos carneis minus videntes oculis, charitatis inſpicimus.*

Homil. 10. de pœnit. In princip.

O bone Iesu! quid debuit ſomniaſſe Mater tua ſanctiſſima, dum illa *dormiebat, & cor eius vigilabat?* fortène ſomniabat quòd te adhuc complicatum in ſacris ſuis viſceribus, in quibus fuiſti nouem menſibus, geſtaret? an certè quòd adhuc dependeres affixus eius mamillis ſuauiter premens vbera? Eheu! quæ dulcedines in iſta anima? forte ſæpius ſomniabat, quòd quemadmodum Chriſtus olim frequenter dormierat ſupra ſuum pectus, velut paruulus Agnellus ſupra molle latus Matris; ita etiam dormiebat in transfixo latere filij velut alba columba in foramine petræ ſecura. Ita vt eius ſomnus eſſet ſimilis ecſtaſi quo ad operationem mentis, licet quo ad corpus, eſſet dulce lenimentum, & grata eiuſdem requies; Si autem vnquam ſomniauit (vti olim Joſeph Patriarcha de futura ſua magnitudine & gloria) futurum vt in cælo *amiciatur ſole, & luna ſub pedibus eius collocetur, & in capite ponatur corona ſtellarũ duodecim*, id eſt tota circumdetur filij ſui gloriâ, Sanctorum item ſplendore coronetur, & totum vniuerſum eius pedibus ſubijciatur: vel, quemadmodũ olim Jacob Patriarcha, ita illa vidit progreſſus & fructus Redemptionis factæ per filium ſuum in fauorem Angelorum & hominum. Theotime, quis vnquam non dico verbis eloquatur, ſed vel mente conſequatur immenſitatem ingentium eius deliciarum, prouenientium tum ex colloquijs cum filiolo ſuauiſſimo, tum omni ex parte affluentium ſuauitatum.

Aduertas autem velim, Theotime, quòd non dicam neque dicere intendam, quòd anima Dei Matris, tot priuilegijs & prærogatiuis condecorata, in ſomno aliquando priuata fuerit vſu rationis. Complures

Digitized by Google

plures exiſtimârunt Salomonem in pulchro illo (veridico omnino) ſomnio in quo petijt, & accepit donum incomparabilis (quâ poſtea donatus fuit) ſapientiæ, habuiſſe veriſſimum exercitium liberi arbitrij. Et hoc propter eloquentiam plenam ſolidi iudicij 3.Reg.3 circa diſcurſum, quem fecit electionis, plenum prudentiæ & delectûs, v. 5. in quo ſe determinauit; & excellentiſſimam orationem, quâ in dono ſapientiæ petendo vſus eſt, & hoc abſque vlla intermixtione alicuius rei à propoſito alienæ, vel diſtractionis intellectûs. Quantò igitur veroſimilius eſt Matrem Veri Salomonis in ſomno ſuo retinuiſſe actualem vſum rationis, id eſt, vt ipſe Salomon de ea dixit, illam dormiuiſſe, & cor eius vigilaſſe. Profectò S. Joannem Baptiſtam in ipſo Matris ventre habuiſſe mentis vſum, & eiuſdem exercitium, longè plus habet admirationis, quàm id, quod credunt de rationis vſu in Beata Virgine dormiente. Cur ergo denegemus minus priuilegium ei, cui Deus majores fecit & contulit fauores, quàm vel fecerit hactenus, vel poſthac facturus & collaturus ſit alicui creaturarum? Breuiter, ſicut Asbeſtus lapis pretioſus ſemper conſeruat ignem, quem ſemel per proprietatem comprimis excellentem concepit: ita cor Virginis Matris flammam amoris ex filio ſuo conceptam perpetuò conſeruauit. Hoc tamen admitti debet diſcrimen, quòd ignis, qui in Asbeſto lapide eſt, vti nequit extingui, ita nec augeri: ſacræ autem flammæ virginis vti non poterant vnquam perire, neque diminui, neque in eodem ſtatu permanere; ita nunquam intermittere, quin incredibilia caperent incrementa, vſque dum ventum ad cælum eſt, quod locus earum originis eſt. Adeò verum eſt, *eam eſſe Matrem pulchræ dilectionis*, id eſt amabiliſſimam & dilectiſſimam Matrem vnici Filij, qui & ipſe eſt amabiliſſimus, dilectiſſimusque *filius vnicus Matri ſuæ.*

Digitized by Google

Præparatio ad diſcurſus faciendos de vnione Beatorum cum DEO.

Capvt IX.

AMor triumphans, quem Beati exercent in cælo, conſiſtit in finali, perpetua, nullique varietati, ſeu viciſſitudini obnoxia vnione animæ cum Deo. Sed quid eſt iſta vnio?

Quò noſtri ſenſus gratiora & excellentiora comprehendunt obiecta, eò ardentius & auidius eorum fruitioni & iucunditati ſe applicant. Quò res ſunt pulchriores & gratiores, magiſque debitè viſui repræſentatæ, eò etiam oculus eas reſpicit auidiùs & viuaciùs; eodem modo, quò vox aut muſica eſt dulcior & ſuauior, eò etiam magis trahit aures ad auſcultandum. Quò fit, vt obiectum quodlibet exerceat potentem quidem, ſed ſimul amabilem violentiam in ſenſum ſibi deſtinatum & definitum. Violentia hæc fit fortior, vel debilior, iuxta quod minor vel maior exiſtit excellentia, omnino autem debet eſſe proportionata & conueniens capacitati ſenſûs, qui intendit eâ frui. Quod ideo dixerim, quia oculi, licet admodũ ſibi complaceãt in lumine, nequeunt tamen ſummè intenſum lumẽ perferre: vt clarum eſt in ſole, quem illi nequeunt fixè & diu reſpicere. Licet autem pulchra ſit muſica, ſi tamen ſit valde vehemens, & plus æquo nobis vicina, grauis accidit audientibus, & aures offendit. Veritas eſt obiectum noſtri intellectûs, qui conſequenter gaudio non poteſt non affici, dum detegit & cognoſcit veritates rerum. Quæ veritates quò ſunt excellentiores, eò intellectus noſter delicioſius & attentius eis conſiderandis ſe applicet neceſſe eſt. Quantis, Theotime, voluptatibus antiquos Philoſophos perfuſos fuiſſe putandum eſt, dum tam multas, tamque eximias in natura veritates modo perquam excellenti cognouerunt? quas tamen voluptates & iucunditates præ comparatione ſemel adamatæ Philoſophiæ nihili faciebant. Hinc eſt quod eorum nonnulli honoribus nuntium remiſerint; alij magnis diuitijs ſe exſpoliârint; alij etiam Patriæ vale dixerint. Sed & nonnullus inuentus eſt, qui

qui ſibi, animo ſedato, lubens ac volens oculos euulſerit, ſe in perpetuum priuans jucunditate pulchri & grati luminis rerum corporearum, quò liberius conſiderandæ veritati rerum per lumen ſpirituale vacaret. Legitur enim hoc de Democrito: TAM DELICIOSA EST COGNITIO VERITATIS! Vnde perſæpe dicit Ariſtoteles, felicitatem & beatitudinem humanam conſiſtere in ſapientia, quæ eſt notitia eminentium veritatum.

Verùm vbi intellectus noſter eleuatus ſupra lumen naturale, incipit videre ſecretas veritates fidei, DEUS bone, Theotime, qualis iucunditas? anima præ gaudio liqueſcit audiens vocem cæleſtis ſui ſponſi, quam experitur dulciorem & ſuauiorem melle, & ſucco quarumcunque ſcientiarum humanarum.

DEUS pedum ſuorum omnibus rebus creatis impreſſit veſtigia: ita vt cognitio, quam de diuina eius maieſtate per creaturas habemus, aliud non videatur eſſe, quàm pedum diuinorũ viſio, & in comparatione rei iſtius fides eſt viſio faciei ipſiuſmet & diuinæ Maieſtatis, quam necdum videmus in pleno die eius gloriæ: ſed tamen vidèmus velut in prima diei aurora; prout euênit Jacobo Patriarchæ ad vadum Jabes. Nam quamuis non vidiſſet Angelum, quo cum luctabatur, niſi ſub obſcurè, Gen. c. ad primum diei ortum, abreptus tamen gaudio non intermiſit clamare: 32. v. 23. *Vidi DEUM facie ad faciem, & eſt ſalua facta anima mea.* & 30. O quam delicioſum eſt lumen ſanctæ fidei, per quam certitudine infallibili ſcimus non ſolùm Hiſtoriam originis creaturarum, verumque vſum earum, ſed etiam æternæ Natiuitatis magni & ſummi VERBI DIVINI, propter quod & per quod omnia facta ſunt, & quod cũ Patre & ſpiritu Sancto eſt ſolus, vnicus, & ſummè adorandus DEUS, & benedictus in ſæcula ſæculorum, amẽ. Ah! dicit S. Hieronymus ad ſuum S. Paulinũ ſcribens, doctus Plato nunquã ſciuit hęc; eloquẽs Demoſthenes ignorauit. O inquit magnus Rex & Propheta, Pſ. 118. *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Nonne cor noſtrum ardens* v. 103. *erat in nobis, dum loqueretur in via,* dicebant beati illi peregrini Emauſiani, ſermocinantes de igniferis flammis, quibus tacti & inflammati erant ex au- Luc. 24 ditu verbi fidei? Quod ſi diuinæ veritates propoſitæ in lumine obſcu- 32. ræ fidei, tantæ ſint ſuauitatis, DEUS bone, Theotime, quid erit quando in meridiana claritate gloriæ eas contemplabimur?

Regina Saba, quæ, auditâ famâ Salomonis, omnibus in ſuo re-

Digitized by Google

gno relictis, venerat audire eius ſapientiã, quã vbi cũ admirandis plurib⁹ alijs audiſſet & vidiſſet, *non habens amplius ſpiritum velut* in Ecſtaſi poſita, præ admiratione, dixit ad Regem: *Verum eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua, quam rumor, quem audiui.*

O quàm pulchræ, & quam amabiles ſunt veritates, quas nunc per auditum fides nobis reuelat! ſed, quando ingreſſi cæleſtem Hieruſalem videbimus magnum Salomonem, Regem omnis gloriæ in ſapientiæ ſuæ throno, reſidentem, incomprehenſibilique cum claritate, admiranda & æterna ſupremæ ſuæ veritatis ſecreta manifeſtantem: & hoc tanto cum lumine, vt intellectus coram præſens viſurus ſit quod in hoc ſublunari mundo crediderat: tunc, ò qui tunc chariſſime Theotime, raptus amorum, quæ ecſtaſes! quæ admirationes! qui amores! quæ dulcedines! nunquam, (dicemus nos) in exceſſu iſtius ſuauitatis conſtituti, nunquam omnino auſi fuiſſemus cogitare de videndis veritatibus tam delectabilibus. Credidimus equidem omnia ea, *quæ dicta ſunt nobis de te, deq; tua gloria, ò Ciuitas DEI,* ſed neque potuimus concipere magnitudinem infinitæ abyſſi tuarum deliciarum.

Quòd deſiderium præcedens admodum augebit vnionem Beatorum cum DEO.

Caput X.

Deſiderium, quod præcedit ipſam fruitionem, acuit & perficit ſenſum illius; & quantò potentiùs preſſit hac in vita deſiderium, tãntò poſſeſſio rei deſideratæ gratior & ſuauior eſt in cælo. O Iesu mi, qualis lætitia cordi humano videre faciem ipſiuſmet diuinitatis, faciem tam deſideratam, imò faciem, quæ eſt vnicum deſiderium noſtrarum animarum? Ineſt cordibus noſtris ſitis, quæ nequit extingui commoditatibus huius vitæ mortalis; quæ enim ex ijs maximè æſtimantur & procurantur, ſi ſint moderatæ, ſitim non ſedant; ſi autem ſint ſummæ & extremæ, nos ſuffocant. Nihilominus, ſummæ & extre-

Digitized by Google

extremæ ſemper deſiderantur, cùm tamen abſque magno exceſſu & intolerabili dolore & damno tales eſſe nequeant. Nam lætitiâ æquè, ac triſtitiâ homines extinguuntur: quin imò lætitia plus habet virium ad homines è medio tollendos, quàm triſtitia. Poſtquam Alexander partim effectu, partim ſpe vniuerſum mundum deuoraſſet, audiuit ex quodam viliſſimo homine, præter hunc mundum complures alios exſtare: vnde inſtar infantis, qui fleret ob recuſatum ſibi pomum, Alexander hic (cui ob res geſtas filij huius ſæculi Magni nomen indiderunt) infante illo ſtultior vbertim lacrymatus eſt, quòd nulla affulgeret ſpes alios mundos ſibi ſubijciendi, ſiquidem nec hunc adhuc integrè poſsideret. Is qui plenius poſsidebat hunc mundum, quàm vllus mortalium, ante ipſum, tam eſt inquietus & turbatus, vt lacrymas fundat præ triſtitia, quòd alios nequeat habere, quos ſtulta perſuaſio garruli hominis eum imaginari faciebat. Dic, obſecro, Theotime, nónne oſtendebat ſatis cordis ſui ſitim in hac vita non poſſe ſedari, mundúmque hunc non eſſe ſufficientem ad eam pellendam? O admirabilis, ſed multùm amabilis cordis humani inquietudo! Eſto, ô eſto anima mea ſemper in his terris cum inquietudine aliqua, & ſolicitudine vſque dum alſas & recentes aquas immortalis vitæ, & puriſſimum ſanctiſsimúmque diuinitatis fontem inuenias, quæ ſola extinguere, & cordi tuo quietem reddere, ſitimq; æternùm à te propulſare poſſunt.

Interim, Theotime, cum Regio Propheta imaginare tibi ceruum, multitudine canum per auia & deuia ita agitatum, vt neque ſpiritum, neque pedes habere videatur ad effugiendos canum morſus, & lanienam, quomodo auidè in aquam (quam reperit) inſiliat, in eaq; ardore adeò vehementi ſe immergat, vt videri poſſit velle ſe reſoluere & conuertere penitus in elementum aquæ, quò plenius eius algore fruatur.

O qualis vnio cordis noſtri in ſupernis cùm Deo! vbi poſt infinita deſideria veri boni, nunquam hoc in mundo expleta, inueniemus viuam & copioſam eius ſcaturiginem. Tunc profectò, ſicut videmus infantem oppidò eſurientem, ita agglutinare ſe lateri, & vberibus matris, itaque auidè premere ſuauem fontem dulcis & deſiderabilis liquoris, vt videatur velle, aut penitus intrudere ſe in ipſum ſinum maternum; aut ſuccum totius eius pectoris in ſuũ trahere; ita anima noſtra præ nimia

mia ſiti anhelans ad verum bonum, *& fontem aquæ ſalientis in vitam æternam*, quando reperit originem, in diuinitate quæ exhauriri non poteſt. Deus bone! ô qualis & quàm ſuauis odor ſe vnire & iungere mammillis totius boni feracibus, vel, vt toti quanti in abyſſo illa immergamur, vel vt tota in nos illa conuertatur?

De vnione Beatorum ſpirituum ſeu animarum cum DEO, in viſione diuinitatis.

Capvt XI.

Qvando rem quampiam intuemur, eſto ſit nobis præſens, non per ſe ipſam ſe noſtris vnit oculis, ſed ſolùm in eos immittit certam repræſentationem, vel ſui ipſius imaginem, quæ vocari conſueuit ſpecies ſenſibilis: cuius beneficio rem illam videmus. Et quando nos contemplamur, vel intelligimus rem aliquam, ea non ſeipsâ noſtro ſe vnit intellectui, ſed mediante alia repræſentatione & imagine comprimis delicatâ & ſpirituali, quæ nuncupatur ſpecies intelligibilis. Sed & hæ ſpecies per quot anfractus & commutationes ad noſtrum intellectum non debent pertingere? appellunt enim primò ad ſenſum exteriorem, & inde tranſeunt ad interiorem, pòſt ad phantaſiam, ab ea ad intellectum actiuum, & tandem ad paſſiuum: vt hoc modo traiectæ per tot cribra, tot cilicia, tot lintea, toties deniq; ad limam reuocatæ, euadant puriores, ſubtiliores, magiſq; excoquantur, ac demum ex ſenſibilibus, fiant intelligibiles.

Quicquid, Theotime, hac in vita mortali videmus, & intelligimus, hoc modo & videmus & intelligimus, etiam ipſaſmet res fidei. Nam quemadmodum ſpeculum non continet rem quæ in eo videtur, ſed ſolùm repræſentationem & ſpeciem rei repræſentatæ, quæ repræſentatio ſeu ſpecies retenta in ſpeculo, producit vnam aliam in oculo, qui reſpicit: eodem modo verbum fidei non continet res, quas annunciat, ſed ſolùm eas repræſentat; & repræſentatio rerum diuinarum, quæ eſt in verbo fidei, aliam producit, quam noſter intellectus, gratiâ Dei interueniente, acceptat & recipit tanquam repræſentatio-

nem

nem ſanctæ veritatis; voluntas autem noſtra in ea ſe perficiendo, vt honorabilem, vtilem, amabilem ſinceramque veritatem totis vlnis complectitur. Atque ita veritates, ſignificatæ in verbo Dei, per illud intellectui repræſentantur, vti res expreſſæ in ſpeculo repræſentantur oculo per ipſum ſpeculum. Atque ita, credere, eſt videre tanquam per ſpeculum in ænigmate vt dicit Apoſtolus.

Verùm, in cælo, Theotime, quæ gratia, quis fauor? diuinitas ſe ipſam per ſemetipſam vniet noſtro intellectui, nulla interueniente, neq; ſpecie, neque repræſentatione vlla; ſed ſe per ſe applicabit & iunget intellectui noſtro, ita præſentem ſe illi conſtituens, vt illâ ſuâ præſentiâ ſubeat locum repræſentationis & ſpeciei. O Deus! quæ ſuauitas intellectui humano eſſe perpetuò vnitum ſupremo obiecto, recipiendo, non repræſentationem, ſed ipſam eius præſentiam, non aliquam imaginem, non ſpeciem, ſed propriam eſſentiam diuinæ eius veritatis & Maieſtatis: Ibi, ibi erimus vt filij feliciſſimi diuinitatis, qui digni erimus nutriri propriâ ſubſtantiâ diuinâ in animas noſtras receptâ, idque per os noſtri intellectus. Sed ſuperat omnem dulcedinem, quòd, quemadmodum Matribus non ſatis eſt, puſillos infantes proprio lacte, quod eſt propria earum ſubſtantia, paſcere, niſi illæ ipſæ ori eorum præbeant vbera, vt earum ſubſtantiam, non in cochlear aliquod aut vas aliud, recipiant, ſed in ſua earum ſubſtantia, & per propriam ſubſtantiam: ita vt ſubſtantia hæc materna tam ſit loco tubi, quam nutritionis, à dilecto infante recipienda. Ita Deo, Patri noſtro non ſufficit, quod propriam eius ſubſtantiam in noſtrum intellectum recipiamus, id eſt, quod nobis viſendam oſtendat ſuam diuinitatem, niſi etiam, per neſcio quam dulcedinis abyſſum ipſemet ſuam ſubſtantiam noſtro applicet intellectui, vt eum intelligamus, non amplius per ſpeciem vel repræſentationem aliam, ſed in ſe ipſa, & per ſemetipſam; ita vt Paterna & æterna eius ſubſtantia æquè noſtro intellectui ſit loco ſpeciei, ſicut eſt obiecti. Et tunc modo excellenti prodibunt in praxim diuina eius promiſſa: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Et* Iſaiæ
apud Iſaiam: Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: Gaudete cum ea gaudio vniuerſi, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius: ad vbera portabimini & ſuper genua blandientur vobis. 46. v. 10. & ſeqq.

Felicitas iſta, ô Theotime, nónne eſt infinita, quæ non ſolùm no-

bis

bis dat promiſſa, ſed etiam exhibet pignora in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, iugi gratiæ diuinæ conuiuio? Nam in eo recipimus ſanguinem Saluatoris in eius carne; & eius carnem in proprio eiuſdem ſanguine, dum eius ſanguis nobis per carnem, & ſubſtantia per eiuſdem ſubſtantiam, proprio ori noſtro corporali applicatur; vt ſciamus eum ſic nobis ſuam diuinam ſubſtantiam in æterno diuinæ gloriæ conuiuio applicaturum. Verùm quidem eſt, hic fauorem illum realiter nobis exhiberi, ſed adhuc in operto, ſub ſpeciebus ſcilicet & accidentibus Sacramentalibus; in cælo autem diuinitas ita ſe in aperto exhibebit, vt eam, ſicuti eſt, à facie ad faciem videamus.

De vnione æterna Beatorum ſpirituum cum DEO, in viſione natiuitatis æternæ Filij DEI.

CAPVT XII.

O Sancte & diuine Spiritus! ò amor æterne Patris & Filij, eſto meæ infantiæ propitius. Videbit igitur, Theotime, intellectus noſter DEVM, videbit inquam DEVM, & non per ſpeciem, ſed *facie ad faciem*, contemplando diuinam eſſentiam per viſionem veræ & realis præſentiæ, & in illa infinitas excellentias, omnipotentiam, bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, & reliquas infinitæ iſtius abyſsi perfectiones.

Videbit, repeto, intellectus noſter clarè infinitam cognitionem, quam ab omni æternitate habuit Pater de propria ſua pulchritudine & excellentia; & pro qua exprimenda pronunciauit & dixit ÆTERNVM VERBVM vnicum & infinitum: quod cùm comprehendat & repræſentet omnem Patris perfectionem, non poteſt non eſſe idem, DEVS, ſummè vnicus cùm illo, abſque vlla diuiſione & ſeparatione. Ita igitur videbimus æternam iſtam & admirabilem generationem VERBI ſeu FILII DEI, per quàm ad imaginem & ſimilitudinem Patris ab æterno natus eſt: ad imaginem inquam, & ſimilitudinem viuam & naturalem,

lem, quæ nec vllum accidens, nec extraneum quid repræſentat. In DEO enim quicquid eſt, ſubſtantia eſt, excludens omne accidens; quicquid eſt, internum eſt, nec in ea poteſt quid eſſe extraneum: ſed imago ſolùm, quæ repræſentat propriam ſubſtantiam Patris, ita viuaciter, ita naturaliter, ita eſſentialiter, & ſubſtantialiter: vt ea de cauſa non poſſit eſſe niſi idem DEUS cum illo, abſque diſtinctione vel differentia aliqua in eſſentia aut ſubſtantia; ſed cum ſola diſtinctione perſonarum. Quomodo enim fieri poteſt, vt diuinus iſte Filius, eſſet vera, verè viua, & verè naturalis imago, ſimilitudo & figura infinitæ pulchritudinis, & ſubſtantiæ Patris, ſi illa infinitè ad viuum, & ſecundum naturam, infinitas Patris perfectiones non repræſentaret? Et quomodo poſſet illa perfectiones infinitas infinitè repræſentare, ſi illa ipſa infinitè non eſſet perfecta? quomodo item poſſet eſſe infinitè perfecta, niſi illa eſſet DEUS? Quomodo demum poſſet illa eſſe DEUS, ſi non eſſet DEUS cum Patre?

Filius igitur hic, infinita imago & figura infiniti Patris, eſt ſolus DEUS, ſummè vnicus, & ſummè infinitus cum Patre, abſque vlla differentia ſubſtantiæ inter illos, manente ſolùm diſtinctione perſonarum. Quæ diſtinctio perſonarum ſicut omnino eſt requiſita, ita eſt ſufficientiſsima ad efficiendum, vt Pater pronunciet, & Filius ſit VERBVM pronunciatum, vt Pater dicat VERBVM, & Filius ſit VERBVM, aut DICTIO, quam Pater exprimit, & Filius ſit imago, ſimilitudo, & figura expreſſa: Et tandem Pater ſit Pater, & Filius ſit Filius, perſonæ duæ diſtinctæ, ſed vna ſubſtantia & diuinitas. Atque ita DEUS quidem eſt ſolus, ſed non ideò ſolitarius; quia ſolus eſt in ſummè vnica ſummeque ſimplici diuinitate, ſed vt dixi, non eſt ſolitarius, ſiquidem eſt Pater, & Filius in duabus perſonis. Theotime, Theotime! quæ lætitia, quæ ſpiritûs exultatio celebrare iſtam æternam Natiuitatem, quæ fit in ſplendore ſanctorum, celebrare inquam eam videndo, & videre eandem celebrando!

Suauiſſimus S. Bernardus adhuc exiſtens in juuenilibus annis Caſtilione ad Sequanam nocte natiuitatis Domini expectabat in Eccleſia, vt ſacrum officium inchoaretur; qua in expectatione obdormiuit: ſed ſomno minimè graui & profundo. Quo durante, ô quæ dulcedo cæleſtis! vidit in ſpiritu, ſed viſione admodum diſtinctâ & clarâ, quomodo Filius DEI, deſponſatâ ſibi naturâ humanâ, effectus puſio intra

Digitized by Google

puriſſima Matris viſcera, partu virgineo ex eius ſancto vtero prodiens naſcebatur, humili quidē cū ſuauitate, ſed mixta cęleſti Maieſtate. Paucis:
Pſal. 18 *tanquam ſponſus procedebat de thalamo ſuo.*
6. Viſio hæc, Theotime, amabile cor, parui iſtius tunc Bernardi, lætitiâ, iubilatione, & delicijs ſpiritualibus ita repleuit cumulauitque, vt deinceps totâ vitâ ſuauiſſimos ex illa ſenſûs retinuerit. Et ideò, quamuis poſtea, velut ſacra apis, ſemper ex omnibus diuinis myſterijs mel infinitarum dulciſsimarum & diuiniſsimarum conſolationum collegerit: tamen ſolennitas natiuitatis Saluatoris ſingularem illi adferebat ſuauitatem. Vnde de ea admirando cum guſtu & ſuauitate loquebatur. O amabò, Theotime, ſi viſio Myſtica, & imaginaria temporalis & humanæ natiuitatis Filij Dei, per quam procedebat homo ex fœmina, Virgo ex virgine, admiratione & lætitiâ ita replet cor pueri, ò quid erit, quando animæ noſtræ illuminatæ claritate & viſione beatificâ videbunt æternam hanc natiuitatem, per quam Filius procedit, Deus de Deo, lumen de lumine, verus Deus de Deo vero, & hoc diuinitus & ab æterno? Tunc, tunc, Theotime, anima noſtra per incomprehenſibilem complacentiam iunget ſe huic obiecto, omnibus delicijs affluenti, & per attentionem nunquam variandam perpetuò ei manebit vnita.

De vnione Beatorum ſpirituum cum DEO, in viſione proceſſionis Spiritûs Sancti.

Capvt XIII.

Pater æternus videns infinitam bonitatem & pulchritudinem ſuæ eſſentiæ ita viuaciter, eſſentialiter & ſubſtantialiter expreſſam in ſuo Filio, & Filius viciſsim, ſeu reciprocè ſuammet eſſentiam, bonitatē & pulchritudinē originaliter eſſe in Patre, vt in ſua ſcaturigine & fonte, quî fieri poſſet, vt dictus Pater, & eius Filius ſe non adamarent amore infinito, ſiquidem eorum voluntas, per quam ſe amant, & bonitas ob quam item ſe amant, ſunt infinita in vtroque?

Amor

Digitized by Google

Amor non inueniens nos neque æquales, neque vnitos, nos æquat & vnit. At Pater & filius deprehendentes ſe non ſolùm æquales & vnitos, ſed vnum eundem Deum, vnam eandem bonitatem, vnamq; ſimiliter eſſentiam & vnitatem, quem, amabò, adinuicem non haberent amorem? verùm amor iſte non ſe habet adinſtar amoris, quem creaturæ intellectuales habent inter ſe, vel erga ſuum creatorem. Amor enim creatus fit ex pluribus & diuerſis motibus, librationibus, ſuſpirijs, vnionibus, coniunctionibus, quæ ſe inuicem conſequuntur, inſerunt & faciunt continuationem amoris cum ſuaui viciſsitudine ſpiritualium motuum. Diuinus autem amor Patris æterni erga Filium, exercetur, vnico ſolo & reciproco Patris & Filij ſuſpirio: qui Pater & Filius hòc modo manent vniti, & velut inuicem colligati. Ita, mi Theotime, quia bonitas Patris & Filij, cùm non ſit aliud, quàm vna ſola, vnicè vnica bonitas communis vtrique, amor iſtius bonitatis non poteſt eſſe niſi vnus & ſolus amor, quia licet ſint duo amantes, Pater ſcilicet, & Filius, tamen non eſt niſi vna ſola & maximè vnica bonitas, illis communis, quæ amatur; & vnica voluntas, quæ amat; ideoque etiam vnus ſolus amor, qui exercetur per amabile comprimis ſuſpirium. Pater ſpirat hunc amorem, & Filius ſimiliter: ſed quia Pater eum non ſpirat, niſi per & propter eandem voluntatem, quæ eſt æqualiter & vniuocè in illo, & in Filio; Filius autem viciſsim non ſpirat dictum ſuſpirium, niſi per eandem, & propter eandem voluntatem; propterea ſuſpirium hoc amabile non eſt niſi vnicum ſuſpirium, vel vnus ſpiritus à duobus ſpirantibus ſpiratus.

Et quia Pater & Filius, qui ſpirant ſeu ſuſpirant, eſſentiam & voluntatem habent infinitam, per quam ſpirant; & quia bonitas, quâ ſpirant, eſt infinita, fieri non poteſt, quin ſuſpirium ſeu inſpiratio ſit infinita; nequit autem eſſe infinita quin ſit Deus, ideò ſpiritus hic ſpiratus à Patre & Filio, eſt verus Devs; & quia non eſt, neque eſſe poteſt niſi vnus Deus, ideò eſt verus cum Patre & Filio Deus. Præterea, quia amor iſte eſt actus, qui à Patre & Filio procedit reciprocè, non poteſt is eſſe, neque Pater, neque Filius, à quibus procedit, quamuis eandem bonitatem & ſubſtantiam habeat ex Patre & Filio; tertia proinde Diuina perſona ſit, oportet, quæ cum Patre & Filio non eſt niſi vnus &

Digitized by Google

ſolus Deus. Quia autem amor hic productus eſt per modum ſuſpirij vel ſpirationis, vocatus eſt Spiritus Sanctus.

Audi porrò Theotime, quomodo Rex Dauid deſcribens ſuauitatem amicitiæ ſeruorũ Dei, exclamet: *Ecce inquit, quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum! Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius!* Pſ. 132.

At, Deus optime, ſi amicitia humana eſt tam gratioſè amabilis ſimul & amanda, dum tam delicioſum odorem diffundit ſuper eos, qui eam contemplantur, quid erit, peramande Theotime, exercitium ſacri & reciproci amoris Patris æterni erga Filium æternum? S. Gregorius Nazianzenus, refert amicitiam incomparabilem, quæ erat inter ſe, & Magnum S. Baſilium, per totam Græciam fuiſſe celebratam; Tertullianus etiam teſtatur Ethnicos amorem iſtum plus quam fraternum, qui regnabat inter primos Chriſtianos, ſummè admiratos fuiſſe. O quale feſtum! ô qualis ſolennitas! quibus laudibus, benedictionibus, admirationibus, extollenda! honoranda & amanda eſt æterna & ſuprema amicitia Patris & Filij? vel quid eſt, obſecro, amandum,& amabile, ſi iſta non eſt amicitia? ſi autem amicitia iſta eſt amabilis & amanda, quæ amicitia illi poteſt conferri, cùm ea ſit infinita, quæ verſatur inter Patrem & Filium, quæque eſt vnus & idem Deus, & ſummè vnicus cum illis? Cor noſtrum, Theotime, abſorbebitur abyſſo amoris præ admiratione pulchritudinis & ſuauitatis amoris, quem Pater æternus, & Filius incomprehenſibilis ab æterno exercent diuiniſsimè.

Quòd ſanctum lumen gloriæ ſeruiet beatorum ſpirituum vnioni cum DEO.

Caput XIV.

INtellectus igitur creatus diuinam videbit eſſentiam, nullâ interueniente ſpecie vel repræſentatione aliâ; non tamen abſque excellenti lumine: à quo, ad producendam viſionem tam eximiam tam altam & excellentem, de obiecto tam ſublimi, tam illuſtri & excelſo, quod eſt Deus ipſe, diſponitur, eleuatur & roboratur.

Nam,

Nam, quemadmodum noctua, licet ſat fortem viſum habeat ad videndum auſtrale, ſeu nubilum ſerenæ noctis lumen; minimè tamen ad intuendam claritatem meridianam, quæ acutiores iacit radios, quàm recipere valeant oculi tam confuſi, tamque imbecilles; ita intellectus noſter, qui ſat habet virtutis ad conſiderandas veritates naturales ſuo diſcurſu, quin & ſupernaturales gratiæ per lumen fidei; non poteſt tamen, neque per lumen naturæ, neque etiam per fidei vſque ad viſionem ſubſtantiæ diuinæ, in ſe ipſa conſideratæ, pertingere. Hinc eſt quòd ſuauitas æternæ ſapientiæ ſtatuerit non applicare ſuam eſſentiam noſtro intellectui, niſi prius à ſe præparato, fortificato & habili reddito ad recipiendam viſionem adeò eminentem, infinitiſq; paraſangis naturalem eius conditionem excedentem, quippe quæ ſit viſio ipſiuſmet diuinitatis. Nam ſic etiam ſol, ſupremum inter res naturales obiectum oculorum, non ſe obiicit noſtro viſui, niſi immiſsis prius ſuis radijs, quorum interuentu, eo modo illum poſſumus conſpicere, quo eum videmus per proprium ipſius lumen. Eſt tamen diſcrimen inter radios, quos ſol in noſtros oculos corporales iacit; & lumen, quod Deus in noſtris intellectibus in cælo creabit: radij enim ſolis corporalis non roborant oculos, quando ſunt debiles & impotentes ad videndum, ſed potius excæcant, perſtringendo & diſſipando infirmam eorum viſionem, at è contrario vbi ſacrum hoc gloriæ lumen deprehenderit noſtros intellectus minus habiles, minúſque capaces ad videndam diuinitatem, eleuat, tamque excellenter perficit, vt miro & incomprehenſibili modo abyſſum diuinæ claritatis in ſemetipſa, abſque eo, quòd perſtringantur vel retundantur à magnitudine infinitæ eius claritudinis, fixè & rectè reſpiciant ac contemplentur.

Quemadmodum igitur Deus nobis dedit lumen rationis, per quod eum cognoſcimus vt auctorem naturæ; & lumen item fidei, per quod eum conſideramus, vt originem gratiæ; ita donabit nobis lumen gloriæ, per quod, eum vt fontem beatitudinis & vitæ æternæ conſideremus. Dum dico fontem, Theotime, nos conſideraturos, non intelligo remotum à nobis, ſed vicinum, non vt nunc, dum eum per fidem ſolùm contemplamur, ſed quem videbimus per lumen gloriæ, toti quanti immerſi & abſorpti in illo. Vrinatores, inquit Plinius, vt lapides precioſos piſcentur, in profundum maris ſe immittentes, ac immergentes, accipiunt

Digitized by Google

in os oleum, quod diſpergunt, vt plus lucis inter aquas, in quibus natant, acquirant. Theotime, in intellectu beatæ animæ immerſæ jam & abſorptæ in oceano diuinæ eſſentiæ, Deus diſperget ſacrum gloriæ lumen, quod ei in abyſſo luminis inacceſsibilis conſtitutæ lucem exhibebit, vt per claritatem gloriæ, videat claritatem diuinæ eſſentiæ, vt bene expreſſit Pſalmiſta, *Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſal. 35.

Quod vnio Beatorum cum DEO ſit habitura gradus diuerſos & inter ſe differentes.

Capvt XV.

Porrò lumen gloriæ, Theotime, determinabit, & definiet viſionem & contemplationem Beatorum; & iuxta quod plus, vel minus habuerint de eo ſancto ſplendore, etiam clariùs vel minùs clarè videbunt, & ex conſequenti, beatiùs, vel minùs beatè ſanctiſſimam diuinitatem, quæ diuerſimodè à beatis viſa, eos differenter conſtituet glorioſos. In cæleſti quidem domicilio omnes felices ſpiritus omnem vident diuinam eſſentiam; verùm eorum nullus, neq; omnes ſimul vident, nec videre poſſunt eam totaliter, & adæquatè; ſic omnino res habet Theotime: cùm enim Deus ſummè ſit vnicus, ſumméq; ſimplex & indiuiſibilis, videri non poteſt, quin totus videatur. Sed quia ſimul eſt infinitus, ſine limite, ſine termino, ſinéq; menſura vlla in ſua perfectione, non eſt, neq; eſſe poteſt extra illum capacitas aliqua, quæ poſsit totaliter comprehendere, aut penetrare infinitatem bonitatis infinitè eſſentialis, & eſſentialiter infinitæ.

Lumen creatum viſibilis ſolis, quod eſt limitatum & finitum, taliter videtur totum ab omnibus eis, qui illud intuentur, vt tamen, nunquã totaliter ab vno quopiam, imò nec ab omnibus ſimul videatur. Et ſic ferè philoſophandum eſt de omnibus noſtris ſenſibus. Inter plures qui excellentem aliquam muſicam audiunt, licet omnes totam audiant, aliqui nihilominus non tam bene audiunt neque tanta cum voluptate, quantâ alij; & hoc iuxta aurium diſpoſitionem & integritatem, aut defectum earundem. Manna in deſerto totum ſapiebat omnibus illud comedentibus, ſed nihilominus differenter, iuxta diuerſitatem appetituum eorum,

eorum, qui illud ſumebant; nunquam tamen totaliter & iuxta omnes ſapores ſuos ſapiebat, quia plures & differentes habebat ſapores, quàm eſſent varietates guſtuum filiorum Iſraël. Theotime, in cælo videbimus & guſtabimus totam diuinitatem, ſed nunquam vllus beatorum, nec omnes ſimul, eam videbunt, aut guſtabunt totaliter. Infinitas diuina ſemper in infinitum plures habebit excellentias, quàm nos virtutem, & capacitatem habere poſsimus ad eam adæquatè videndam. Adde, nos inexplicabile & ineffabile habituros gaudium cognoſcendo, quòd (deſiderio cordis noſtri ſatiato, & cumulatè expletâ eius capacitate in fruitione boni infiniti, quod eſt Deus) infinitè adhuc in illa infinitate ſuperſint videndæ, & perpetua cum jucunditate poſsidendæ perfectiones, quas Diuina Maieſtas intelligit & videt, vnaque & ſola comprehendit. Ita, nullus piſcium, licet gaudeant incredibili magnitudine oceani, omnes maris plagas natando vidit, neque ſuas ſquammas in omnibus eius aquis madefecit; aues eodem modo, quæ ad libitum per vaſtitates aëris exultant volantes, non omnes aëris regiones perluſtrârunt, imò ne ad ſupremam quidem illius volando pertigerunt. Theotime, noſtri ſpiritus qui ad libitum, & iuxta omnem voti ſui latitudinem in oceano cæleſti natabunt; & in aëre diuinitatis perpetuò volitantes, viſu tam infiniti aëris, & intuitu tam vaſti oceani, (qui eorum alis menſurari non poteſt) lætantes exultabunt (& hoc, abſque vlla exceptione) deque abyſſo infinitæ diuinitatis gaudebunt. Nihilominus nunquam poterunt ſuam lætitiam adæquare infinitati diuinitatis, quæ ſemper remanet infinitè infinita, ſuperans omnem creatam capacitatem. Et quidem circa hoc obiectum beati ſpiritus duas ob cauſas hærent quaſi attoniti; Prima eſt ob infinitam perfectionem, quam contemplabuntur; Secvnda autem ob abyſſum infinitatis, quæ adhuc reſtat videnda in illa ipſa pulchritudine. O Deus, quàm admirabile eſt illud quod vident! ſed, admirabilius id, quod non videbunt! & tamen, Theotime, ſanctiſsima pulchritudo, quam vident, cùm ſit infinita, ita perfectè explet, imò & cumulat & ſuperabundare facit eorum gaudium, vt nihil amplius requirant, ſed contentiſsimi ſint loco & dignitate, quam tenent in cælo, idque ob venerandum amabiliſsimumq; prouidentiæ diuinæ, quæ ita ordinauit, decretum. Conuertunt enim notitiam,

Digitized by Google

titiam, quam habent de eo, quod non poſsident, neque totaliter & adæquatè poſsidere poſſunt, in ſimplicem complacentiam & ſanctam admirationem, ex quibus ineffabilem hauriunt lætitiam videndo pulchritudinem, quam amant, ſic eſſe infinitam, vt adæquatè cognoſci & comprehendi non poſſit, niſi à ſe ipſa ſola. In hoc enim conſiſtit diuinitas infinitæ pulchritudinis, vel pulchritudo infinitæ diuinitatis.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

De REMISSIONE, IMMINVTIONE AC OMNIMODA CHARITATIS AMISSIONE.

Poſſe nos DEI amorem amittere, dum ſumus in hac vita mortali.

CAPVT I.

NON inſtituimus hos diſcurſus pro magnis illis & ele-
ctis animabus, quas Deus in hac vita fauore ſpeciali,
ſuo in amore taliter confirmat, vt ſint extra pericu-
lum vnquam eum amittendi: ſed loquimur de reli- Apoc.3
quis mortalibus, quos Spiritus ſanctus ſequentibus 11.
admonet ſententijs: *qui ſtat videat ne cadat. Tene quod* 2.Pet.1.
habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Quapropter fratres ma- 10.
gis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Ne Pſal.50
proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me, & ne nos inducas in 10. Philip.
tentationem, vt ipſi operentur ſalutem ſuam cum metu & tremore, ſcientes quod non 2. v.12.

magis ſint ſecuri de Dei amore conſeruando, quàm fuerit primus Angelus cum ſuis aſſeclis, & Iudas, qui cùm eum recepiſſent, perdiderunt, & eum perdendo, ſe ipſos ſimul æternùm perdiderunt, & damnationem incurrerunt; nec etiam firmiores Salomone, qui ſalutem ſuam dubiam reliquit apud poſteros; nec etiam ſtabiliores Adamo, Dauide, S. Petro, qui exiſtentes filij beatitudinis, tamen ad tempus ab ea exciderunt, amoriſque, ſine quo nulla ſalus ſperanda eſt, iacturam fecerunt. Hem! Theotime, quis erit ſecurus de eo in nauigatione huius vitæ mortalis, non amittendo, ſiquidem tum in cælo, tum in terra complures incōparabilis dignitatis mortales crudelia fecerint naufragia? ſed ô æterne Deus, quî fieri poteſt, inquies tu, Theotime, vt anima, quæ habet Dei amorem, eo vnquam priuetur? nam amor, vbicunq; ſit, reſiſtit peccato: quomodo ergo poteſt peccatum intrare, ſiquidem dilectio eſt fortis vt mors, & dura, ſicut infernus, æmulatio? Quomodo inquam poſſunt vires mortis vel Inferni, id eſt peccatum vincere amorem, qui minimùm æquat fortitudinem, imò eam tum iure, tum aduocatione, id eſt patrocinio aduocatorum, longè ſuperat? ſed & quî poteſt anima ratione prædita, quæ ſemel tantam dulcedinem, quanta eſt amoris diuini, deguſtauit, voluntariè deglutire amaras offenſionis aquas. Infantes, quamuis purè infantes, enutriti lacte, butyro, & melle, mirum dictu, quàm abſynthij, & telephij, (Apothecarij vocant craſſulam maiorem) amaritudinem abhorreant, fleantque vſque ad animi deliquium, ſi cogantur ea guſtare. Eheu! Deus bone, quî fieri poteſt, vt anima ſemel iuncta bonitati creatoris, illam deſerat, & vanitati creaturæ adhæreat!

Cant.8 v.6.

Chare Theotime, Cæli attoniti admirantur, eorumque portæ horrore concutiuntur; quin & *Angeli pacis*, viſâ prodigioſâ hac cordis humani miſeriâ obſtupeſcunt; quòd tam amabile bonum derelinquat, vt rebus lacrymis omnibus deplorandis adhæreat. Dic age, aliquandóne vidiſti rem, paruulæ quidem admirationi ſubiectam (quia quiſque eam nouit) ſed rationem illius nonnulli ignorant? hoc autem eſt. quando perforatur, vel transfigitur vas quodpiam vino plenum, illud ne guttam quidem vini emittit, niſi facto in ipſo vaſe aliquo ſpiraculo, per quod aër intromittatur: quod non euenit dolijs, in quibus aliquid vacui datur: ea enim vix aperiuntur, cùm vinum magno impetu foras erumpit. Certè in hac mortali vita, eſto, animæ noſtræ abundent amore cæle-

Digitized by Google

re cæleſti, nunquam tamen ita plenæ ſunt, quin per tentationem amor ille poſſit effluere & euaneſcere: at in Beatorum domicilio, quando ſuauitas diuinæ pulchritudinis occupabit totum noſtrum intellectum, & deliciæ eiuſdem bonitatis explebunt totam noſtram voluntatem, ita, vt in ea nihil ſit, quod plenitudo eius amoris non repleat; nulla omnino res (quamuis penetret vſque ad intima cordium noſtrorum) vnquam poterit extrahere vel guttam vnam ex pretioſo liquore ſacri earum amoris. Admittere autem in cogitationem de vento aliquo in ſacra illa, & Deo conſecrata vaſa intromittendo, id eſt de decipiendo, vel repente obruendo intellectum, fruſtrà eſt: id enim fieri non poterit, quia in apprehenſione ſupremæ veritatis, erit totus quantus immobilis ac immutabilis.

Ita vinum, quod probè purificatum & à ſuis fœcibus reparatum eſt, facilè caueri poteſt, quò minus turbetur, at illud, quod manet ſupra fœces, ferè ſemper huiuſmodi defectibus eſt obnoxium. Quod autem ad nos attinet, quamdiu in hoc mundo verſamur, noſtri intellectus iacent ſupra fœces, & ſupra tartarum infinitorum prope humorum & miſeriarum; & conſequenter faciles ad imbibendum eorum amorem; at verò in cælo conſtituti, vbi, vt in magno conuiuio ab Iſaia deſcripto, vinum nobis porrigetur purum, & ab omnibus fœcibus liberum, non amplius mutationi ſubiecti erimus, ſed vniti ſupremo bono noſtro per amorem, inſeparabiliter permanebimus. Hic inter crepuſcula auroræ, timemus ne loco ſponſi, aliud nobis occurrat obiectum, quod nos remoretur & inquietos reddat: ſed in ſupernis, *ubi is cubat & paſcit in meridie* gloriæ, non amplius erit deceptioni locus: clarum enim eius lumen & dulcedo tam arctè nos ligabunt ipſius bonitati, vt non vnquam amplius poſſimus nos ab illo disiungere.

Sumus nos ſimiles coralio, quod in oceano, loco ſuæ originis, eſt mollis frutex, naſcens ſub aquis, colore viridi, baccas ferens candidas, eſt etiam debilis, flexibilis, plicatuque perfacilis; ſed extractus ex profundo maris, velut ex ſinu matris, confeſtim lapideſcit, euadens ita firmus, ac implicabilis, vt mutet ſuam viriditatem in ruborem admodum viuidum. Dixi nos huic coralio eſſe ſimiles, quia commorantes, vel potius fluctuantes adhuc in medio maris huius mundi, qui eſt locus noſtræ natiuitatis, ſubiecti ſumus maximis ac propè infinitis viciſsitu-

dinibus; ſumus item plicabiles ac flexibiles ſub omni manu, ſub dextra quidem amoris cæleſtis, per inſpirationem; ſub ſiniſtra autem amoris terreſtris, per tentationem. Verùm, vbi ſemel ex mortalitate hac extracti fuerimus, ſtatim, mutato viridi colore timidæ noſtræ ſpei in viuidum ruborem ſtabilis lætitiæ, omni poſtea mutationi deſinemus eſſe obnoxij, perſiſtentes firmi in æterno amore. Fieri non poteſt, vt videatur diuinitas, & ea non ametur, at hoc in mundo, vbi eam non videmus, niſi per tranſuerſam fidei vmbram, & hoc velut in ſpeculo, cognitio noſtra non eſt tanta, vt aliorum obiectorum bonorumque apparentium fraude oppreſſa, non intromittat captiunculas aliquas, quæ immixtæ inter obſcuritates certitudinis & veritatis fidei, vt paruæ vulpeculæ, demolientes florentem vineam noſtram, quaſi inſenſibiliter ſe inſinuare ſolent. Breuiter Theotime, dum charitatem habemus, liberum noſtrum arbitrium veſte nuptiali eſt exornatum, quâ, quemadmodum poteſt ſemper manere veſtitum, ſi velit benefaciendo, ita poteſt etiam ſe eâ ſpoliare, ſi velit, peccando.

De tepiditate & remiſſione animæ in amore diuino.

CAPVT II.

SIcut anima perſæpe adeò magno afficitur dolore, & mœrore affligitur in corpore, vt cogatur complura membra motu & ſenſu priuata deſerere, eſto cor, in quo ſemper integra vſque ad extremum vitæ manet, non deſerat; ita charitas ſubinde vſque eò languet deiecta in corde, vt vix amplius aliquod eius exercitium aduertatur, & nihilominus integra commoratur in ſuprema animæ regione: & tunc ſub multitudine peccatorum venialium, velut ſub cineribus, ignis ſancti amoris coopertus, & eius ſplendor ſuffocatus deliteſcit, non tamen eſt omnino extinctus. Nam, quemadmodum præſentia adamantis impedit exercitium & actionem proprietatis magnetis in ferro attrahendo, non tamen aufert illius proprietatem, quia, remoto impedi-

mento

Digitized by Google

mento hoc continuò operatur. Eodem modo præſentia peccati venialis, non tollit quidem à charitate fortitudinem & virtutem operandi, ſed certo quodam modo eam elangueſcere facit, vſuque ſuæ actiuitatis eandem priuat: vnde ſine actione manet ſterilis,& infœcunda: interim tamen neque peccatum veniale, neque affectio ad illud, eſt contrarium eſſentiali reſolutioni & abolitioni charitatis,quæ facit ſe habentem præferre Deum rebus omnibus, eò quòd per peccatum res aliquas amemus ſine ratione, ſed non contra rationem. Deferimus plus, quàm oporteat & conueniat,creaturæ, non tamen eam præferimus Creatori; detinemus nos plus æquo in rebus terrenis, nec tamen ideò deſerimus cæleſtes. Breuiter,hoc peccati genus nos in via charitatis retardat,ſed non ab ea nos abſtrahit. Ac ideò peccatum veniale, cùm non ſit contrarium charitati,eam,neque totam,neque partem illius deſtruit.

Deus moneri curauit Epiſcopum Epheſinum, *quòd primam charitatem dereliquiſſet*, non tamen dicit, quòd eſſet ſine charitate,ſed tantùm eam non eſſe in eo ſtatu & vigore, quo erat in principio; id eſt, quòd amplius non eſſet tam prompta, tam feruens, tam florida & fructuoſa. Et hoc ferè ad eum modum, quò conſueuimus dicere hominem egregium, lætum, hilarem, euaſiſſe in languidum, triſtem, agreſtem,nec amplius eum eſſe, qui fuerat; quia hoc modo loquendi nolumus dicere eum eſſe alium ſecundum ſubſtantiam; ſed ſolummodo mutatum eſſe quoad actionem & exercitia, quæ cadunt ſub aſpectum. Quo in ſenſu dixit Chriſtus, quòd in nouiſsimis diebus *refrigeſcet charitas multorum*, id eſt, non amplius erit ita operoſa & excitata; & hoc propter timorem, & ægritudinem, quæ opprimerent cor. Certè *concupiſcentia, ſi conceperit, generat peccatum*, ſed peccatum hoc, peccatum quidem ſemper eſt, non ſemper tamen generat mortem animæ, ſed tunc ſolùm, quando eius malitia eſt completa & conſummata, vt dicit S. Jacobus. Qui in hoc tam clarè conſtituit diſcrimen inter peccatum veniale & mortale, vt mirari ſatis nequeam, quomodo aliqui huius noſtri ſæculi homines auſi fuerint id negare.

Nihilominus peccatum veniale, eſt peccatum, & ex conſequenti, diſplicet charitati, non quidem vt res ſibi contraria,ſed ſuis operibus & progreſsibus in via Dei; quin imò etiam ſuæ intentioni: quæ intentio, in quantum referimus omnes noſtras operationes ad Deum, violatur

tur per peccatum veniale: quia actiones (quæ immediatè tendere deberent in Deum) per quas illud committimus, defert alio; non quidem contra Deum, ſed extra Deum, & eius voluntatem: & quemadmodum dicimus arborem aliquam male exceptã, & duriter tactam, eoque per tempeſtatem quampiam reductam, vt nihil in ea remanſerit, licet illa exſtet integra; eſſe infructuoſam; ita dicimus charitatem noſtram oppugnatam malis affectionibus, quas habemus ad peccata venialia, eſſe diminutam, & defectum paſſam, non quòd habitus amoris non ſit integer in animis noſtris, ſed ideò quòd ſit ſine operibus, quæ ſunt fructus illius.

Affectio ad magna peccata ita reddebat veritatem captiuam in iniuſtitia inter Philoſophos Ethnicos, vt, ſicut dicit Apoſtolus, *Deum cognoſcentes non eum glorificârint*, vt cognitio illa exigebat; quare, vti licet affectio iſta, non exterminaret lumen naturale, illud reddebat tamen infructuoſum; ita etiam affectiones ad peccatum veniale non abolent quidem charitatem, ſed velut mancipium detinent captiuam, ligatam pedibus & manibus, impedientes eius libertatem & actionem.

Affectio hæc nimis nos affigens delectationi creaturarum, priuat familiaritate ſpirituali, quæ inter Deum & nos eſſe deberet; & ad quam charitas, vt vera amicitia, nos incitat. Et quod hinc ſequitur, eadem affectio facit, vt deſtituamur interioribus auxilijs gratiæ, quæ ſunt animæ velut ſpiritus vitales & animales, quorum defectu naſcitur in nobis quædam ſpiritualis paralyſis, quæ tandem, niſi in tempore adhibeamus remedium, recta nos ducit ad mortem. Nam, vt breuiter dicam, cùm charitas ſit qualitas actiua, non poteſt ea longo tempore eſſe ſine actione, aut ruina. Eſt enim illa, dicebant antiqui, humoris
Gen. 30. 1. & ingenij Rachelis, quæ etiam illam repræſentabat: *Da mihi liberos*, dicebat illa ſuo Marito, *alioquin moriar.* Sed & de eadem charitate dicebant: *premit illa cor eius, cui ſpirituali matrimonio iuncta eſt, vt ſe fœcundam bonorum operum efficiat, futurum alioquin vt pereat.*

Non diu ſumus in hac vita mortali abſque multis tentationibus: at viles animæ, pigræ, & addictæ exterioribus voluptatibus, inſuetæ bello, & in armis ſpiritualibus parum exercitatæ, non magni faciunt charitatem, ſed, vt plurimùm faciles ſunt ad culpam mortalem contrahendam: Quod ex eo facilius illis euenit, quia anima per peccatum veniale

niale diſponitur ad mortale : nam, vti Priſcus ille continuârat quotidie portare eundem vitulum, tunc etiam eum portauit cùm in magnum bouem euaſiſſet; conſuetudine ſenſim ſine ſenſu efficiente eius viribus inſenſibile incrementum ſtupidi illius oneris; hic, qui affectus eſt ad luſum, exponit, exempli causâ, dimidium Imperialem ludendo, poſt aureum, deinde Hiſpanicum duplonem, poſt equos; & eis deperditis, totam ſuam gazam & cenſum; qui laxat minutæ choleræ habenam, poſtea ſe deprehendet furioſum, & intolerabilem; qui item aſſueſcit mentiri per iocum, magno ſe exponit periculo, ne etiam per calumniam. Tandem, Theotime, dicimus eos, qui admodum ſunt debilis complexionis non habere vitam, vel ſi habent, ita exigua eſt, vt vix vnam excedat vnciam, vel tantum vitæ, vt pugnum impleat; & hoc ea de cauſa, quòd id, quod citò moriturum eſt, videatur re ipsâ amplius non extare. Vnde viles & inutiles animæ, totæ quantæ addictæ voluptatibus, & affixæ rebus tranſitorijs, ſine mendacio dicere poſſunt, ſe non amplius habere charitatem, quia ſi quam adhuc habent, quantocyus eam perdituræ ſunt.

Quomodo deſeratur amor diuinus propter amorem creaturarum.

CAPVT III.

INfelicitas DEVM relinquendi, ob creaturas, hoc modo accidit; non amamus DEVM continuè, & abſq; intermiſsione, quia in hac vita mortali charitas ineſt nobis per modum ſimplicis habitûs: quo, vt notârunt Philoſophi, vtimur ad noſtrum beneplacitum, nunquam autem contra noſtram voluntatem. Quando igitur non vtimur charitate, quæ in nobis eſt, id eſt, quando non impendimus intellectum noſtrum exercitijs diuini amoris; ſed ab ijs eum diuertimus, & ad alia conuertimus: vel certè quando ipſe intellectus in ſe ipſo eſt deſes & negligens proprij profectûs ſpiritualis: tunc Theotime, is moueri poteſt, à malo aliquo obiecto, & obrui aliquâ tentatione. Et quamuis habitus charitatis eodem tempore reſideat in

intimo

intimo cordis noſtri receſſu, officioque ſuo probè ibi fungatur, nos quidem inclinans ad abigendas & fugandas malas ſuggeſtiones,non tamen cogens neque impellens ad ijs nos reſiſtendum, niſi in quantum ei obſecundamus, ſed ſolùm agens, vt ſolent habitus: ac proinde dum nos in noſtra relinquit libertate, perſæpe euenit, vt obiecta noſtris ſenſibus res quæpiam praua ita profundè in cor noſtrum ſua immittat lenocinia, vt per exceſſum complacentiæ ei nos applicemus, à qua, cùm excreuerit, perquàm eſt difficile nos expedire. Vnde nonnunquam, velut ſpinæ,vt dicit Chriſtus, tandem ſuffocat ſemen gratiæ, & dilectionis diuinæ. Ita euênit primæ Generis humani Matri Euæ, à qua damnatio & lapſus totius poſteritatis, per quandam moram & cunctationem cœpit. Primò enim ſermones miſcuit cum ſerpente; deinde hauſit complacentiam audiendo eundem ſerpentem de futuro ſuæ magnitudinis & excellentiæ augmento in ſcientia; tertio delectata eſt pulchritudine fructûs prohibiti; adeò vt complacentiâ creſcente in ipſa complacentia, tandem ita profundè immerſam & ſepultam ſe deprehenderit, vt præbuerit conſenſum, &,infortunata! peccatum (ad quod etiam poſtea traxit maritum) patrauerit.

Videmus columbas, velut vanitate aliqua tactas, ſe pauonum inſtar ſubinde in aëre oſtentare, gyroſque huc & illuc volando facere, velut pennarum ſuarum varietatem admirantes: at tunc Aſtores, ſeu, vt alij vocant, Aſtorgij, & falcones, qui eas explorant, & impetu facto, in eas volando ſe deijciunt, eas apprehendunt, apprehenſaſq; momento mactant. Quod nunquam ijs eueniret, ſi rectum volando curſum tenerent: fortiores ſiquidem habent alas, quàm accipitres. Hem! Theotime, ſi non detineremus nos & occuparemus ineptis, caducis, & vanis voluptatibus, præſertim autem in complacentia proprij amoris, ſed poſsidentes ſemel charitatem, ſoliciti eſſemus eam conſeruare, volatumque noſtrum eam in partem dirigere, in quam charitas nos dirigit, certus ſum, quòd neque ſuggeſtiones malæ, neque tentationes vllæ vnquàm nos deprehenderent: ſed quia, vt columbæ, ſeducti & decepti à proprio noſtro amore, gyramus nos ſuper nos ipſos, & plus æquo intellectus noſtros occupamus & detinemus inter creaturas, hinc fit, vt ſæpe ex improuiſo rapacibus vnguibus abreptos, mactatoſq; nos deuorent.

Non

Digitized by Google

Non vult Deus obicem ponere, quò minus tentationes nos inuadant, ſed eas eo fine permittere, vt, dum ijs reſiſtimus, nobis accreſcat exercitium & meritum charitatis, pugnandóque victoriam reportemus; perque victoriam partam fortiter dimicando, glorioſè triumphemus. Quòd habeamus aliquam inclinationem ad nos delectandum in ipſa tentatione, hoc prouenit ex conditione noſtræ naturæ, quæ ita amat bonum, vt propter illud allici poſsit ab omnibus ijs rebus, quæ habent ſpeciem alicuius boni. Et quicquid tentatio per modum eſcæ nobis repræſentat, ſemper iſtius eſt generis. Nam id, quemadmodum Sacræ literæ docent, vel eſt bonum HONESTVM, ſecundum opinionem mundi, à quo prouocamur ad SVPERBIAM VITÆ; vel eſt bonum DELECTABILE quoad ſenſus, à quo trahimur ad CONCVPISCENTIAM CARNIS; vel denique BONVM VTILE, quo ditemur, & poſtea incitemur ad CONCVPISCENTIAM OCVLORVM, quæ eſt AVARITIA. Quod ſi fidem mordicus teneremus, quæ nouit diſcernere inter vera bona, quæ proſequi debemus, & falſa, quæ attentè & viriliter reijcere oportet, profectò illa loco fidelis cuſtodis eſſet charitati, eamque de appropinquante ad cor noſtrum malo, ſub prætextu boni, admoneret, & hoc malum quamprimùm charitas è finibus ſuis propelleret; ſed quia communiter eſt fides in nobis velut dormiens, & minus attendens quàm oporteret ad conſeruationem charitatis, quid mirum ſi ſæpe, & repente inuadamur à tentatione, quâ ſeducente noſtros ſenſus, & his inferiorem partem animæ ad rebellionem incitantibus, euenit non raro vt pars ſuperior rationis ſe tradat conatui iſtius rebellionis, & committens peccatum, perdat charitatem.

Talis fuit progreſſus ſeditionis, quam perfidus Abſolon contra optimum ſuum Patrem excitauit; quæ cùm accepta fuiſſet per miſeros Iſraëlitas, quorum prudentia torpeſcens dormitabat, taliter ſolicitauit illos, vt induceret ad conſummatam rebellionem. Ita vt Dauid lacrymans coactus fuerit cum fidelibus ſuis amicis egredi Hieroſolymis, neminem NOTÆ alicuius relinquens in ciuitate, præter Sadoc & Abiathar (qui erant Sacerdotes Altiſsimi) cum ſua prole. Porrò Sadoc erat videns, id eſt, Propheta. Eodem modo, chariſsime Theotime, amor proprius nobis abſque vlla noſtri cuſtodia altè ſtertentibus deprehenſis vana, ſub ſpecie boni, repræſentans & proponens obiecta, noſtros

Digitized by Google

ſenſus, imaginationem, cæteraſque noſtrarum animarum facultates ſeducit, taliterq; premit liberum arbitrium, vt illud inducat ad conſummatam rebellionem contra Sanctum Dei amorem. Qui tunc velut alter Dauid, è corde noſtro egreditur cum toto ſuo comitatu, id eſt cum donis Spiritus Sancti, & alijs diuinis virtutibus, quæ ſunt comites indiuiduæ charitatis, ſi eæ non ſint proprietates & habitus. Quò fit vt in Hieruſalem, animarum noſtrarum ſede, non remaneat virtus alicuius momenti, præter videntem Sadoc, id eſt donum fidei; quæ ſi exercitata fuerit, exhibere poterit videndas res æternas. Remanet etiam Abiathar, id eſt, ſpei donum cum ſua actione. Hi duo quidem manent, ſed multùm afflicti, & magnâ triſtitiâ obruti; nunc tamen tempore gratiæ remanet Arca fœderis, id eſt dignitas & titulus hominis Chriſtiani; quæ duo adepti ſumus per Baptiſmum. Eheu, Theotime, quàm miſerandum ſpectaculum eſt Angelis pacis videre ſic egredientem Spiritum ſanctum, eiuſque amorem è peccatricibus noſtris animabus! Credo equidem quod ſi flere poſſent, non temperaturos à lacrymis; ſed voce lugubri lamentantes noſtram infelicitatem, triſte canticum decantaturos, Jeremias intonuit, quando ſedens ſuper limen deſolati templi, contemplatus eſt ruinam & euerſionem Ciuitatis Hieroſolymitanæ, tempore Sedeciæ Regis, ſic exclamans: *Quomodo ſedet ſola Ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua Domina Gentium, Princeps Prouinciarum facta eſt ſub tributo.* (Thren. 1. c. 1. Aleph.)

Quod amor diuinus vno momento perdatur.

Capvt IV.

Dei amor, qui nos ducit vſque ad proprium noſtri contemptum, efficit nos Ciues cæleſtis Hieruſalem; amor verò noſtri ipſorum, ſeu proprius, qui nos propellit vſque ad ipſiuſmet Dei contemptum, nos conſtituit mancipia infernalis Babylonis. Porrò ſenſim ad dictum Dei contemptum pergimus, & quo momento ad eum peruenimus, eodem etiam charitatis jacturam facimus, dum ea penitus euaneſcit. Omnino, Theotime, ſic res habet: quia

quia in hoc Dei contemptu conſiſtit peccatum mortale, quo vel vnico perpetrato, charitas pellitur ab anima, dum ſcilicet diſrumpitur illius cum Deo vinculum & vnio; quæ eſt obedientia & ſubmiſsio ad nutum illius voluntatis. Quemadmodum autem cor humanum nequit eſſe vnum; & ſimul diuiſum; ita charitas, quæ eſt cor animæ, & anima cordis, nequit vnquam lædi, niſi ſimul intereat. Et hoc ferè fit adinſtar vnionum ſeu margaritarum, qui concepti ex rore cæleſti, pereunt, ſi vel vnica gutta aquæ marinæ decidat in eorum ſquamas ſeu conchas. Anima certè noſtra non exit ſenſim, & per interualla è noſtro corpore, ſed vno momento: cùm ſcilicet corporis indiſpoſitio tanta eſt, vt amplius ea nequeat exercere opera vitæ; & eodem modo, ipſo inſtanti, quo cor taliter turbatum eſt in ſuis paſsionibus, vt charitas in eo regnare non poſsit, illud ipſa deſerit. Ita enim eſt generoſa, vt ceſſare nequeat regnare, quin ſimul ceſſet viuere.

Habitus, quos per humanas actiones acquirimus, non pereunt ex vno actu contrario; nemo enim hominem dixerit intemperantem eſſe, ob vnicum intemperantiæ actum ab eo commiſſum, neque pictorem dicet quis artis ſuæ eſſe imperitum, eò quòd vnâ ſolùm vice in ea lapſus ſit: ſed quemadmodum omnes tales habitus à nobis acquiruntur, & in nobis generantur per continuationem & impreſſionem complurium actuum; ita eoſdem habitus perdimus per longam ceſſationem actuum eorundem habituum, aut per multitudinem & iterationem actuum contrariorum. Non ſic Charitas, Theotime, quia ſicut Spiritus ſanctus vno eodemque momento, quo adſunt requiſitæ conditiones, eam infundit cordibus noſtris; ita etiam eodem momento à nobis tollitur, quando ſcilicet nos auertentes noſtras voluntates ab obedientia, quam Deo debemus, plenum conſenſum rebellioni & perfidiæ, ad quam tentatio nos incitat, præbemus.

Verùm quidem eſt charitatem augeri creſcendo de gradu in gradum, & progrediendo de perfectione in perfectionem, iuxta quòd per bona noſtra opera, vel Sacramentorum ſuſceptionem ei damus locum; ſed tamen non diminuitur per attenuationem & detractionem de ſua perfectione. Nunquam enim, ne pilus quidem, de ea perditur, quin tota peſſumeat: In quo ſimilis deprehenditur canoni operum, id eſt, operi perfectiſſimo Phidiæ, adeò per antiquos celebrato. Refertur e-

nim magnum illum ſculptorem Athenis ſculpſiſſe ſtatuam Mineruæ, totam quantam ex ebore, 26. cubitos altam, in cuius ſcuto (in quo veteres Amazonum & Gigantum pugnas ad viuum oculis ſubijciebat) tanta arte inſculpſit faciem ſuam, vt ne minimum quidem ex eius imagine, vt dicit Ariſtoteles, auferri poſſet, quin in partes reſoluta ac diſſoluta ſtatua cadens, in nihilum redigeretur. Atque ita ſicut opus hoc perfectum erat per augmentationem diuerſarum partium, vno tamen momento perijſſet, ſi vel minima particula de ſimilitudine, vel imagine auctoris ſublata fuiſſet; eodem modo, Theotime, licet Spiritus ſanctus collocârit charitatem in vna quapiam anima, eique contulerit augmenta per additionem gradûs ad gradum, & perfectionis ad perfectionem amoris: poſito tamen animi decreto de præferenda Dei voluntate rebus omnibus, quod eſt eſſentiale punctum diuini amoris, & quo imago æterni amoris, id eſt Spiritus ſancti, eſt repræſentata, non poteſt vlla particula auferri, quin ſtatim tota charitas pereat.

Dei hæc prælatio & prælectio ſuper omnia, eſt chariſſimus filius charitatis. Quod ſi Agar, quæ non erat niſi ancilla ex Ægypto oriunda, videns filium ſuum Iſmaëlem in periculo mortis, non tantum animi habuit, vt apud eum permaneret, ſed derelinquere voluit, dicens: *Eheu! nequeo videre puerum morientem*, quid mirum eſt, ſi charitas, filia dulcedinis & ſuauitatis diuinæ, filium ſuum (qui eſt firmum propoſitum Deum nunquam offendendi) non poſſit videre pereuntem? ſed, ſimulatque liberum noſtrum arbitrium ſtatuit conſentire peccato, inferens eodem modo ſacro iſti propoſito mortem, cum illo eodem ſacro propoſito moriatur? & in vltimo ſuo ſuſpirio, dicat? *Hem! nunquam videbo hunc puerum mori.* Breuiter, Theotime, ſicuti lapis pretioſus dictus praſius amittit ſplendorem ad cuiuſcunque veneni præſentiam; ita anima in inſtanti quo eam peccatum mortale ingreditur, amittit ſuam dignitatem, claritatem, gratiam, & pulchritudinem; vnde ſcriptum eſt: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.*

Quod

Digitized by Google

Quòd defectûs & remiſſionis feruoris charitatis, ſola & vna voluntas creaturarum ſit cauſa.

CAPVT V.

VT i eſſet inſignis impudentia & impietas velle attribuere viribus noſtræ voluntatis opera amoris diuini, quæ Spiritus ſanctus patrat in nobis & cum nobis; ita eſſet nota inuerecundæ frontis velle reijcere defectum amoris, qui in homine ingrato deprehenditur, in defectum diuini ſuccursûs & gratiæ cæleſtis. Spiritus enim Sanctus clamat paſsim & vbique contrarium; *quòd ſcilicet perditio noſtra ſit ex nobis quòd Saluator ignem Sancti amoris ſecum ex cælis in terras detulerit, & quòd nihil magis deſideret, quam vt corda noſtra accendat quòd ſalutare ſuum præparârit ante faciem omnium populorum & lumen ad reuelationem gentium, & ad gloriam plebis ſuæ Iſraël;* quòd bonitas diuina *neminem velit perire, ſed omnes omnino venire ad notitiam veritatis; quòd velit omnes homines ſaluos fieri.* Saluatoremq; veniſſe in hunc mundum, vt omnes adoptionem filiorum recipiant. Adde, quòd Sapiens nos clarè admonet, *ne dicamus per DEVM ſtare, quò minus ſaluemur.* Sacrum Eccli. 15. 11. Tridentinum concilium diuiniſsimè inculcat & ingerit Sanctæ Eccleſiæ filijs gratiam diuinam nunquam deeſſe ijs, qui, quod poſſunt, faciunt, diuinum inuocantes auxilium; DEVM item nunquam derelinquere eos, qui ſemel iuſtificati ſunt, niſi illi ipſi priores eum deſerant. Atque ita ſi ij non deſint gratiæ, eos gloriam certò obtenturos.

Breuiter, Theotime, Saluator *eſt lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Complures viatores circa meridiei æſtiualis horam ſe ad dormiendum in vmbra alicuius arboris collocârunt, & dum laſſitudo, & algor vmbroſus eos in ſomno detinet ſol pergens ſuo curſu, recta ſupra eorum oculos lumen ſuum vehementius vibrauit: quod per refractionem & radios ſuæ claritatis, velut per parua fulgetra, circa pupillas in dormientium oculos immiſit, & per calorem eaſdem pupillas ita transfixit, vt per ſuauem violentiam eos euigilare coëgerit. Quo factum, vt eorum nonnulli excitati, iter ſuum perſequerentur; alij autem non

ſolùm nō ſurrexerunt excitati, ſed ſoli dorſa obvertentes, & pileos ſupra oculos attrahentes reliquam diei partem dormiendo tranſegerunt, vſq; dum ſcilicet nocte ſuperueniente obruti, deinde excitati, ſtatuerunt, nihilominus ad deſtinatum hoſpitium pergere, ſed iter aggreſsi hinc inde per denſam ſyluam, adeò errârunt, ad eaq; loca errando deuenerunt, vt ſingulis momentis à crudelibus lupis alijſq; ſylueſtribus animantibus ſe deuoratum iri crederent.

Age, dic obſecro, Theotime, ij qui in tempore ad diuerſorium appulerunt, nónne gaudium ſuum Soli mundi oculo acceptum referre debent, vel, vt Chriſtianè loquamur, creatori ſolis? omnino verò, quia non cogitârant euigilare in tempore: ſol, ſol ijs beneficium hoc, aduentu ſuæ claritatis & caloris, dum in tempore excitauit, præſtitit. Verum eſt, non reſtiterunt ſoli, ſed ille idem eos permultùm adiuuit, ne reſiſterent: nam ſuauiter adueniens, lumen ſuum expandit ſuper eos, & relucens ſuper eorum palpebras lumine ſuo & calore, velut amore, ijs aperuit oculos, vt diem conſpicerent.

E contrario verò miſeri hi in ſyluis oberrantes, quam habent cauſam contra ſolem querendi? certè nullam: queruntur tamen hunc in modum: hem! quid patrauimus contra ſolem, cur non æquè ſuos radios ſupra nos expandit, atque ſupra noſtros viæ comites, vt appelleremus ad præfixum terminum, & non inter horribiles has tenebras per auia & deuia erraremus? Ecquis amabò Solis cauſam, vel potius Dei, defendendam non ſuſciperet, & diceret miſeris iſtis & infelicibus homuncionibus: miſeri, quid facere vobis potuit ſol & non fecit? Eius fauor & gratia certè erant æquales aduerſus vos, & omnes, quos dormientes inuenit, eodem omnes lumine circumdedit; omnes vos ſuis eiſdem radijs tetigit, pari etiam calore fouit. Et vos infelices, qui, quamuis vidiſſetis veſtros ſocios, excuſſo ſomno, ſurrexiſſe, ſcipiones manibus tenere, iter carpere, nihilominus obvertentes ſoli dorſa, noluiſtis eius claritate vti, neq; calorem admittere.

En nunc, Theotime, germanum ſenſum, quem ſimilitudine iſtâ oſtendere intendi. Omnes omnino homines in vita hac ſumus viatores, item ferè omnes voluntariè in iniquitate indormimus, & obdormimus, & Deus, Sol iustitiæ, ſufficientiſsimè, imò abundantiſsimè ſuarum inſpirationum radios ſuper nos iacit; corda noſtra ſuis benedictionibus calefa-

calefacit, tangens trahenſque vnumquemque noſtrum illicijs ſui amoris. Heu! quid ergo ſibi volunt tractus & allectamenta, quæ tam paucos ad ſe attrahunt, & adhuc pauciores trahunt? Ah! certè ij, qui attracti, & poſtea tracti ſequuntur inſpirationem, amplam habent cauſam & occaſionem lætandi; nullo autem modo gloriandi. Gaudeant quidem quòd fruantur magno bono, minimè autem ſe glorificent, ſiquidem pura Dei bonitas eſt, quæ ijs omnem impartit vtilitatem beneficij, ſolam ſibi reſeruans gloriam.

Verùm quod ad eos attinet, qui in ſomno peccati remanent, ô Deus, quantam habent occaſionem lamentandi, gemendi, flendi & pœnitendi? quia infelices ſunt & magis omnibus deplorandi: ſed doloris & lamentationis ſuæ cauſam alteri adſcribere non poſſunt, quàm ſibi ipſis, qui Dei lumen contempſerunt, quin imò contra ipſummet Deum rebellàrunt, obſtinatè reſpuentes allectamenta & inſpirationes eius; adeò vt eorum malitia ſit maledictioni & confuſioni in perpetuas æternitates ſubiecta; ſiquidem ipſi ſoli ſint auctores & fabricatores perditionis & damnationis ſuæ. Ita olim Japones querebantur apud S. Franciſcum Xauerium, Apoſtolum ſuum, quòd Deus tam ſolicitus fuerit de ſalute aliarum nationum, ſuis prædeceſſoribus obliuioni traditis, dum ijs non impertiuit ſui notitiam, cuius defectu illi perpetuæ damnationi eſſent addicti: quibus vir Dei reſpondit; legem diuinam naturaliter plantatam eſſe in omnium hominum mente, qui ratione vtuntur: quam ſi eorum Anteceſſores obſeruaſſent, dubio procul fidei ſplendore illuminati fuiſſent; dum autem eam violarunt, ſe ſempiternæ damnationis reos effecerunt. Reſponſum certè hoc eſt Apoſtolicum, dignum proinde homine Apoſtolico, & ſimile rationi, quam Apoſtolus dat de perditione antiquorum Gentilium, quos dicit eſſe inexcuſabiles, *quia cùm cognouiſſent DEVM, non ſicut DEVM glorificàrunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* & hoc eſt, vt verbo dicam, quod inculcat 1. c. ad Rom: maledictio ſuper maledictionem ijs, qui non cognoſcunt ſuam infelicitatem prouenire ex propria ſua malitia.

Lib. 4. vitæ eius c 6. & 8.

Rom. 1 21.

Quòd

Quòd agnoſcere debemus à DEO prouenire omnem amorem, quem ei deferimus.

Capvt VI.

Amor hominum aduerſus Devm habet ſuam originem, progreſſum & perfectionem ab æterno amore Dei erga homines. Eſt ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ Matris noſtræ, quæ magno zelo vult, vt recognoſcamus ſalutem & media ad eum perueniendi, eſſe ſolam Chriſti Saluatoris miſericordiam, vt in terra, ſicut in cælo, ei ſoli ſit honor & gloria.

Quid habes quod non accepiſti, dicit Apoſtolus, (loquens de ſcientia, eloquentia & alijs ſimilibus animæ donis, paſtoribus Eccleſiaſticis ferè proprijs) *ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Verum eſt, omnia accepimus à Deo, comprimis tamen bona ſupernaturalia diuini & ſancti amoris. Quòdſi accepimus, quo titulo inde quærimus gloriam?

Certè, ſi quiſpiam vellet ſe extollere, eò quòd progreſſum aliquem fecerit in amore Dei: hem! miſer homo! (ei diceremus) tu adeò profundè in barathrum tuarum iniquitatum prolapſus eras, vt inde, neque vitam ſufficientem, neque vires haberes, quibus te eximeres. (vti euênit Principi, ſeu Reginæ noſtræ parabolæ) & Devs ex infinita ſua bonitate tibi venit in auxilium, & elatâ clamans voce dixit: *Aperi os*, & quid velis indica, *replebo illud*. Ipſemet digitos in os inſeruit, dentes tibi reſerans, iacienſque in cor tuum ſanctam inſpirationem, quam recepiſti: & cùm ſenſibus per diuerſos motus, & varietatem mediorũ reſtitutus eſſes, perrexit animam tuam refocillare vſque dum in eam ſuam charitatem, velut vitalem & perfectam ſanitatem, infunderet.

Dic igitur nunc mihi, ô miſer homo, quid in his operatus es, vnde poſſis te iactare? tu conſenſiſti; probè id ſcio, motus tuæ voluntatis liberè ſecutus eſt motum gratiæ cæleſtis, & hoc ſcio: at omnia iſta quid ſunt aliud, quam recepiſſe operationem diuinam & ei non reſtitiſſe? Quinimò, ô miſer homuncio, etiam ipſam receptionem recepiſti;

Digitized by Google

piſti, ob quam tu gloriaris, ſicut & de eo conſenſu, in quem conſenſiſti. Dic mihi obſecro, nónne fateris, quòd, niſi te DEUS præueniſſet, nunquam ſenſiſſes eius bonitatem, & quod hinc ſequitur non conſenſiſſes eius amori: imò verò ne vnicam quidem vnquam habuiſſes cogitationẽ quidquã boni faciendi in eius gratiam? Eius motus tuo dedit exiſtentiam & vitam: & ſi eius liberalitas non animaſſet, excitaſſet, & prouocaſſet tuam libertatem, per potentes ſuæ ſuauitatis tractus & motiua, ſemper tua libertas ſaluti tuæ manſiſſet inutilis. Fateor te cooperatum fuiſſe inſpirationi, ei conſentiendo: verùm ſi tu id fortè neſcias, docebo te: tua illa cooperatio ortum habet ab operatione gratiæ: & idem dicendum eſt de tuo libero arbitrio: ſed tali modo, vt ſi gratia te non præueniſſet, & cor tuum ſua operatione non repleſſet, nunquam, neque potentiam, neque voluntatem habuiſſet exercendi aliquam cooperationem.

Verùm, viciſsim dicito mihi, ô homo vilis & abiecte, næ tu ridiculus es, dum in cogitationem admittis te habere partem in tua conuerſione, quia ſcilicet inſpirationem non reieciſti. Nónne iſtud eſt ſimile diſcurſui phantaſtico tum latronum, tum tyrannorum, qui ſe ei dare vitam credunt, quibus non auferunt? Nónne hoc eſt ſtulta impietas, putare te ſanctam efficaciam & viuam actiuitatem inſpirationi diuinæ, dediſſe, quia, reſiſtendo ei, non abſtuliſti? poſſumus enim impedire effectus inſpirationis, ſed nullos ei poſſumus contribuere. Trahit illa fortitudinem & virtutem ex diuina bonitate, quæ eſt locus eius originis, & non voluntas humana, quæ eſt locus eius appulsûs, ſed age, dic, nónne quilibet daret vitio, imò & indignaretur Reginæ, noſtræ parabolæ, ſi illa gloriaretur, quaſi dediſſet virtutem, & proprietatem aquis cordiacis, aliiſque medicamentis; quibus reſtituta eſt ſanitati, quia ſcilicet niſi recepiſſet pharmaca, quæ ei Rex porrigebat, inque os infundebat, velut ſemimortuæ, non conſequutura fuiſſent ſuum effectum? Nonne omni iure ei diceretur; bipedum ingratiſſima, poteras quidem eò pertinaciæ deueniſſe, vt non reciperes media, quin & recepta ex ore valebas eijcere; ideóne verum eſt, te iis vigorem & virtutem contuliſſe? cùm qualitates illas haberent ex naturali ſua proprietate. Tu ſolumodò conſenſiſti ad ea recipienda, vt ſuam in te facerent operationem. Et quidem tu nunquam conſenſiſſes, niſi Rex prius te refocillaſſet, & dein-

de ad ea recipienda ſolicitaſſet. Nunquam, dico, ea recepiſſes, niſi te iuuiſſet ad ea recipienda, tibi ſuis digitis aperiens os, & potionem in illud infundens. Næ tu igitur es monſtrum ingratitudinis, volens tibi bonum attribuere, quod tot titulis debes tuo charo ſponſo. Exiguus & admirandus piſciculus, eſt qui indigitatur Echeneis, REMORA vulgo, vel cum addito, REMORA NAVIS; is piſciculus eâ præditus eſt fortitudine, vt penes eum ſit nauim in alto mari vela facientem detinere; vel inchoatum curſum ei permittere; ſed non item dare vim velificandi & appellendi. Atque ita motum nauis poteſt cohibere, ſed non dare. Sic liberum noſtrum arbitrium poteſt impedire, & ſiſtere curſum inſpirationis, & quando ventus fauorabilis gratiæ diuinæ implet vela animæ noſtræ, in noſtra eſt poteſtate recuſare illi conſenſum, hocq; modo impedire effectum flantis & fauentis venti; ſed dum anima noſtra remigat, & promouet feliciter ſuam nauigationem, non ſumus nos, qui immittimus vel attrahimus ventum inſpirationis, neque qui vela impellimus, neque etiam, qui imprimimus motum naui noſtri cordis; ſed tantummodò ventum è cælo venientem recipimus, eius motioni conſentiendo, ſinendoque nauim ſub vento curſum ſuum peragere, nullam ei ponentes remoram reſiſtendo. Eſt igitur inſpiratio quæ libero noſtro arbitrio imprimit felicem & ſuauem influentiam, per quam non ſolùm eius oculis ſubijcit boni pulchritudinem, ſed etiam illud incitat, iuuat, roborat, & ita ſuauiter mouet, vt hoc modo ſe flectat, deſcendatq; liberè in partem BONI.

Cælum tempore veris præparat guttas frigidi roris, eaſq; demittit ſuper faciem maris, Matres autem margaritarum, reſerantes ſuas ſquammas, guttas recipiunt, exceptaſque in vniones ſeu margaritas conuertunt; è contrario autem Matres illæ, quæ ſquammas ſuas tenent clauſas, non impediunt quidem quò minus guttæ ſuper ſe decidant, ſed impediunt, quò minus intra ſe cadant. Agedum, cælum nonne æquè immiſit ſuum rorem & influentiam ſuper vnam iſtarum Matrum, atque ſuper alteram? Cur igitur vna ſuum producit vnionem, & altera non. Certè cælum æquè liberale fuit erga eam, quæ remanſit ſterilis, (quantùm erat neceſſe ad concipiendum, & ſuo tempore pariendum eximium vnionem, ſed effectui eius beneficij illa poſuit obicem, dum non reſeratâ conchâ penitus manſit clauſa) atque erga alteram quæ

conce-

Digitized by Google

concepit margaritam & effecta eſt à rore grauida: in quo tamen nihil habet quod glorietur: totum ſiquidem quicquid beneficij eſt, de cælo eſt. Imò verò ne ipſam quidem reſerationem & apertionem ſquammarum, per quam rorem recepit, ſibi poteſt adſcribere: nam, niſi ſenſiſſet radios auroræ, qui ſuaniter illam excitârunt, non veniſſet ſuper faciem maris, neque conſequenter ſquammam aperuiſſet. Theotime, ſi quem habemus amorem erga DEVM, ob id DEO debetur honor & gloria, qui omnia operatus eſt in nobis, & ſine quo nihil factum eſt; nobis autem cedit vtilitas,& remanet obligatio gratias agendi. Hoc enim eſt partitiò & diuiſio diuinæ bonitatis nobiſcum: quæ bonitas nobis permittit fructus beneficiorum ſuorum, ſibi autem ſolùm reſeruat laudem & honorem ex ijs emanantem. Et cum nos nihil ſimus, niſi per eius gratiam, nihil etiam eſſe debemus, niſi propter eius gloriam.

Euitandam omnem curioſitatem, & humiliter acquieſcendum ſapientiſſimæ DEI prouidentiæ.

CAPVT VII.

HVmanum ingenium adeò eſt debile, vt dum curioſius cauſas & rationes, voluntatis diuinæ vult inueſtigare, ſe implicet & inuoluat in retia ſexcentarum difficultatum, ex quibus deinde nequit ſe euoluere. Simile eſt fumo; nam aſcendendo ſe extenuat, & extenuando penitus diſsipat. Dum conamur attollere noſtros diſcurſus per curioſitatem ad res diuinas, euaneſcimus in noſtris cogitationibus; & vbi ad ſcientiam veritatis pertingere deberemus, in ſtultitiam noſtræ vanitatis præcipites ruimus.

Sed cum omnibus in rebus varij ſimus, & curioſi, tum maximè in ijs,quæ ſpectant ad prouidentiam diuinam circa diuerſitatem mediorum, quibus illa nos trahit ad ſuum amorem, & per eundem amorem ad gloriam. Nam noſtra temeritas aſsiduè nos vrget ad inquirendum, quare DEus his plura exhibeat media, quàm alijs; quare non fecerit apud Tyrios & Sidonios miracula, quæ fecit in Corozain & Bethzaida;

 ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem ijs viſis, feciſſent profectum ad ſalutem; verbo, quare vnum potius traxit ad ſuum amorem, alio non tracto?

Amice mi, Theotime, nunquam, nunquam permittere debemus, vt ingenium noſtrum inſtar trochi ſeu turbinis ſuſque deque feratur, in gyrumque agitetur; neque cogitare nos meliorem rationem adinuenturos, quàm ſit Dei voluntas, ea ſiquidem non ſolùm ſummè eſt rationabilis, ſed ipſa ratio omnium rationum; regula omnis bonitatis, lex omnis juſtitiæ & æquitatis. Et licet Spiritus Sanctus loquens in ſacris ſcripturis ferè in omnibus reddat rationem de ijs, quæ deſiderare poſſemus, quantùm ad id, quod facit eius prouidentia in deducendis mortalibus ad ſanctum amorem & æternam ſalutem; tamen pluribus in occaſionibus declarat, ne latum quidem vnguem recedendum eſſe à reſpectu & reuerentia, quæ eius debetur voluntati, cuius nos voluntatis propoſita, decreta, & beneplacita debemus adorare: illi enim, vt ſupremo & ſummè æquo iudici, non conuenit, vt ſua motiua manifeſtet, ſed ſufficit quòd ſimpliciter, nullâ indicatâ ratione, DICAT. Quod ſi iuxta charitatis regulam honorare debemus decreta ſupremorum tribunalium, quæ facta & conſtituta ſunt per corruptibiles judices terræ (qui & ipſi terreni ſunt) credendo ea non facta abſque legitimis motiuis, eſto, nos ea fugiant motiua: heu! Deus bone, quanta cum reuerentia & veneratione obligamur ad adorandam æquitatem ſupremæ prouidentiæ, quæ & in iuſtitia, & bonitate infinita eſt! Ita mille in locis ſacræ ſcripturæ rationem inuenimus, ob quam Deus reprobauit Judaicum populum: Vnde S. Paulus & S. Barnabas dixerunt Judæis: *Vobis oportebat primum loqui Verbum* DEI: *ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* Et certè, qui ſedato animo conſiderârit caput 10. & 11. Epiſtolæ ad Romanos, clarè videbit populum Judaicum abſque ratione à Deo non eſſe reiectum. Ratio tamen iſta requiri non debet ab humano iudicio, cuius officium eſt purè & ſimpliciter acquieſcere diuinæ voluntati, & decretum reuereri, admirando illud cum amore, vt infinitè juſtum & incomprehenſibile. Vnde Paulus hoc modo concludit longum quem fecerat diſcurſum, exclamans: *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI: *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Qua in exclamatione teſtatur Apoſtolus Deum omnia facere,

Actor. 13. 46.

Rom. 10. v. 33

quæ

quæ facit, magnâ ſapientiâ, ſcientiâ, & ratione; negans tamen hominem interfuiſſe eius conſilio, cuius judicia & propoſita infinitè exaltata ſunt ſupra hominis capacitatem. Noſtrum eſt deuotè eius adorare decreta, quia æquiſſima; non autem inueſtigare motiua, quia in ſecreto apud ſe retinet reſeruatque, vt intellectum noſtrum in debito reſpectu, humilitate, & officio in nobis, aduerſum ſe contineat.

Sanctus Auguſtinus plurimis in locis docet hanc ipſam praxim: *nolite*, inquit, *murmurare adinuicem, nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & hunc non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Semel accipe & intellige. Non traheris? ora vt traharis.* Et idem alibi in hunc ſenſum & ſententiam: certè ſatis eſt Chriſtiano adhuc fide viuenti, necdum videnti quod perfectum eſt, ſed in parte ſolùm ſcienti, ſcire ſcilicet & credere DEUM neminem damnare, niſi æquiſsimâ veritate; & neminem liberare à damnatione, niſi gratuitâ miſericordiâ per Chriſtum Dominum noſtrum. Sed, ſcire quare hunc liberat potius, quàm alterum: quære tu quis ſcire poſſit tantam altitudinem iudiciorum; verùm, moneo, quiſquis ille eſt, caueat præcipitium: nam non ideò eius decreta ſunt iniuſta, quia ſecreta. Sed, cur igitur liberat hos potius, quàm illos? Dicimus iteratò, ô homo, quis es tu, qui reſpondeas DEO? eius *judicia ſunt incomprehenſibilia, & inueſtigabiles viæ eius*: & addentes hoc, ei dicemus: ne ſcruteris ea quæ ſupra te ſunt, & ne inueſtiges vltra quam vires tuæ patiantur. Porrò ijs non exhibet miſericordiam, quibus per veritatem ſummè ſecretam, ſumméque remotam à cogitationibus humanis, iudicat non debere impertiri ſuum fauorem aut miſericordiam.

Tract. 26. in Ioan.

De bono perſev. c. 12. quæſt. ad fin.

Videmus nonnunquam infantes gemellos, quorum alter plenus vitæ Baptiſmum conſequitur, alter naſcendo perdit vitam temporalem, antequam æternam nanciſcatur: alter eorum conſequenter fit hæres cæli, alter autem ea priuatur hæreditate. Quæris quare diuina prouidentia ſinat euenire caſus tam diuerſos in vna tam ſimili, imò pari natiuitate? dici poteſt, diuinam prouidentiam ordinariè nequaquam leges naturæ ſolere violare: ita vt vnus geminorum, exiſtens vegetus, & alter nimis debilis ad ſufferendum niſum in exitu è ventre materno, moriatur antequam poſſit ad Baptiſmum pertingere; alter autem pertingat feli-

Digitized by Google

citer; quia prouidentia diuina noluit impedire curſum rerum naturalium,quæ in hoc euentu fuerunt cauſa, cur ille priuatus ſit Baptiſmo. Et profectò reſponſum hoc perquam ſolidum eſt, ſed iuxta ſententiam & iudicium DD. Pauli & Auguſtini, non debemus inhærere huic conſiderationi, ſeu rationi, quæ licet bona ſit, nullo tamen modo pluribus alijs quas Deus ſibi reſeruat, quaſque in concilio beatorum collocatis nobis reuelabit, poteſt comparari. Tunc, inquit S. Auguſtinus, non amplius erit ſecretum, quare vnus potius aſſumptus ſit, quàm alter; neque quare miracula Chriſtus non fecerit apud eos, apud quos, ſi facta fuiſſent, pœnitentiam egiſſent, & facta ſint apud illos, qui non erant credituri. Et alibi idem Sanctus loquens de peccatoribus, quorum aliquos Deus relinquit in ſua iniquitate, alios verò extrahit. Agedum, cur retinet vnũ, dicit ille ſanctus, & non retinet alterum? non poteſt comprehendi, neq; conuenit inueſtigare, ſiquidem ſufficit ſcire, quòd ab eo dependeat, QVÒD STET, & ex eo non proueniat quòd CADAT. Et rurſum hoc abſconditum & longiſſimè remotum eſt ab humano ingenio, ſaltem à meo.

Enchiridio ad Laur. c.94.& 95.

Reſpõſio ad Artic. ſibi falſo impoſitos

Reſpõ. ad art. 4.

lib. 10. Gen. ad litt.

Ecce Theotime, commodiſſimus & tutiſſimus modus & ratio philoſophandi hac de re. Vnde ſemper iudicaui, & cum admiratione approbaui admirabilem, amabilem, doctamque modeſtiam, & ſapientem humilitatem Doctoris Seraphici, Sancti Bonauenturæ, in diſcurſu, quem facit de ratione, ob quam diuina prouidentia deſtinat electos ad vitam æternam. *Fieri poteſt dicit ille, quòd per præuiſionem bonorum, quæ faciet is, qui tractus eſt, in quantum proueniunt aliquo modo ex voluntate, ſed ſcire dicere, quæ ſint iſta bona, quorum præuiſio diuinæ voluntati eſt motiui loco, neque ego ſcio diſtinctè, neque volo inueſtigare.* Non eſt ratio, ſed aliqualis ſolùm conuenientia: ita vt aſſignando fortè falſam, præteriremus veram. Hinc eſt, cur, cum certitudine nequeamus adferre certam rationem, neque verum motiuum voluntatis Dei. Nam, vti dicit Sanctus Auguſtinus, licet veritas ſit certiſſima, ita tamen à noſtris cogitationibus eſt remota, vt nihil certi valeamus affirmare, niſi nobis reuelet is, cui res omnes ſunt cognitæ. Quia autem non expediebat noſtræ ſaluti, habere nos notitiam iſtorum ſecretorum, ſed longè erat vtilius, ea nos ignorare, & manere in humilitate, noluit nobis Deus reuelare. Quin & ipſe Apoſtolus timuit ea inquirere: ſed ea in re confeſſus impo-

tentiam

Digitized by Google

rentiam humani intellectûs exclamat dicens: *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ* DEI! Quid videtur, Theotime, poſſétne ſanctius inſtitui ſermo de tam eximio & ſublimi myſterio? Addo, quòd eadem verba & ſenſus vnius ſint è ſanctiſſimis, prudentiſsimis, ác ſapientiſsimis Doctoribus Eccleſiæ.

Exhortatio ad amoroſam ſubmiſſionem, quam debemus decretis diuinæ prouidentiæ.

CAPVT VIII.

ADmemus igitur & adoremus in ſpiritu humilitatis profunditatem judiciorum DEI, quam, vt dicit S. Auguſtinus, Apoſtolus non aperit, ſed admiratur exclamans: *O altitudo judiciorum DEI! quis poterit enumerare arenas* Epiſt.
maris, guttas pluuiæ, & menſurare latitudinem abyſſi? dicit 10. 5.
eximius Doctor Eccleſiæ Gregorius Nazianzenus: quis item poterit profunditatem diuinæ ſapientiæ, per quam omnia creat, eaque creata moderatur prout vult & intelligit, explorare? Satis, ô ſatis eſt, vt, imitati Apoſtolum, non immorando difficultati & obſcuritati illius, eam admiremur, & cum eodem dicamus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI! *ô quàm inſcrutabilia ſunt judicia, & inacceſſibiles, atque inueſtigabiles viæ eius! quis cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius eius fuit?* Theotime, cauſæ & rationes diuinæ voluntatis non poſſunt à noſtro intellectu penetrari, antequam faciem eius intueamur, *qui attingit à fine ad finem fortiter,* & diſponit omnia ſuauiter, faciens omnia, quæ facit, in numero, pondere & menſura, cui & pſalmiſta dicit: *Domine omnia in ſapientia feciſti.*

Quoties amabò contingit nos ignorare, quomodo, & quam ob rem fiunt ipſa hominum opera? quæ tamen, vt dicit idem S. Epiſcopus Nazianzenus, artifex minimè ignorat? eodem modo, res huius mundi non ideò temerariè vel imprudenter conditæ ſunt, eſto ignoremus rationes earum conditionis & productionis. Si intremus officinam v. g. horologiarij, inueniemus ſubinde horologium, quod magnitudine non æquat malum aureum; in quo nihilominus erunt centum, vel ducentæ partes, quarum aliquæ deſeruiunt indici; aliquæ ſonitui horarum; ali-

quæ

quæ etiam matutino excitatorio. In eo videbimus paruas rotas, quarum aliæ dextrorſum mouentur, aliæ ſiniſtrorſum, aliquæ vertuntur ſurſum, aliæ deorſum; videbimus in eodem inſuper libratorem, qui menſuratis viciſsitudinibus, ſuum motum ex vtraque parte metitur. Non parum etiam miramur, quomodo ars nouerit coniungere talem partiũ quantitatem, partibus alijs tam exiguis, iuſta cum proportione; miramur, inquam, quia neſcimus, cui quælibet pars ſeruiat, ad quid ſit, ad quem effectum ſic facta ſit, niſi magiſter nobis indicet. Solum enim in genere ſcimus, quòd omnes ſeruiant vel indici dirigendo, vel ſonitui edẽdo. Refertur quòd Indi totis diebus hæreãt ad vnũ aliquod eiuſmodi horologium, vt horas ad punctum deſignatum audiant: & non valentes aſſequi quomodo id fiat, non ideò dicunt id fieri ſine arte, & ratione, ſed attoniti admiratione rei ſibi tam inſolitæ, toti amore & honore in eos, qui horologia dirigunt, feruntur, tanquam in homines, qui aliquid habeant ſupra captum humanum. Theotime, ita videmus hoc vniuerſum, præſertim autem naturam humanam, veluti horologium aliquod compoſitum tanta varietate actionum, & motuum, vt nequeamus illud non ſummè admirari. Et ſcimus quidem in genere, quòd tot illius partes, tot modis diuerſæ, omnes ſeruiant vel ad oſtendendam, velut in indice, ſanctiſſimam Dei iuſtitiam, vel manifeſtandam triumphantem miſericordiam eius bonitatis, velut per aliquem laudis ſonum. Sed cognoſcere in particulari vſum cuiuſque partis, vel quomodo ſit ordinata ad finem generalem, vel quare ſic facta ſit, nequimus intelligere, niſi ſupremus artifex nos edoceat. Ideò autem nos non edocet, neque manifeſtat ſuam artem, vt eam maiori cum reuerentia nunc admiremur, vt poſtea in cælo conſtitutos ſapientiæ ſuæ infinitâ ſuauitate, in immenſam tunc admirationem nos rapiat quando ipſe ex abundantia infiniti ſui amoris deteget nobis rationes, media & motiua rerum omnium, quæ in mundo, in bonum & profectum æternæ noſtræ ſalutis, factæ ſunt.

Sumus ſimiles ijs, dicit iteratò eximius S. Gregorius Nazianzenus, qui laborant vertigine capitis: omnia eis videntur ſupra ſe, infra ſe, & circa ſe verti & moueri, licet verè ea non moueantur, neque vertantur, ſed eorum cerebra & imaginationes ſunt, quæ vertuntur. Si quid enim eueniat, cuius cauſa ſit incognita, videntur ijs res mundi adminiſtrari tumultuariè, & ſine vlla ratione, quia ſcilicet eam ignorant.

Creda-

Credamus igitur, quòd quemadmodum Deus eſt creator, factor & Pater omniũ rerũ, ita etiam quòd is ſuâ prouidentiâ, quæ comprehendit & complectitur totam creaturarum machinam, earum curam gerat; præcipuè autẽ credamus, quòd idẽ noſtris negotijs, qui eum cognoſcimus, præſideat, eſto hæc vita noſtra ſit exagitata, & velut circumdata innumeris contrarietatibus caſuum, quorum ideò fortè ratio nobis eſt incognita, vt cùm non valeamus pertingere ad ſupremam iſtam Dei cognitionem, quæ res omnes ſuperat, admiremur rationem. Apud nos enim in mundo hoc, res facilè cognoſcitur. Sed ea, quæ excedit capacitatem noſtri intellectus, quò difficilior eſt cognitu, eò etiam maiorem nobis parit admirationem. Sanè rationes prouidentiæ diuinæ valde humiles viderentur, ſi exigui noſtri intellectus ad eas intelligendas poſſent pertingere, eſſent etiam minus amabiles in ſuauitate, & minus admirabiles in maieſtate, ſi viciniores, quàm nunc ſunt, eſſent noſtræ capacitati.

Exclamemus igitur, Theotime, in omnibus caſibus & euentis; ſed exclamemus ex feruenti corde aduerſus ſapientiſſimam, potentiſsimam, nec non ſuauiſsimam æterni Patris prouidentiam, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI! O Theotime, quàm excellentes & eximiæ ſunt diuinæ bonitatis diuitiæ! eius amoris in nos abyſſum eſſe incomprehenſibilem vel ex eo intelliges, quòd nobis præparàuit peropulentam abundantiam, vel potius diuitem affluentiam mediorum, quæ & propria & peridonea ſunt ad nos ſaluandos. Et vt ſuauiter ea nobis applicet, ſupremâ vtitur ſapientiâ, dum per infinitam ſuam ſcientiam præuidit & cognouit quicquid ad eum effectum requiritur. Amabò quid eſt quod timeamus! imò quid eſt, quod ſperare non debeamus, cum ſimus filij Patris tam diuitis in bonitate, vt poſſit & velit nos omnes ſaluare? tam ſapientis ad præparanda media ad id conſequendum idonea, tamq; prouidi ad ea nobis applicanda? tam boni ad ea volendum, tam oculati ad ea ordinanda, tam denique prudentis ad exequendum?

Ne ſinamus vnquam noſtros intellectus, motos curioſitate quapiam, circa iudicia diuina volitare: Alioquin veluti parui papiliones, noſtras alas comburemus, inque hoc ſacro igne peribimus. Iudicia hæc ſunt incomprehenſibilia, vel, vt legit S. Gregorius Nazianzenus, inſcrutabilia. Id eſt, non poſſumus cognoſcere & penetrare eorum motiua,

Digitized by Google

tiua, vias, & modos, quibus ea Deus exequitur, & ad deſtinatum finem deducit, non, inquam, poſſunt à nobis diſcerni & recognoſci, licet videamur nobis bono & acuto pollere ſenſu, tamen vbique ceſpitamus, neque veſtigia deprehendimus, quibus inſiſtentes rem quęſitam aſſequamur. Quis enim poteſt penetrare ſenſum, mentem, & intentionem Dei? Quis conſiliarius eius fuit, vt ſciat eius propoſita, eorumq; motiua? vel quis eum vnquam præuenit exhibendo aliquod ſeruitium? nonne è contrario ille eſt, qui nos præuenit in benedictionibus dulcedinis ſuæ, vt nos coronet felicitate gloriæ? Omnia, Theotime, ab illo ſunt, qui omnia creauit; omnia per illum ſunt, qui omnium eſt gubernator; omnia ſunt in illo, qui omnium eſt protector. Ei ergo ſoli ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen; nobis autem pax, quâ protecti gradiamur viâ ſanctiſsimi amoris: qui enim in morte habebit diuinum amorem, poſt mortem æterno amore fruetur.

De imperfecto & humano amore, qui ſæpe in anima, factâ iacturâ charitatis, remanet.

Capvt IX.

Certè eius hominis vita, qui totus quantus languidus paulatim in ſuo moritur lecto, vix meretur vt vita amplius nominetur; quia, licet adhuc ſit vita, ita tamen mixta eſt morti, vt difficile dictu ſit, an ſit mors adhuc viuens, an verò vita moriens. Eheu! quàm miſerum id exhibet ſpectaculum, Theotime, ſed longè miſerius & lamentabilius in ſtatu illius animæ, quæ ingrata in Saluatorem ſuum, ſingulis momentis longius atque longius ſe remouet & retrahit ab amore diuino, idque per gradus & interualla impietatis, & infidelitatis, quouſque ea prorſus derelicta, remaneat ſola in horribili perditionis obſcuritate. Amor hic, qui in ſua eſt declinatione, quique perit & deficit in momento, vocatur Amor imperfectvs: quia, quamuis adhuc ſit integer in anima, vix tamen videtur eſſe integrè, id eſt, vix amplius adhærere animæ, ſed eſt in procinctu ad emigrandum. Vbi autem charitas per peccatum ſeparata penitus eſt ab anima, ſæpe reſtat certum quod-

dam

Digitized by Google

dam charitatis ſimulachrum; quod & nos decipere, & noſtros intellectus vanâ illâ ſimilitudine nullo negotio occupare poſſet. Dicam autem tibi quid ſit. Charitas dum eſt in nobis, multas producit actiones amoris erga DEUM, per quarum frequens exercitium, anima noſtra quẽdam contrahit habitum amandi DEUM, quæ non eſt charitas, ſed ſolùmmodo ſtriatura, quædam & inclinatio, quam multitudo & frequentatio dictarum actionum cordi noſtro impreſsit.

Sicuti poſtquam intenſum contraximus habitum, prædicandi v. g. miſſam legendi vel celebrandi per liberam electionem, frequenter contingit nos in ſomno loqui de rebus, quas diximus, vel dicturi ſumus inter concionandum aut celebrandum, ita vt conſuetudo & habitus per electionem & virtutem acquiſitus, quaſi quaſi modo poſtea ſine electione, & virtute exerceatur. Electiones ſiquidem factæ inter dormiendum nihil habent de virtute, loquendo generaliter, ſed quandam tantùm apparentem imaginem, quia ſcilicet ſunt ſolùm ſimulachra & repræſentationes quædam. Ita charitas per multitudinem actuum, quos producit, imprimit in nobis facilitatem quandam amandi, quam nobis relinquit etiam poſtquam eius præſentiâ ſumus deſtituti.

Vidi ego, dum Iuuenis darem operam litteris, in pago quodam, Pariſijs vicino, in aliquo puteo, cui inerat Echo adeò articulatè repetens verba in eo pluribus vicibus pronunciata, vt ſi quiſpiam idiota, carens experientia, has verborum repetitiones audiſſet, haud dubiè hominem in fundo putei fuiſſe credidiſſet, qui prolatas in eo voces redderet. Sed Philoſophiæ beneficio ſcimus neminem fuiſſe in puteo, qui enunciata redderet verba, ſed ſolummodò aliquas concauitates, in quarum vna aliquæ voces ſimul collectæ, & non valentes vltrà pergere, ne omnino perirent, ſed vires quæ ſibi reſtabant, exercerent, producebant ſecundas voces, & ſecundæ recollectæ in alia concauitate, tertias & tertiæ ſimiliter quartas, & ita conſequenter vſque ad vndecimas: adeò vt voces productæ intra puteum, non amplius eſſent voces, ſed ſimilitudines & imagines vocum. Nam quando multa verba conſequenter proferebamus, non reddebant niſi aliqua, cætera, contrahendo ſyllabas, abbreuiabant, citiſsimè tranſeundo, cum accentibus prorſus differentibus à noſtris. Non autem incipiebant formare verba, quæ dixeramus, niſi poſtquam nos noſtram pronunciationem ab-

ſolueramus. Breuiter, non erant verba hominis viuentis; ſed, verba rupis concauæ & vacuæ, quæ tamen ita bene repræſentabant humanam vocem, ex qua ſuam habebant originem, vt ignorans quiſpiā facile fuiſſet deceptus. Age, nota quid intendam dicere: quando Sanctus charitatis amor nanciſcitur animam bonam & tractabilem, & in illa aliquamdiu commoratur, producit ſecundum amorem, qui licet non ſit amor charitatis, ex qua prouenit, ſed amor humanus, nihilominus ita repræſentat charitatem, vt, quāuis poſtea ea in anima pereat, videatur tamen ſemper in ea permanere: eò quòd in ea poſt ſuum abitum ſuam imaginem & ſimilitudinem, quæ repræſentatur, reliquerit; ſic, vt ignorans nullo negotio poſſit decipi, ad inſtar auium, quæ credentes à Zeuxe depictos racemos, eſſe veriſsimos botros, in eos ſuis roſtris decerpturæ inuolabant. Ita ars propriè imitata erat naturam! & tamen valde magnum eſt diſcrimen inter charitatem; & amorem humanum, quem illa in nobis producit. Vox enim charitatis pronunciat, imitatur, operatur & implet in noſtris cordibus omnia Dei mandata; amor autem humanus, charitate recedente, eadem equidem verè dicit, & intimat omnia, ſed nunquam ea omnia, verùm aliqua tantummodo exequitur; charitas autem pronūciat & colligit omnes ſyllabas, id eſt omnes omnino circumſtantias mandatorum Dei; at verò amor humanus ſemper aliquam poſt ſe relinquit, eam præſertim, quæ ſpectat ad rectam & puram intentionem. Et quantum ad tonum ſpectat, charitas valde æqualem, valde ſuauem & gratioſum habet, at humanus amor aut nimis ſemper altè aſcendit in rebus terrenis, aut minus demiſsè & humiliter in cæleſtibus. Adde, quòd nunquam opus ſuum inchoet, niſi poſtquam charitas à ſuo ceſſauit. Nam, quamdiu charitas eſt in anima, vtitur obſequio huius amoris humani, cuius illa eſt creatrix, & eam adhibet ad operationes ſuas faciliores efficiendas; ita vt durante illo tempore, opera & obſequia huius amoris, veluti ſerui, pertineant ad charitatē, quæ vera eſt Domina. Verùm eá remotā ab anima, actiones iſtius amoris omnes omninò ſunt ipſius propriæ, nec vllum amplius valorem & æſtimationem habent à charitate. Nam quemadmodum baculus Eliſæi, eo abſente, licet eſſet in manu ſerui Giezi, qui eum acceperat ex manu ſui Domini Eliſæi, nullum faciebat miraculum; ita actiones factæ in abſentia charitatis per ſolum habitum amoris humani, nullius ſunt meriti,

neque

Digitized by Google

neque precij ad vitam æternam comparandam, quamuis amor humanus eas facere didicerit a charitate, vt Diſcipulus à Magiſtro. Hoc autem totum fit naturæ viribus, quia amor humanus, abſente charitate, nullam amplius habet vim ſupernaturalem inducendi animam ad excellentem aliquam actionem amoris Dei ſuper omnia.

Quam periculoſus ſit amor iſte imperfectus.

CAPVT X.

EHeu! Theotime, aduerte obſecro, quomodo miſer, & perditus Judas, tradito Chriſto Magiſtro ſuo, referat Judæis pretium Chriſti appretiati, quomodo agnoſcat ſuum peccatum, quomodo loquatur honorificè de ſanguine agni immaculati. Actus iſti erant effectus imperfecti amoris, quem antecedens charitas emigrando, in eius anima reliquerat. Ad impietatem deſcenditur per certos quoſdam gradus; nemo ſiquidem ab vno extremo malitiæ, tranſit ad aliud ſine medio, ſeu quod idem eſt, nemo fit repentè nequam.

Sicut Vnguentarij, eſto non amplius verſentur in ſuis officinis, longo tamen tempore retinent odorem ſuffumigationum, ſuffituum, & thymiamatum, quæ contrectârunt; ita ij, qui commorati ſunt in cimeliarchio ſeu conclaui vnguentorum cæleſtium, id eſt, in ſanctiſsima charitate, adhuc aliquandiu poſt eius emigrationem ex anima, retinent eorum odorem.

Quando ceruus quiſpiam aliquo in loco tranſegit noctem, tempore matutino adhuc ex recenti odore & vento, faciliùs deprehenditur comprehenditurq;, quàm veſpertino. Si tamen nimis antiqua & indurata iam ſint veſtigia, canes in eius cognitionem nequeunt deuenire: ita proportione quadam, vbi charitas aliquandiu regnauit in anima quapiā, in ea adhuc poſtquam à charitate deſerta eſt, aliquo tempore eius veſtigia, odor, &c. deprehenduntur; ſed tandem paulatim omnibus iſtis euaneſcentibus, ita cognitio charitatis ſimul euaneſcit, atque ſi in ea anima nunquam commorata fuiſſet.

Digitized by Google

Vidimus non rarò Iuuenes in Dei amore probè inſtructos; in quibus (poſteaquam aberrantes à via veritatis, aliquamdiu in infelici ſuo ſtatu commorati ſunt) magnæ adhuc notæ præteritæ virtutis, ex acquiſito habitu, tempore regnantis charitatis, relictæ viſebantur: vt dicto habitu, ingerentibus ſeſe vitijs, repugnante, intra aliquot menſes difficile eſſet dignoſcere, an eſſent charitate priuati, necne; an ſtudioſi virtutum, an verò vitiorum ſectatores exiſterent. Et hoc vſquedum clarè aduerteretur huiuſmodi virtutum exercitia minimè ſuam habere originem ex præſenti imperfecti, ſed ex præterita charitate, & amore perfecto; quem emigrans charitas poſt ſe, velut notam ſui hoſpitij, quo vſa fuit, in animabus illis reliquit.

Porrò hic imperfectus amor in ſeipſo, Theotime, bonus eſt: quia cùm à charitate ſit productus, & ſuo modo ſpectet ad ipſius comitatum, non poteſt non eſſe bonus, cùm re ipsâ fideliter ſeruierit charitati, quamdiu illa manſit in anima iuſti, imò etiamnum, nunquam non prompta eſt & expedita ad exhibenda obſequia, ſi in eam reuertatur. Quod autem nequeat exercere opera perfecti amoris, non ideo eſt contemnendus: hoc enim fert ſecum conditio eius naturæ. Ita ſtellæ collatæ ſoli valde ſunt imperfectæ, quæ tamen pulcherrimæ apparent, ſi ſeparatim conſiderantur: & quæ nullo habentur loco præſente ſole, eo abſente, magni æſtimantur.

Quamuis autem amor hic imperfectus in ſe, vt dictum eſt, bonus ſit, eſt nihilominus periculoſus, eò quòd perſæpe eo ſolo habito, illi acquieſcentes, nihil vltrà requiramus. Quia videlicet complura tum externa, tum interna cum charitate habet lineamenta, quo fit, vt eum credentes eſſe amorem perfectum, turpiter decipiamur, æſtimantes nos eſſe ſanctos, dum, nobis in uana hac perſuaſione manentibus, peccata, quæ nos priuârunt charitate, adeò tum magnitudine, tum multitudine creſcunt, vt tandem iniquis armis cor noſtrum expugnent, ſibiq; illud ſubijciant. Si Iacob Patriarcha non deſeruiſſet perfectam Rachelem, ſed eius lateri die nuptiarum ſemper adhæſiſſet, nequaquam deceptus fuiſſet; at quia ſiuit eam ſine ſe comite ingredi conclaue, ſequenti mane obſtupuit, dum deprehendit loco illius Liam imperfectam adeſſe, quam tamen crediderat eſſe dilectam ſuam Rachelem, quæ fraudulenter à Laban ſubducta fuerat. Ne dubites, eodem modo proprius Amor noſter, ſimulatque

Digitized by Google

mulatque charitatem derelinquimus, nos decipit, intrudens noſtræ imaginationi habitum hunc imperfectum, qui aliud nihil eſt, quàm imperfectus amor: quo (non ſecus atque ſi verus & perfectus eſſet) contenti ſumus, vſque dum clarum aliquod lumen noſtris oculis detegat deceptionem.

Hem! nónne res eſt digna commiſeratione videre animam in hac imaginaria ſanctitate & animi quiete ſibi non aliter blandientem, quàm ſi omnem poſsideret charitatem, vſque dum tandem deprehendit putatam iſtam ſanctitatem, meram eſſe fictionem, quietemque animi aliud non eſſe, quàm lethargum quendam, lætitiam verò eſſe puram putam maniam?

Modus quo dignoſci poßit Amor imperfectus.

CAPVT XI.

VErùm, quis modus, dices, diſcernendi num ſit Rachel an Lia, charitas, an amor imperfectus, qui me impellit ad deuotionem, quâ moueor? ſi, examinando in particulari obiecta deſideriorum, affectionum & propoſitorum, quæ hic & nunc habes, inuenis vnum aliquod, ob quod velis agere contra DEI voluntatem, & eius beneplacitum, peccando mortaliter. dubioprocul, totus ille tuus ſenſus, tota illa facilitas & promptitudo, quam habes ſeruiendi DEO, aliunde non habet originem, quàm ab amore humano & imperfecto. Nam ſi amor perfectus in te regnaret, cui dubium eſſe poſſet, quin amor hic ſincerus omnem affectionem, omne deſiderium omnem deſignationem abrumperet circa obiectum, quod ita iudicaret pernicioſum, vt ne pati quidem poſſet, vt cor tuum illud vnquam intueretur.

Verùm, nota, quod dixerim examen hoc fieri debere de affectionibus, quas modò habes: non enim neceſſe eſt, vt imagineris eas, quæ poſtea oriri poſſunt: ſiquidem ſatis eſt nos eſſe fideles in occaſionibus præſentibus, iuxta diuerſitatem temporis: habet ſiquidem quælibet tempeſtas ſuos labores & difficultates.

Si tamen

Digitized by Google

Si tamen volueris animum tuum ſtrenue aliqua in re ſpirituali exercere per repræſentationem diuerſarum occaſionum & futurorum certaminum, poteris id vtiliter facere, dummodo poſt actus iſtius generoſitatis imaginariæ, quos prætentauit animus, non te æſtimes magis ſtrenuum, quàm re ipſa ſis. Nam olim filij Ephraim, mira faciebant, eiaculando ſagittas, in certaminibus & tentaminibus bellicis, quæ inter ſe inſtituebant, vbi verò ventum fuit ad rem, & cum hoſte congrediendū, die pugnæ terga verterunt, & ne tantum quidem animi habuerunt, vt vnicam ſagittam in partem aduerſam emitterent, imò, ne ferrent quidem, vel vnius ſagittæ cuſpidem ſuorum aduerſariorum.

Quando igitur exercentur aliqui actus circa ſtrenuitatis iſtius futuras occaſiones, vel ſolùm poſſibiles, ſi deprehendatur ſenſus ſincerus & fidelis, Deo aguntur gratiæ, quia ſenſus ille ſemper bonus eſt, dummodo ſtetur in humilitate; inter confidentiam & diffidentiam, ſeu inter ſpem & metum, ſperando quod mediante aduocatione & ſuccurſu diuino, agetur in occaſione, quod nunc verſatur in imaginatione; timendo tamen ſemper ne tunc, iuxta miſeriam humanam, nihil faciendo, animo deficiamus. Si autem diffidentia iſta adeò eſſet immodica vt videretur nobis, quòd neque vires, neque animum habituri eſſemus, ac proinde timeremus, ne deſperatio aliqua circa obiectum tentationum, quas nobis imaginamur, oriretur, quaſi non eſſemus in charitate & gratia Dei, tunc ſtatuere debemus (etiam repugnante ſenſu noſtro, & puſillanimitate) nos manere velle fideles, & conſtantes in omni eo, quod nobis poſſet euenire; includendo etiam tentationem, quæ nunc nos affligit, & ſperare quòd tunc Deus multiplicaturus eſſet gratiam, ſuccurſumque duplicaturus omnemque aſſiſtentiam requiſitam exhibiturus; & quod quam nunc non dat fortitudinem pro bello imaginario, & non neceſſario, nobis daturus ſit, quando neceſſitas expoſceret. Nam ſi nonnulli in ipſo aſſultu & certamine perdiderunt animum, plures tamen excuſſo vano timore, animum reſumpſerunt, & in præſenti periculo, & neceſſitate ſtatuerunt facere id, quod nunquam feciſſent in eius abſentia. Et certè complures ſerui Dei, ſibi repræſentates tentationes abſentes, eò horroris & timoris deuenerunt,

vt omnem

vt omnem fere animum perdiderint, quem tamen, videntes pericula præſentia, reſumpſerunt & fortiter rem geſſerunt.

Tandem in his terroribus & timoribus, ortis ex repræſentatione futurorum certaminum & aſſultuum, dum putamus animum nobis defuturum, ſatis eſt illum deſiderare, & in Deo confidere, quòd tempore certaminis eum nobis ſit daturus. certè nec Samſonem ipſum ſemper eundem animum habuiſſe ſcriptura commemorat, dū ſic de eo loquitur: *Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnatha. cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem, quaſi hædum in fruſta diſſerpens, nihil omnino habens in manu.* Eodem modo quando confecit mille Philiſtæos, qui eum volebant è medio tollere in campo Lechi. Ita, mi chare Theotime, opus non eſt nos ſemper habere ſenſum & motum animi requiſitum ad diſſerpendum rugientem Leonem, *qui circumit quærens quem deuoret:* poſſet enim hoc nobis præbere occaſionem vanitatis & præſumptionis. ſat eſt nos habere deſiderium ſtrenuè pugnandi, & perfectam confidentiam quòd Dei ſpiritus nobis ſuo ſuccurſu & auxilio aderit, quando occaſioſe præſentabit rem bene gerendi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

De

DVOBVS PRINCIPALIBVS EXERCITIIS DIVINI AMORIS, QVÆ FIVNT PER COMPLACENTIAM ET BENEVOLENTIAM.

CAPVT I.

De ſacra diuini amoris complacentia, & primò in quo illa conſiſtat.

AMor non eſt aliud, vti diximus, quàm motus & influxus quidam cordis, qui fit erga bonum interueniente complacentia, quæ ex dicto bono capitur, ita vt illa ſit magnum motiuum amoris, ſicut ipſe amor eſt magnus complacentiæ motus. Motus autem iſte ſic aduerſum DEUM exercetur. Scimus, fide nos edocente, diuinitatem eſſe incomprehenſibilem abyſſum omnis omnino perfectionis, infinitam in excel-

Digitized by Google

lentia, & infinitè ſummam in bonitate. Et hanc veritatem, quam nos fides edocet, conſideramus quàm poſſumus attentiſsimè per meditationem, reſpicientes immenſitatem bonorum, quæ ſunt in Deo, vel omnia ſimul, velut per aggregationem omnium perfectionum; vel diſtinctè conſiderantes eius excellentias ſeparatim, id eſt vnam poſt alteram: exempli causâ, eius omnipotentiam, immenſam ſapientiam, infinitam bonitatem, æternitatem & infinitatem. Porrò, vbi noſtrum intellectum ſummè attentum & docilem reddidimus ex conſideratione magnitudinis bonorum, quæ in hoc diuino obiecto reperiuntur; fieri non poteſt, quin noſtra voluntas in hoc bono complacentiâ tangatur: & tunc vtentes noſtra libertate, & auctoritate, quam in nos ipſos habemus, prouocamus cor noſtrum, vt replicet, reuoluat & roboret primam ſuam complacentiam per actus approbationis & jucundæ fruitionis. *ô! tunc dicit anima deuota, quàm pulcher es, dilecte mi, quàm pulcher es, totus deſiderabilis es,* quin imò ipſummet deſiderium! *Talis eſt dilectus meus, amicus cordis mei, ô filiæ Hieruſalem, ô benedictus ſit in æternum DEVS meus, qui tam bonus eſt: Hem! ſiue moriar, ſiue viuam, quàm felix & fortunata ſum videre DEVM meum ita diuitem in omnibus bonis, vt eius bonitas ſit infinita & infinitas tam bona!*

Ita approbantes bonum, quod videmus in Deo, & in eo iucundantes, exercemus actum amoris, qui nuncupatur complacentia. Nam gaudemus de bono diuino infinities magis, quàm de proprio. Et iſte eſt amor, qui tantum pariebat gaudium ſanctis, quando poterant enarrare perfectiones ſui dilecti, qui & eos prouocabat ad enunciandum cũ ingenti ſuauitate, Deum eſſe Deũ. *Scitote,* dicebant, *quòd Dominus ipſe eſt Deus.* O Deus, mi Deus, Deus mi, tu es Deus meus, *dixi Domino, DEVS meus es tu, DEVS cordis mei, & DEVS meus, pars mea DEVS in æternum.*

Ille eſt Deus cordis noſtri per hancce complacentiam: quia per illam cor noſtrum illum complectitur, & ſibi ſuum reddit; ille eſt noſtra hæreditas, quia per iſtum actum fruimur bonis, quæ ſunt in Deo, & ex iſta hæreditate omnis generis delectationes & gaudia, velut aquam haurimus. Per hanc complacentiam bibimus & comedimus ſpiritualiter perfectiones diuinitatis: quia nobis proprias reddimus, eaſq; è menſa Dei in corda noſtra trahimus.

Oues

Digitized by Google

Oues Jacob Patriarchæ attrahebant in ſua viſcera varietatem colorum ex diuerſis coloribus virgarum, *quas ipſe poſuerat in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in earum aſpectu conciperent, naſcerenturque deinde agni & capri maculoſi, & varij coloris.* Ita anima capta iucunditate complacentiæ, quam percipit ex conſideratione diuinitatis, & in ipſa diuinitate infinitas excellentias, attrahit etiam in cor ſuum varios colores, id eſt multitudinem rerum admirabilium,& perfectionum,quas in DEO contemplatur, & contemplando,interueniente inſigni gaudio,omnes reddit ſuas.

O DEUS optime maxime,qualem & quantam lætitiam habituri ſumus in cælo, quando dilectum cordium noſtrorum intuebimur velut mare quoddam infinitum,cuius aquæ ſunt puræ perfectiones & ſincera bonitas! tunc, velut cerui, qui diu multumque à venatoribus & canibus agitati, & male excepti, tandem peruenientes ad clarum & frigidum quempiam fontem, inde trahunt ad ſe algorem eximiæ illius aquæ; ita corda noſtra poſt languores & deſideria, vbi peruenerint ad potentem & viuidam ſcaturiginem diuinitatis, trahent per complacentiam omnes perfectiónes SVI DILECTI, eoq; exoriente in eorundē cordibus immenſa lætitiâ perfruentur, ſe ipſos replentes immortalibus delicijs. Et hoc modo dilectus ſponſus in nos intrabit velut in ſuum thalamum, vt animabus noſtris æternam ſuam communicet lætitiam: ſicut ille ipſe dicit, quòd videlicet, ſi legem ſui amoris ſeruemus, venturus ſit vt commoretur in nobis.

Tale furtum amoris dulce eſt atque nobile, quippe quo quis, non detracto ſuo dilecto colore, eius ſe coloribus colorat, non ſpoliato eodem,ſe exornat eius veſte, non re vllâ ei ablatâ, omnia ab eo accipit, &, illo nulla in re depauperato, eius bonis ſe ditat: ſicuti aër accipit lumen, non imminuto ſplendore originali ſolis & ſpeculum gratiam vultûs hominis ſe in illo contemplantis, non diminuta eâ gratiâ, quæ eſt in ipſo homine.

Abominabiles facti ſunt, vti res quas amârunt, dicit Propheta loquens de hominibus peruerſis.Et ſanè idē dici poteſt de probis,quòd ſcilicet facti ſint amabiles & ſimiles reb⁹,quas recto amore dilexerunt Vide obſecro cor S. Claræ de Monte Falconis, quod tantam voluptatē voluntatem, & iucunditatē hauſit ex paſsione Saluatoris, & ex meditatione ſanctiſſi-

mæ Trinitatis, vt in ſe traheret, & tractas ſibi imprimeret omnes notas paſſionis, & admirandam repræſentationem Trinitatis. Atque hoc modo facta eſt ſimilis rebus, quas adamauit. Amor, quo Apoſtolus ferebatur in vitam, in mortem & paſſionem Domini noſtri, tam fuit magnus & fortis, vt VITAM IPSAM, mortem & paſsionem Saluatoris traheret in cor dilecti & fidelis ſerui, cuius voluntas erat repleta dilectionẽ, memoriâ, meditatione, & intellectus contemplatione. Verùm, per quem canalem & tubum influxerat dulcis Jesus in cor S. Pauli? per canalé complacentiæ, vti ille ipſe declarat dicens: *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti.* Nam ſi accuratè notes, aduertes inter gloriari in aliquo, & ſibi in illo complacere, captare gloriam, & delectationem haurire ex re aliqua, non aliud eſſe diſcrimen, quàm quod is, qui rem aliquam ſibi ducit honori, vltra jucunditatem, adiungit honorem, honore non exiſtente abſque delectatione, licet delectatio poſsit eſſe finẽ honore. Anima igitur hæc talem habebat complacentiam, & ita ſe honoratam eſſe à diuina bonitate, quæ relucet in vita, morte & paſſionẽ Saluatoris, ſentiebat, vt nullam caperet jucunditatem, niſi in hoc vnico honorẽ. Et hoc eſt, quod eum induxit ad dicendum: *abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini mei, vti etiam dixit: non viuo ego in me, viuit autem in me Chriſtus.*

Quod per ſanctam complacentiam admoti vberibus Chriſti, reddamur ſimiles infantibus.

Capvt II.

O quàm beata eſt illa anima, quæ, dum addiſcit noſſe, & ſcire Deum eſſe Deum, eiuſq; bonitatem eſſe infinitam bonitatem, ſibi intimè complacet! nam Sponſus cæleſtis per complacentiæ portam in illam ingreditur, ingreſſuſque cum illa cœnat, ſicut & ea cum illo. Paſcimus & nos ipſos cum illo ex eius dulcedine & lætitia, quam inde haurimus, ſimul & cor noſtrum ex perfectionibus diuinis & ex lætitia, quâ bene afficimur, nos ſatiamus. Et refectio iſta eſt cœna; eò quòd requies inde ſequitur, inducente ac prouocante nos ſuauiter complacentiâ,

placentiâ, ad dulciter requieſcendum in bono, quo delectamur, & de quo cor noſtrum paſcimus. Nam, vt ſcis, Theotime, cor ijs rebus paſcitur, in quibus ſibi complacet. Vnde Gallicâ linguâ dicitur, HVNC PASCI HONORIBVS, ILLVM DIVITIIS. Sicut dixit Sapiẽs: *Os ſtultorũ ignorantiâ paſcitur.* Sed & increata Sapientia teſtatur cibum ſuum, id eſt gaudium, non eſſe alium, quàm *facere voluntatem Patris ſui.* Breuiter aphoriſmus medicorum verus eſt, quo dicitur, QVOD SAPIT, NVTRIT; ſicut & Philoſophorum, QVOD PLACET, PASCIT.

Dilectus meus deſcendat in hortum ſuum, dicit ſacra Sponſa; *& comedat fructum pomorum ſuorum.* Deſcendit autem cæleſtis ſponſus in hortum ſuum, quando venit in animam deuotam: nam (ſiquidem eius *deliciæ ſunt eſſe cum filys hominum*) vbi poteſt melius diuerſari, quàm in regione ſpiritûs, & animæ, quam fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam? In horto hoc ille ipſe plantauit caſtam & iucundam amatricem complacentiam, quam habemus ex eius bonitate ex qua, & in qua nos paſcimus, ſicut & eius bonitas ſibi complacet & paſcitur in noſtra complacentia. Quo fit, vt iteratò noſtra complacentia augmentetur, eò quòd ipſe ſibi complaceat in eo, quòd videat nos in ſe nobis complacere: vnde reciproca hæc gaudia faciunt amorem incomparabilis complacentiæ, per quam anima noſtra facta hortus ſui ſponſi, & habens ex eius bonitate pomaria deliciarum, ei reddit fructus; ille ſiquidem ſibi complacet, de complacentia, quam illa habet in ipſo. Et hoc modo DEI contrahimus in cor noſtrum, in quo ille diffundit pretioſum ſuum balſamum. Ita omnino exercetur id, quod cæleſtis ſponſa tanta cum alacritate dicit: *Rex cordis mei introduxit me in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.* Nam, amabò Theotime, quid ſunt cellaria Regis amorum & caſtarum cogitationum, quàm eius vbera, quæ abundant varietate omnium ſuauitatum & deliciarum? pectus & mammillæ Matris ſunt cellaria & promptuaria theſaurorum infantis. Alias enim is non habet diuitias, niſi illas ſolas, quæ ei ſunt ſuper aurum & topazion, imò & ſuper reliquum totum mundum.

Cantl. Canti. c.5.&6. v.1 11

Cantic Cant. c.1.v.3

Anima igitur, quæ theſauros infinitos perfectionum diuinarum in ſuo dilecto contemplatur, dici non poteſt quàm diuitem ſe exiſtimet, eò quòd amor per complacentiam omnia bona, & gaudia chari ſui

ſponſi efficiat ſua. Et ſicut infantulus aliquis paruos quoſdam erga matris vbera facit motus, & velut tripudians, dum videt ea diſcooperta,& matrem ſingulari cum amore ea ſibi porrigentem ſuo modo exilit gaudio: ita anima deuota perſentiſcit cordis exultationes,& velut quædam tripudia præ gaudio incomparabili, & delectatione nulli ſecundã, quam capit ex aſpectu, & intuitu theſaurorum, & perfectionum Regis ſanctiſsimi amoris: præſertim autem, quando videt quòd ille ipſe magno cum amoris indicio eos theſauros ſibi oſtendit, & quod inter eius perfectiones, ea excellentiſsimè, quæ ex eius amore oritur, reluceat. Age dic,nonné anima iſta habet cauſam exclamandi, ô mi Domine Rex, quàm amabiles ſunt tuæ diuitiæ,quàm & tui amores opulenti! O quis lætior eſt, túne qui eis frueris, an ego, quæ inde lætitiam ingentem capio? ambo, ambo exultantes gaudemus, recordantes tui ſinûs, tuorumque vberum tam fœcundorum in omni excellentia & ſuauitate; ego quidem quia Dilectus meus ijs fruitur; tu verò quia dilecta tua inde lætatur. Hoc enim modo ambo ijs fruimur; ſiquidem te tua bonitas ob meam lætitiam facit gaudere, & amor meus de tua fruitione me facit exultare. Ah! iuſti & boni amant te! quî enim poſſet quis bonus eſſe, & non amare immenſam bonitatem? terreni Principes habent ſuos theſauros in ſuis cimeliarchijs pinacothecis,ſeu quod idem eſt in ſuis intimis conclauibus; arma autem in ſuis armamentarijs,ſed cæleſtis Princeps in ſuo ſinu ſuum gerit theſaurum; arma ſua in ſuo pectore. Et quia eius theſaurus, eius eſt bonitas, ſicut arma eius ſunt amores, Sinvs & pectvs ſimilia ſunt ſuauiſsimæ cuipiam Matri,cui inſunt duo pulcherrima vbera, quæ (velut duo cimeliarchia) abundant dulcedine eximij lactis, & armata ſunt talibus telis ad ſubijciendum charum ſuum puſionem,qualia ipſe puſio ſugendo eius vbera, poteſt fabricare.

Ideò autem natura collocauit vbera in pectore, vt calor cordis ibi faciens concoctionem lactis, ſicut mater eſt nutrix infantis, ita eiuſdem etiam cor ſit nutritium, & lac cibus, totus quantus aromatibus amoris condítus, millies centies melior quolibet vino. Nota interim, Theotime, comparationem lactis & vini ita videri ſacræ ſponſæ propriã, vt non ſit ſatis dixiſſe ſemel à mammillis ſui ſponſi ſuperari vinum,niſi id tribus iteratis vicibus repetat. Vinum,Theotime, eſt lac vuarum,& lac eſt vinum mammillarum. Ita ſacra ſponſa dicit Dilectum ſuum eſſe

botrum

Digitized by Google

botrum pro ſe, at non quemcunque botrum, ſed botrum Cypri ex vineis Engaddi, id eſt habentem excellentem odorem. Moyſes dicit Iſraëlitas poſſe bibere ſanguinem vuæ meraciſſimum. Et Jacob Patriarcha deſcribens filio ſuo Judæ fertilitatem hæreditatis, quam erat habiturus IN TERRA PROMISSIONIS, ſub iſta figura prophetizauit veram Chriſtianorum felicitatem, dicens futurum, vt Saluator *lauet ſtolam ſuam*, id eſt ſanctam Eccleſiam, *in ſanguine ſua* quod eſt dicere in proprio ſanguine. Sanguis autem & lac non magis inter ſe differunt, quàm omphacium & vinum: nam ſicut omphacium calore ſolis matureſcens, mutat colorem, & fit vinum gratum & idoneum propriumque nutritioni: ita ſanguis conditus calore cordis, imbibit pulchrum colorem album, & fit nutrimentum apprimè conueniens infantibus.

Lac, quod eſt cibus cordis totus quantus ex amore conditus, repræſentat ſcientiam & Theologiam myſticam, id eſt dulce cum ſapido proueniens ex feruenti & ſuaui complacentia, quam recipit anima dum meditatur perfectiones diuinæ bonitatis; at verò vinum ſignificat ſcientiam ordinariam & acquiſitam, quæ profundâ & efficaci ſpeculatione ſub prælo plurium argumentorum & diſputationum exprimitur; lac autem, quod animæ ſugunt ex vberibus charitatis Saluatoris, ſine comparatione melius eſt eo vino, quod ex diſcurſibus & ratiocinationibus humanis trahimus. Hoc enim lac habet originem ex cæleſti amore, qui illud præparat ſuis filijs etiam antequam vel cogitationem de eo aliquam concipiant; habet etiam guſtum ſuauem & amabilem, cuius odor ſuperat omnes ſuffumigationes & Thymiamata; halitum inſuper efficit ſuauem & ab omni malo odore liberum, vti eſt infantis lac adhuc ſugentis; confert præterea lætitiam ſine inſolentia, inebriat ſine mentis hebetatione, non tollit ſenſum & intellectum, ſed potius extollit.

Quando S. Iſaac Patriarcha filium ſuum Jacob amplexatus eſt, *ſtatim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam*, ex gaudio inenarrabili dixit: *ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus:* Veſtimenta, è quibus proueniebat fragrantia, gerebat Jacob, ſed Iſaac inde habuit complacentiam & lætitiam. Anima, quæ per amorem tenet ſuum Saluatorem inter brachia affectionum ſuarum, quàm dulciter & delicioſè ſentit fragrantiam perfectionum infinitarum, quæ in illo inueniuntur! Et

quanta

Digitized by Google

quanta cum complacentia dicit illa intra ſeipſam: *ecce odor DEI mei, qui eſt ſicut odor horti florentis?* ô quàm eius vbera ſunt pretioſa! ſpargentia odorem vnguentorum ſummè eximiorum! Ita animus S. Auguſtini dubius & perplexus inter cæleſtia gaudia, quæ ſe ei conſideranda offerebant, vna quidem ex parte myſterium natiuitatis Domini ſui; ex altera autem myſterium paſſionis, veluti raptus in iſta complacentia, exclamat: *In medio poſitus, quò me vertam neſcio: hinc lactor ab vbere, hinc paſcor à vulnere.*

Quod ſacra complacentia cor noſtrum tradat DEO, *& faciat nos ſentire perpetuum deſiderium in ipſa fruitione.*

CAPVT III.

AMor, quem habemus erga Deum, ſuam capit originem ex prima complacentia, quam ſentit cor noſtrum ſimulatque conſpicit bonitatem diuinam, primo ſcilicet momento, quo incipit tendere verſus illam. Dum autem augemus & corroboramus dictam complacentiam, interueniente feruenti exercitio amoris, vti declarauimus ſuperioribus capitibus, tunc in cor noſtrum attrahimus perfectiones, diuinaque bonitate fruimur per lætitiam, quam inde capimus, & in praxin reducimus primam partem feruentis & ſuauis gaudij, quod ſacra ſponſa exprimit dicens: *Dilectus meus mihi:* Sed quia complacentia iſta tam ſuauis & amabilis, quam in nobis exiſtentem habemus, non ceſſat eſſe etiam in Deo, in quo & ex quo illam accipimus, illa nos vicifsim tradit diuinæ bonitati; ita, vt per ſanctum hunc amorem complacentiæ fruamur bonis, quæ ſunt in Deo, non ſecus atque ſi noſtra eſſent. Verùm, quia perfectiones diuinæ ſunt fortiores noſtro intellectu, intrando illum reciprocè poſsident. Ita vt non ſolùm dicamus Deum eſſe noſtrum per hanc complacentiam, ſed etiam per eandem pronunciemus nos eſſe illius.

Herba aproxis nuncupata, (vti alibi diximus) adeò magnam habet affinitatem cum igne, & ſimul ad eundem propenſionem, vt etſi ab eo

ſit

Digitized by Google

ſit remota, tamen, quàm primum in eius aſpectum venit, flammam illius attrahat, & vnà ardere incipiat. Et quidem ignem concipit non tam ex calore illius quàm ex ſplendore, qui ei obijcitur. Quando igitur per attractionem ſe vnit igni, ſi noſſet illa loqui, quidni diceret? Dilectus mihi ignis, meus eſt; ſiquidem eum ad me attraxi, eiuſque flammarum jucunditate nunc perfruor ſuauiſſimè, ſed & ego viciſſim ſum illius; cum enim ſi ad me traxi, ille me in ſe, vt fortior & nobilior, redigit. Eſt meus ignis, & ego eius ſum herba; eum traho, & ille me pro libitu comburit. Sic cor noſtrum poſitum in præſentia diuinæ bonitatis, vbi attraxit perfectiones illius per complacentiam, quam ex ea capit, poteſt verè dicere: Bonitas DEI tota quanta mea eſt, fruor ſiquidem eius excellentijs, & ego totum illius ſum, quia me eius gaudia poſſident.

Per complacentiam anima noſtra velut vellus Gedeonis, ſe totam implet rore cæleſti, & ros eſt velleris, eò quòd in illud deſcenderit, ſed viciſſim vellus eſt roris, & ad rorem ſpectat, eò quòd madefactum ſit per rorem, & ab eo ſuum acceperit valorem. Et quod plus eſt, vnum habet alterum, velut margarita habet concham, & concha margaritam: margarita eſt conchæ, quæ eam ad ſe traxit, ſed & concha eſt margaritæ, quæ dedit valorem & æſtimationem. Complacentia nos efficit poſſeſſores DEI, dum trahit in nos perfectiones, & nos efficit poſſeſſos à DEO, applicans & affigens nos eius perfectionibus.

Porrò in iſta complacentia ita animam noſtram explemus gaudijs, vt non ideò ceſſemus vlterius adhuc eam velle ſatiare; ſed & dum deguſtamus bonitatem diuinam, adhuc vellemus eam amplius deguſtare, & nos ſatiando vellemus ſemper comedere, ſicut & comedendo ſentimus nos ſatiari Princeps Apoſtolorum Petrus cùm in ſua prima Epiſtola dixiſſet Prophetas antiquos manifeſtaſſe gratias, & prærogatiuas quæ aliquando futuræ erant inter Chriſtianos: & inter cæteras prærogatiuas, paſſionem Domini, & gloriam, quæ paſſionem eſſet ſecutura, tam per RESVRRECTIONEM CORPORIS, quam per exaltationem eius nominis, in fine concludit Angelos ipſos deſiderare videre myſteria Redemptionis in noſtro Saluatore; *in quem*, inquit, *deſiderant Angeli proſpicere*, At re ſic ſe habente, quomodo intelligendum eſt, quod Angeli, qui vident redemptorem, & in eo omnia myſteria noſtræ ſalutis, deſiderent nihilominus adhuc eum videre? Theotime, omnino ſemper eum vident, ſed vi-

ſione ita gratâ & deliciosâ, vt complacentia quam habent, eos expleat quidem & ſaturet, at minimè ſublato deſiderio; quin imò, eadem eos facit deſiderare, non ſubtractâ ſaturitate, neq; vlla ex parte imminuta fruitione per deſiderium, ſed potiùs adauctâ, ſicut nec eorum deſiderium ſuffocatur per fruitionem, ſed in ſubtilius enadit.

Gaudium de bono, quod ſemper explet gaudentem, nunquam flaceſcit, ſed renouatur, & vireſcit in dies magis. Eſtque ſemper amabile ſemper deſiderabile. Continua autem lætitia amatorum cæleſtium producit deſiderium, quod perpetuò explet deſiderantem; & continuum deſiderium, facit naſci in ijs gaudium, nunquam non deſideratum. Bonum finitum terminat deſiderium, quando tribuit lætitiam, & aufert eandem, quando dat deſiderium, cùm nequeat poſſideri & ſimul deſiderari; at bonum infinitum regnare facit deſiderium in ipſa poſſeſſione, & poſſeſſionem in deſiderio, quia habet, quo per ſuam præſentiam, expleat deſiderium, & etiam vnde faciat perpetuò viuere per magnitudinem ſuæ excellentiæ; quæ nutrit in omnibus ijs, (qui illam poſſident) deſiderium ſemper completum, & gaudium nunquam non deſiderans & cupidum.

Imaginare tibi, Theotime, eos, qui ore tenent herbam dictam Sciticam: nam, vt fertur, ij nunquam eſuriunt, neque ſitiunt, ita ſatiat illa! neque tamen inde amittunt appetitum, adeò delicioſè illos ſuſtentat! Quando voluntas noſtra Devm adinuênit, in eo conquieſcit, exq; eo ſummam capit complacentiam Nec tamen intermittit exercere motum deſiderij ſui; ſicut eum deſiderat amare, ita amat illa deſiderare. Habet deſiderium amoris, & amorem deſiderij. Quies enim minimè conſiſtit in hoc, vt quis immobilis maneat, ſed in hoc, vt nulla re egeat, non conſiſtit in non habendo motum, ſed in non habendo opus vllius motûs.

Ingenia perdita & flagitioſa habent æternum motum abſque vllius tranquillitatis admixtione. Nos mortales, qui adhuc ſumus in huius mundi peregrinatione, modò motum, modò quietem in noſtris affectionibus habemus: Spiritus autem Beati ſemper habent quietem in ſuis motibus, & motus in ſua quiete. Atque ita ſoli Deo ineſt quies ſine motu; quia ſcilicet eſt Actvs Svmme Pvrvs & Svbstantialis. Quamuis autem iuxta conditionem ordinariam huius vitæ non habeamus

mus quietem in noſtro motu, tamen quando aliquid tractamus ſpectans ad effectus exercitiorum vitæ immortalis, id eſt, quando exercemus ſancti amoris actus, inuenimus requiem in motu noſtrarum actionum, & motionem in requie complacentiæ, quam habemus in noſtro dilecto, recipientes hoc modo prægustus futuræ felicitatis, ad quam anhelantes aſpiramus.

Si verum eſt chamæleonta ex aëre viuere, quocunque ille it, in aëre habet vnde ſe paſcat; quod autem ille ſe moueat de loco in locum, non ideò ſe mouet, vt quærat vnde ſe expleat, & ſatiet, ſed vt ſe exerceat in ſuo alimento, vt piſces in mari. Qui expetit & deſiderat Deum, dum eum poſſidet, non eum deſiderat, vt quaſi abſentem quærat, ſed vt affectionem hanc in bono ipſo, quo fruitur, exerceat. Cor enim non facit motum hunc deſiderij velut prætendens habere fruitionem, ſiquidem re ipſa iam habet, ſed quaſi ſe extendens ac dilatans in fruitione, quam iam poſſidet, non ad obtinendum bonum, ſed ad ſe recreandum, & cum delectatione ei immorandum; non vt eo fruatur, ſed vt in eo lætetur. Sicuti nos ambulamus, & mouemus nos v.g. ad quempiam delicioſum hortum, ad quem cùm pertingimus nòn ceſſamus adhuc ambulare, & iteratò nos mouere, non quidem amplius, vt ad hortum, illum veniamus ſed vt exſpatiemur, & tempus in eo commorando iucundè tranſmittamus. Ambulauimus ad fruendum amænitate horti; in eo dum ſumus, inambulamus, vt nos exhilaremus in fruitione illius: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper. Semper is quæritur, qui ſemper amatur:* dicit magnus Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus: amor quærit quod inuênit, non vt habeat, ſed vt ſemper habeat. Pſ.104. 4.

Tandem Theotime, anima, quæ verſatur in exercitio amoris complacentiæ, perpetuò clamat in ſuo ſacro ſilentio: SAT EST, ABVNDE EST, MIHI SVFFICIT DEVM ESSE DEVM, BONITATEM EIVS ESSE INFINITAM, PERFECTIONEM IMMENSAM: ſiue moriar ego, ſiue viuam, mea parum intereſt, dum dilectus meus æternùm viuit vitâ triumphis pleniſſimâ. Mors ipſa non poteſt cor, (quod nouit ſummum ſuum amorem viuere) dolore quopiam afficere. Sufficit animæ, quæ amat, eum, quem amat pluſquam ſe ipſam, redundare æternis bonis. Et hoc ideò, quòd illam animat, non viuit illa in ſe ipſa, ſed eius dilectus viuit in illa.

Digitized by Google

De amoroſa compaſsione, ſeu condolentia, per quam complacentia amoris adhuc dilucidius decla-ratur.

Capvt IV.

Compaſsio, condolentia, commiſeratio ſeu miſericordia aliud non ſunt, quam affectio quædam, cuius beneficio efficimur participes paſsionis, & doloris illius, quem amamus; trahentes miſeriam, quam amicus noſter patitur, in cor noſtrum. Vnde appellata eſt miſericordia, quaſi diceret cordis miſeria; ſicut complacentia trahit in cor amantis delectationes, & gaudia ex re amata. Porrò amor hic, qui tum hunc, tum illum producit effectum per virtutem, quâ pollet tam ad vniendum cor amantis, cordi eius, qui amatur; quàm etiam ad efficienda bona & mala amicorum communia. Nota, Theotime, quòd id, quod dicitur de compaſsione, per multùm illuſtret illud, quod reſpicit complacentiam.

Compaſſio trahit ſuam magnitudinem ex magnitudine amoris, quam ipſe amor produxit, Hoc modo magnę ſunt cōpaſſiones, magna cordolia Matrum ob afflictiones filiorum ſuorū, maximè autem ſi ſint vnigeniti, vti ſæpe ſacræ litteræ teſtantur: quem non ſenſit dolorem Agar ob filium Iſmael, quem intuebatur in deſerto fere ſiti morientem? Quâ commiſeratione tacta non fuit anima Dauidis ſuper miſeriam & ſtultitiam ſui Abſolonis? Hem! nónne vides maternum Apoſtoli cor infirmantis cum infirmis, & vſti Zelo, pro ijs, qui ſcandalizabantur, continueq; dolentis, ob perditionem & reprobationem Iudæorum, quin & quotidie morientis pro charis ſuis filijs ſpiritualibus? (2. Cor 11. v. 29) Verùm comprimis conſidera, quomodo amor, omnes pænas, tormenta, labores, vulnera, dolores, compaſſiones, cruces & tandem mortem ipſam noſtri Saluatoris trahat in cor Sacratiſſimæ Matris. Eheu! illi ipſi claui, qui crucifixerunt corpus diuini eius Filij, etiam cor afflictiſſimæ Matris crucifixerunt! illæ ipſæ ſpinæ, quæ infixæ ſunt capiti Filij, etiam dulciſſimæ Matris transfixerunt & pertranſierunt animâm. Eâdem menſurâ, quâ Filius dolorem,

Digitized by Google

rem, habuit illa commiſerationem, ſicut & eoſdem dolores quin & eaſdem paſsiones per compaſsionem.

Paucis, gladius mortis, qui transfixit corpus dilectiſsimi eius Filij, idem tranſuerberauit cor amantiſsimæ Matris. Vnde perappoſitè dicere poterat: *Dilectus meus mihi inter vbera mea commoratur:* id eſt, in medio tum pectoris, tum cordis. Cant. Canti. 1.12. Cùm Jacob Patriarcha accepiſſet triſtem, licet falſum, nuncium de morte filij ſui Joſeph, noſti quanto dolore affectus fuerit. *Deſcendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum*. Gen. 37 34. hoc eſt, ad Lymbum, ſeu ſinum Abrahæ, vbi credo eſſe filium meum.

Compaſsio trahit etiam ſuam magnitudinem ex magnitudine dolorum, quibus aduertimus affligi eos, quos amamus. Nam licet exigua ſit amicitia, tamen ſi mala, quæ videmus tolerari ab amicis, ſunt magna, ad magnam nos commouent commiſerationem. Vnde videmus à Cæſare defleri Pompeium; ſicut & à filiabus Hieruſalem, tempore paſsionis Chriſtum, tam miſero in ſtatu poſitum: eſto complures earum non magnopere afficerentur erga illum. Amici etiam Job, quamuis contrarij, tamē videntes eū incomparabilis miſeriæ exhibere ſpectaculum, malo eius ingemuerunt. Et quanto putas dolore in dies cor Jacob Patriarchæ lancinabatur, dum animo reuolueret filij ſui mortem tam crudelem, quàm fuit, credere *eum deuoratum à feris peſsimis?* Verùm, commiſeratio præter omnia iſta, mirum in modū roboratur ex præſentia obiecti, quod quis patitur. Ob hoc, miſera Agar recedebat à languente, & propè animam agente filio ſuo, vt compaſsionis ſuæ dolorem modo aliquo ſubleuaret quando dicebat: *non videbo filium meum morientem*. Sicut è contrario Chriſtus plorat videns ſepulchrum amici ſui Lazari; & charam ſuam ciuitatem Hieroſolymam; & ſæpius dictus Patriarcha Jacob miro tangebatur dolore quotieſcunque filij ſui Joſephi cruentatam veſtem intuebatur.

Porrò, quantò plures ſunt cauſæ augentes complacentiam iuxta modum & menſuram quā amicum diligimus, tantò magis gaudemus ex eius bono; quòd quò eſt excellentius, eò etiam excellentior eſt complacentia, quam ex ipſa capimus. Sin autem amicum eo bono fruentem conſpicimus, gaudium hoc noſtrum in immenſum excreſcit. Vbi Patriarcha Jacob reſciuit filium ſuum viuere, Deus bone, quæ eum non inuaſit Ge. 46. 28.

 lætitia?

lætitia? Sed nota eius verba: *reuixit ſpiritus eius*, ait ſacer textus: *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: Vadam & videbo illum antequam moriar.* Sed quid eſt dicere, ſpiritus eius reuixit? Theotime, ſpiritus non moriuntur propriâ morte, ſed per peccatum ſolùm, quod ſeparat à Deo, qui eorum vera eſt vita ſupernaturalis; moriuntur autem ſubinde morte alienâ: & hoc contigit probo Patriarchæ Jacob, dequo nobis eſt ſermo. Amor enim, qui in cor amantis attrahit bonum, & malum ex re amata; vnum quidem per complacentiam, alterum autem per commiſerationem traxit mortem amabilis Joſephi, in cor amantis Jacobi. Et hoc per miraculum quod nulla potētia alia patrare valet quàm amoris. Anima probi iſtius Patriarchæ plena erat mortis illius (qui tamen viuebat & regnabat) in quantum ſcilicet affectio, quæ decepta fuerat, effectum denunciabat.

Porrò, quando è contrario ſciuit verè filium ſuum viuere, amor, qui tanto tempore creditam filij mortem in Patris anima detinuerat: aduertens ſe fuiſſe deceptum, ſubitò innoxiam iſtam mortem eliminans, eius loco veram ipſiuſmet filij vitam collocauit. Atque ita reuixit vitâ nouâ, quia vita filij intrârat per complacentiam in eius animam, eandemque gaudio nulli ſecundo animabat. Quo gaudio cùm expleta eſſet dicta anima ſecundum omnem capacitatem cordis, nullo is loco habens omnes alias delectationes & gaudia comparatione iſtius: *ſufficit mihi, inquit ille, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit. Vadam & videbo illum antequam moriar*: verùm, quando proprijs ſuis oculis per experientiam vidit veritatem
Gen. 36 magnitudinis & excellentiæ chari ſui filij *in terra Ieſſen, irruit ſuper collum eius,*
v. 30. *& inter amplexus fleuit* dixitque ad Joſeph, inquit ſacer textus, *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* O Theotime, quantâ anima eius inceſsit lætitiâ, & quàm hic excellenter illam expreſsit! Quid enim ſibi vult per hæc verba, *nunc moriar lætus, ſiquidem vidi faciem tuam,* niſi quòd eius lætitia tanta erat, vt poſſet lætam & gratam ipſam mortem efficere, cùm tamen rerum omnium ſit terribiliſsima? Dic age, Theotime, quis magis ſentit bonum Joſephi, illéne qui eo fruitur, an verò Jacob, qui de eo lætatur? Equidem ſi bonum ſolùm eſt bonum, eò quòd nobis pariat gaudia, Pater tanto fruitur, imò maiore, quàm filius: nam filius cùm dignitate vice Regis, quâ condecoratus erat, multis conſequenter in adminiſtrandis negotijs afficiebatur curis & ſolicitudinibus;

bus; verùm Pater per complacentiam eodem bono fruitur, & id purè poſsidet, quod bonum eſt in excellentia & dignitate filij ſui; & hoc abſq; onere, abſque ſolicitudine & labore. *Moriar lætus inquit ille;* ecquis amabò non videt in homine hoc plenum gaudium! ſi ne ipſa quidem mors valet turbare eius lætitiam, quid obſecro poterit vnquam eam turbare & alterare? Si eius anima viuit quietè inter ipſas mortis anguſtias, ecquis aliquando poterit eam extinguere? AMOR & DILECTIO eſt FORTIS velut MORS, & gaudia amoris ſuperant triſtitiam mortis, quia mors illa nequit è medio gaudia tollere, imò ea facit viuere. Quemadmodum ignis qui, non ſine miraculo ſe nutrit in fonte quodam prope Gratianopolim (de quo igne præterquam quòd certò nobis conſtat, ipſe S. Auguſtinus id teſtatur) ita charitas fortis eſt, vt ſuas flammas & conſolationes in medio horribilium anguſtiarum mortis nutriat; & taliter quidem nutriat, vt ne aquæ quidem tribulationum eum valeant extinguere.

De condolentia ſeu compaſſione, & complacentia Amoris in paſſione Domini.

CAPVT V.

DVM Saluatorem meum ſuper montem Oliuarum video & audio dicentem: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem:* Eheu! mi dulis IESV, quid aliud dicere poſſum, quam ecquis triſtitiam mortis intulit in animam ipſiuſmet VITÆ, niſi amor; qui excitans commiſerationem, per illam ipſam traxit noſtras miſerias in eximium cor tuum? Fierine poteſt, vt anima deuota intuens abyſſum afflictionum & & anguſtiarum in hoc diuino amante maneat ſine ardente, ſed & ſimul ſine ſancto amore? At conſiderans alio ex capite, quod omnes afflictiones ſui dilecti non procedant ex aliqua imperfectione, nec defectu fortitudinis alicuius, ſed ex magnitudine eximiæ dilectionis, non poteſt non reſolui tota quanta in amorem dolore plenum, & exclamare: *Nigra ſum ex dolore, ſed per compaſsionem ſum & formoſa ex dilectione, per complacentiam. Angores, dilecte mi, me decolorârunt: qui enim poſſit anima fidelis,*

fidelis, & ſimul amans videre tot tormenta in eo, quem amat plus quam propriã vitam, & non angi animo, torreri & exſiccari ingenti doloris igne? Papiliones Nomadum perpetuis cæli belliqúe iniurijs expoſiti, ferè ſemper ſunt ſarti, & puluere obducti; & ego expoſita intimis animi doloribus, quos per compaſsionem ex maximis diuini mei Saluatoris afflictionibus ſuſtineo, tota quanta cooperta ſum anguſtijs & transfixa doloribus. Verùm quia dolores illius, quem amo, ex eius proueniunt amore, quantum me affligunt per compaſsioné, tantùm me delectant per complacentiam. Nam qui poſſet fidelis amatrix nõ omnibus exilire gaudijs dum intuetur ſe à ſuo ſpõſo cæleſti vnicè amari? Ob id igitur pulchritudo amoris, eſt in turpitudine doloris. Eſto lugeam quàm maximè paſsionem & mortem mei Regis, tota quanta fuſca exuſta & deſiderijs denigrata, non ideo deſino ſentire incomparabilem dulcedinem, dum video exceſſum eius amoris in medio cruciatuum & dolorum. Tentoria Salomonis, licet eleganti Phrygionum artificio, & admiranda diuerſitate operum elaborata fuerint, non tot tamen in ijs eximiæ pulchritudinis viſebantur varietates, quot ego in ſumma ſemper dulcedine, amabilitate, & gratiſſima ſenſuum amoris varietate, & hoc in medio dolorum, in me experior. Amor æquat amantes: Eheu! video meum dilectum, qui eſt ignis amoris, ardens in ſpinoſo doloris dumeto; ſed ego ſimiliter tota quanta flãmis amoris in ſpineto dolorum flammis accenſa ardeo; ſum LILIVM inter SPINAS. Ne velitis reſpicere tantummodò horrores pungentium meorum dolorum, ſed etiam reſpiciatis velim pulchritudinem amabilium meorum amorum. Eheu! dilectus meus eos ſuffert dolores, quos nullus alius ſufferre poſſet. Hoc, hoc eſt, quod me afficit dolore, & in deliquium animi deijcit. Verùm volupe illi eſt amore mei ferre tormenta; quin & lætus moritur, dum dolore moritur, vt viuam ego. Quare, vt doleo ob eius dolores, ita etiam tota quanta eius amore læta rapior: Nec tantùm afficior cum illo triſtitiâ ſed etiam omnibus incedens lætitijs, in illo glorior.

Iſte amor, Theotime, fuit, qui ſacra ſtigmata in Seraphicum Amatorem ſanctum Franciſcum, & ſimiliter in Angelicam Amatricem ſanctam Catharinam Senenſem dolore ardentia Saluatoris vulnera attraxit, complacentiâ amoroſâ compaſſionis doloroſæ cuſpides exacuente, eo ferè modo, quo mel penetrabiliorem, & ſenſibiliorem abſynthij amaritu-

Digitized by Google

amaritudinem efficit; & contrà, ſuauior & ſubtilior euadit odor roſarum ex vicinitate alliorum, ſi locentur ſeu defodiantur iuxta roſeta; nam amoroſa complacentia, quam traximus ex amore Saluatoris, reddit infinities fortiorem paſsionem, quam ex eius doloribus haurimus; ſicut & reciprocè, tranſeuntes ex compaſſione dolorum, ad complacentiam amorum, delectatio longè eſt ſuauior, feruentior, & illuſtrior: tunc enim in praxin deducitur dolor amoris, & amor doloris, tunc compaſſio amoroſa, & complacentia doloroſa velut Eſau & Jacob, dum ſe collidunt in vtero animæ, & tentant penes quem eorum futura ſit victoria, incredibiles conuulſiones & agonias eidem animæ creant: vnde ecſtaſis quædam velut amanter doloroſa, & doloroſè amoroſa exoritur. Et hoc modo MAGNÆ & ELECTÆ illæ animæ S. Franciſcus & S. Catharina incomparabiles ſentiebant amores in ſuis doloribus, & ſimiliter dolores in ſuis amoribus, quando ſanctis ſtigmatibus Saluatoris inſigniebantur, læti deguſtantes, & experientes quàm ſuaue ſit pro amico pati ex amore: quem amorem Saluatorem in ſupremo amoris gradu in ligno crucis ſuſpenſum exercuiſſe meminerant. Ita oritur pretioſa vnio cordis noſtri cum corde diuino, quæ, velut myſticus Beniamin, eſt filius doloris & ſimul gaudij.

Non poteſt verbis efferri, Theotime, quantopere Saluator deſideret intrare animas noſtras per iſtum amorem doloroſæ complacentiæ. Amabò, inquit ille; *aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ecquis eſt ros iſte, & guttæ illæ noctium, niſi afflictiones, & dolores eius paſsionis? Certè margaritæ, (vti ſæpe diximus) nihil ſunt aliud, quàm guttæ roris, quæ beneficio algoris ſeu frigoris nocturni ſuper faciem maris demiſſæ, recipiuntur inter ſquamas oſtrearum ſeu matrum margaritarum. Eheu! quaſi vellet dicere diuinus amator animæ, impensè oneratus ſum doloribus & ſudoribus meæ paſsionis, quæ vel in tenebris noctis, vel in nocte tenebrarum, quas ſol ſuos abdens radios, in incitatiſsimo ſuo meridiano curſu fecit, tranſacta eſt. APERI IGITVR COR TVVM, *ô amica mea ſponſa*, ex parte mea, ſicut oſtreæ margaritarum ſuas ſquamas ex parte ſolis aperiunt, & ſuper te effundam rorem meæ paſſionis, qui conuertetur in margaritas conſolationis.

Digitized by Google

De amore beneuolentiæ, quam exercemus erga DEVM per modum deſiderij.

Capvt VI.

DEVS amorem, quem exercet aduerſum nos, ſemper inchoat per beneuolentiam, in nobis volens, & producens omne id bonum, quod habemus: quo in bono poſtea ſibi mirè complacet. Fecit Dauid Regem ſecundum cor ſuum per beneuolentiam, deinde eundem ſecundum idem cor ſuum inuênit per complacentiam. Omnium primò creauit vniuerſum propter hominem, & in vniuerſo hominem; tribuens vnicuique rei gradum bonitatis conuenientem per puram beneuolentiam: poſt approbauit omne id quod fecerat, & videns totum eſſe bonum per complacentiam, requieuit ab opere ſuo.

Verùm amor noſter erga Deum contrario modo incipit, per complacentiam ſcilicet, quam habemus in ſuprema bonitate, & infinita perfectione, quam conſtat nobis eſſe in diuinitate; deinde venimus ad exercitium beneuolentiæ. Et ſicut complacentia, quam habet Deus ex & in ſuis creaturis nihil aliud eſt, quàm beneuolentiæ continuatio aduerſus eaſdem; ita beneuolentia quâ in Deum ferimur, non eſt res alia, quàm approbatio complacentiæ & perſeuerantia in eadem quam in eo repoſitam habemus.

Porrò amor hic beneuolentiæ erga Deum, hoc modo exercetur. Nequimus vero deſiderio aliquid boni Deo deſiderare, eò quòd eius bonitas infinities perfectior ſit, quàm poſsimus vel deſiderare, vel cogitare. Deſiderium autem non eſt niſi de bono futuro, nullum autem bonum futurum eſt in Deo: omne ſiquidem bonum ita eſt illi præſens, vt præſentia boni in diuina eius Maieſtate aliud non ſit, quàm ipſamet diuinitas. Cùm igitur non valeamus facere aliquod abſolutum deſiderium pro Deo, facimus imaginaria & conditionalia hunc in modum: *Dixi Domino, Deus meus es tu,* qui plenus infinitâ tua bonitate, nullius habes indigentiam, & ex conſequenti, *bonorum meorum non eges,* nec rei alicuius: at ſi per imaginationem rerum impoſſibilium poſſem cogitare te re aliqua indigere, nunquam ceſſarem illam tibi exoptare, eſto ea res vitâ & exiſtentiâ

exiſtentiâ propriâ, quin & omni eo, quod in mundo eſt, eſſet comparanda. Quod ſi tu exiſtens id quod es, & quod non potes non eſſe, eſſet poſsibile, vt augmentum alicuius boni poſſes recipere, ò mi Deus, quanto tenerer deſiderio id tibi procurandi! Tunc ò æterne Deus, vellem cor meum conuerti in votum, & vitam meam in ſuſpirium, vt tibi bonum hoc deſiderarem. At quia, ò dilectæ animæ meæ, non deſidero poſſe me deſiderare aut exoptare bonum tuæ Maieſtati, mihi ex toto corde complaceo in ſupremo gradu bonitatis tuæ, cui nihil omnino, neque etiam per cogitationem poteſt addi. Verùm, ſi deſiderium hoc eſſet poſsibile, ò INFINITA DIVINITAS, ò DIVINA INFINITAS, vellet anima mea eſſe hoc deſiderium, & aliud nihil! tam ea deſideraret pro te deſiderare id, in quo ſibi infinitè complacet, quod non poſsit tibi deſiderare! impoſsibilitas ſiquidem faciendi hoc deſiderium prouenit ex infinita infinitate tuæ perfectionis, quæ ſuperat omne votum & omnem cogitationem. enibrando atque iaculando huiuſmodi amoris tela: Ah! quantopere amo impoſsibilitatem tibi optandi & deſiderandi aliquid boni ô mi Deus, quandoquidem illa prouenit ex incomprehenſibili immenſitate tuæ abundantiæ, quæ eſt adeò infinita, vt ſi inueniretur deſiderium infinitum, infinities ſatiaretur per infinitatem bonitatis tuæ, quæ illud conuerteret in infinitam complacentiam. Vnde notes velim deſiderium hoc, quod concipitur per imaginationem rerum impoſsibilium, poſſe nonnunquam inter ſenſus inſigniter ſpirituales, & feruores extraordinarios vſurpari. Et hoc exemplo S. Auguſtini, quem ferunt tali modo ſæpe feciſſe, *mi DEVS, ego ſum Auguſtinus, & tu DEVS, verùm ſi, quod tamen non eſt, nec eſſe poteſt, eſſem DEVS, & tu Auguſtinus, vellem tamen ego, mutando tecum conditionem, eſſe Auguſtinus, vt tu eſſes DEVS.*

Eſt & adhuc aliud genus beneuolentiæ erga Deum, quando conſiderantes quod nequeamus Deum in ſemetipſo augere, deſideramus eum in nobis amplificare, id eſt, maiorem ſemper & maiorem efficere complacentiam, quam in & ex eius bonitate habemus. Et tunc, mi Theotime, non expetimus complacentiam ob delectationem & gaudiū, quod ille nobis confert, ſed ideò ſolùm, quod delectatio hæc ſit in Deo. Nam vti non deſideramus compaſsionem ob dolorem, quem trahit in noſtra corda, ſed ideò quod dolor iſte nos vnit, & coniungit

Digitized by Google

doloroſo dilecto noſtro, ita non amamus nos complacentiam, in quantum illa nobis confert gaudium, ſed in quantùm gaudium hoc accipitur in & ex vnione gaudij & boni, quod eſt in Deo, cui, vt arctius vniremur, vellemus placere ex complacentia infinities maiore, ad imitationem ſanctiſsimæ Reginæ, & Matris ipſiuſmet Amoris, cuius ſacra anima magnificabat, & perpetuo Deum extollebat; atq; vt intelligeretur iſtam exaltationem fieri per complacentiam, quam habebat in diuina bonitate, declarat ſpiritum ſuum exultare gaudio, quod habebat in Deo ſalutari ſuo.

Quomodo deſiderium exaltandi & magnificandi DEVM, ab oblectationibus & delectationibus terrenis nos abſtrahat, & ad perfectiones diuinas attentos reddat.

Capvt VII.

AMor igitur beneuolẽtiæ facit, vt in nobis magis & magis ſemper augmentũ cõplacentiæ in & ex bonitate diuina deſideremus. Et quidẽ, vt anima amplificationem iſtam complacentiæ in nobis efficiat, ſolicitè ſe priuat omni alio gaudio, vt ſit expeditior ad placendum Deo. Religioſus quidam petijt à deuoto fratre Ægidio, vno è primis & ſanctioribus comitibus S. Franciſci, quid ſibi eſſet faciendum, vt gratior Deo, efficeretur. Reſpondit Ægidius cantando. Vna ad vnvm, vna ad vnvm ſcilicet anima ad Deum. Quod poſtea explicans dixit: da ſemper totam tuam animam, quæ vna eſt, Deo ſoli, qui & ipſe vnus eſt. Anima per delectationes diffluit & earum diuerſitate abſtracta diſsipatur & impeditur, quò minus attentè & integrè ſe poſsit illi vni & ſoli delectationi applicare, quæ ex Deo ſolo eſſet capienda. Verus enim amator vix vllum capit gaudium, niſi
Philip. in re amata. Hoc modo glorioſus Apoſtolus Paulus, *omnia vt ſtercora Chri-*
3. v. 8. *ſto collata arbitrabatur.* Et ſacra ſpõſa quæ tota eſt pro ſuo dilecto quid agit! *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quodſi animæ, quæ ſic affecta eſt, occurrant creatu-

creaturæ, quantumuis ſint excellentes, imò ſint ipſi Angeli non illis adhærebit, niſi quatenus adiuuare, & promouere poſſunt eius deſiderium. *Dicite mihi* igitur, inquit illa, *dicite inquā mihi, adiuro vos, ſi vidiſtis dilectū animæ meæ.* Glorioſa & pia amatrix Magdalena obuios habuit Angelos circa ſepulchrum, qui dubio procul ei locuti ſunt Angelicè, id eſt, ſuauiter, quippe volentes tollere, vel mitigare afflictionem, quam ægro gerebat animo, ſed contrarium accidit. Nam tota cooperta lachrymis, neq; ex eorum verbis, eſto ſuauiſſimis, neque ex ſplendore veſtimentorum, neque ex gratia tota quanta cæleſti, quæ ex eorum habitu ac ſtatu reſplendebat; neque denique ex amabili decore eorum vultûs, vllam capere potuit complacentiam. Sed plena lachrymis dixit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum:* & vertens ſe vidit dulcem ſuum Saluatorem, ſed in forma hortulani, quâ eius animo flagranti deſiderio videndi Dominum, minimè ſatisfactum eſt: quia ſcilicet plena dolore mortis ſui Magiſtri, non vult flores, nec conſequenter hortulanum: eius enim animum crux, claui, ſpinæ, occupârant; VNVM, VNVM quærit illa CRVCIFIXVM. Ah! mi chare Domine hortulane, ſi forte vitâ functum dilectum meum Dominum, velut lilium contuſum & marcidum inter tuos flores plantaſti, *dicito mihi, & ego illum tollam.* Verùm illam ſuo non prius compellat nomine, quam penitus verſa ſit in gaudium: MARIA: Ioann. & illa: RABBONI. Nihil profectò eam poterat ſatiare, neque illi pla- 20. 16. cere, nec commoratio quidem cum Angelis, imò ne cum ipſo quidem Saluatore, niſi exiſtente in forma, in qua olim ei cor rapuerat, & adhuc raptum detinebat. Reges ſeu Magi, neque in pulchritudine ciuitatis Hieroſolymitanæ, neq; in magnificentia aulæ Herodianæ, neq; demum in claritate apparentis ſtellæ complacere ſibi poterāt: eorum cor & animus quærebat paruam ſpeluncam & Infantem Ieſum in Bethleem. *Mater* Luc. 2. *pulchræ dilectionis,* & ſponſus ſancti amoris inter cognatos & notos, amiſſo v. 44. IESV, non valebant commorari: dolentes requirunt eum vnicum, qui obiectum erat ſuæ complacentiæ. Deſiderium augendi ſanctam complacentiam reſecat omne aliud gaudium, vt maiori cum efficacia exerceat illud, ad quod diuina beneuolentia excitat.

Porrò vt ſummè bonus, ſummeq; dilectus ſponſus adhuc accuratius meliuſq; magnificetur, ſponſa nullum non mouet lapidem, vt inuentam eius faciem intueatur, id eſt ſemper maiori & ardentiori cum attentione

Digitized by Google

tione conſideret particulatim ornamenta, decora & perfectiones, quæ in eo viſendæ ſunt, inueſtigans media & motiua, quibus continue incitetur ad magis & magis ſibi complacendum in incomprehenſibili eius bonitate, quem medullitus amat. Sicut Dauid in compluribus ſacris ſuis pſalmis, per partes & minutim opera & admirabilia Dei deſcribit, & adnotat; ita ardens amoris igne ſacra ſponſa in canticis dirigit, velut aciem pulcherrimè ordinatam omnes perfectiones ſui ſponſi ad prouocandam animam ad ſanctiſſimam complacentiam, & ad magnificentius exaltandam eius excellentiam, nec non ad inducendas magis magiſque alias animas ad amorem, & ſubiectionem amabilis ſui ſponſi.

Quomodo ſancta beneuolentia producat honorem ſeu laudem dilecti caleſtis.

Caput VIII.

Honor, mi Theotime, non eſt in eo, qui honoratur, ſed in illo, qui honorat. Quoties enim euenit eum quem honoramus non modò non ſcire nos id ei præſtare, ſed ne cogitare quidem? quoties eos laudibus extollimus, qui nos non nôrunt, vel, ſi nôrunt, tunc dum laudamus, dormiunt? Et tamen ſecundum communem hominum exiſtimationem & conſuetum modum res concipiendi, videtur magnum quid boni alicui præſtari & donari, quando ei defertur & laudum tituli attribuuntur. Nec tergiuerſamur dicere, hunc aut illum honore, gloriâ, famâ, laude eſſe diuitem, eſto probè & verè ſciamus totum id eſſe extra eum, qui honoratur, nihilq; ex eo emolumenti recipere, iuxta id, quod attribuitur S. Auguſtino: *O miſer Ariſtoteles, laudaris vbi non es, & vbi es, cruciaris?* Quid amabò Cæſari, & Alexandro Magno boni accidit ex eo, quòd tot verba vana complures leuiculi homines eorum laudibus attribuunt?

Deus pleniſſimus bonitate, quæ exſuperat omnem laudem & honorem, nihil emolumenti, nihil auctuarij, ex omnibus laudum encomijs, quas ei decantamus, accipit. Certè ex eo, neque ditior, neque maior, neq; lætior, neq; etiam felicior efficitur, quia eius felicitas, gaudium,

magni-

magnitudo & diuitiæ non ſunt aliæ, neq; eſſe poſſunt, quàm infinitas diuinæ bonitatis. Nihilominus tamen, quia ſecundum ordinariam noſtram apprehenſionem, honor habetur vnus è maximis effectibus noſtræ beneuolentiæ, aduerſus alios, & cum exhibendo non modo non præſupponimus indigentiam in eis, quos honoramus, ſed proteſtamur potius eos perexcellentes eſſe, ideoq; conari & ſtudere die noctuq; debemus hoc beneuolentiæ genus in DEVM conferre: qui non ſolùm ſibi delatum acceptat, gratumq; habet, ſed etiam, vt maximè conforme, & ita proprium noſtræ conditioni, ad teſtandum amorem, quem ei, tum gratitudinis, tum ſubiectionis titulo debemus, vt ſibi vni & ſoli digno honore deferri præceperit.

Anima itaq; quæ magnam complacentiam ex infinita DEI perfectione conſecuta eſt, animaduertens non poſſe ſe ei augmentum bonitatis exoptare, cò quòd infinities plus ille habeat, quàm illa, non dico ei deſiderare, ſed ne excogitare quidem valeat: minimùm deſiderat, vt eius nomen benedicatur, exaltetur, laudetur, honoretur, & denique ſemper magis ac magis adoretur. Et incipiens ipſa à proprio ſuo corde non ceſſat illud ad ſanctum hoc exercitium prouocare; quin & velut ſacra apicula, volitat huc & illuc ſuper flores operum & excellentiarum diuinarum, colligens ex illis dulcem varietatem complacentiarum, ex quibus mel cæleſtium benedictionum, laudum, honorificarumq; confeſſionum educit & componit, per quas, quantùm valet, magnificat glorificatq; nomen ſui dilecti, ad imitationem eximij Pſalmiſtæ Dauid, qui çùm velut corona circumdediſſet, & quaſi in impetu ſpiritûs percurriſſet admirabilia diuinæ bonitatis opera, ſuper cordis ſui altare immolabat hoſtiam myſticam vociferationis & exaltationis vocis ſuæ per cantica, nec non pſalmos admirationis & benedictionis. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo & pſalmum dicam Domino.* Pſal. 26. 6.

Verùm aduerte, Theotime, deſiderium laudandi DEVM, quod in animis noſtris excitat beneuolentia, prorſus eſſe inſatiabile: anima enim quæ hoc genere laudis capta eſt, vellet infinitam copiam encomiorum habere, vt ea decantaret ſuo dilecto; quia videt eius perfectiones eſſe plus quàm infinitas. Vnde deprehendens ſe minime eſſe idoneam ad ſatisfaciendum ſuo voto, tentat ſummos cordis & affectionis conatus, vt quoquo tandem modo laudet omni ex parte laudabilem eius bonitatem.

tem. Hi autem beneuolentiæ conatus admirando modo ſe adaugent per complacentiam. Nam quantò in altiori gradu anima inuenit Devm bonum, deguſtans magis ac magis eius ſuauitatem, ſibiq; complacens in infinita eius pulchritudine, tantò etiam altius vellet exaltare laudes & benedictiones, quas ei tribuit, dicatque. Porrò etiam quâ menſurâ anima incaleſcit ad laudandam dulcedinem incomprehenſibilem Dei ſui, etiam auget dilatatq; complacentiam, quam ex illa accipit: & per augmentum iſtud, illa ſe magis ac magis ſemper animat ad laudes eidem dilecto ſuo depromendas. Ita vt affectio complacentiæ, & laudis per impulſiua reciproca, & mutuas incitationes ac prouocationes, quas habent inter ſe, ſibi inuicem conferant magna & continua augmenta.

Et hoc ferè ad inſtar philomelarum quæ in ſuo cantu adeò ſibi cõplacent, auctore Plinio, vt propter illam complacentiam ſpatio quindecim dierum & totidem noctium non ceſſent garrire, & more ſuo cantillare, conantes ſemper melius & melius, velut ad inuidiam vſque concertare. Ita, vt quantò melius cantando ſe alterant, vel vocem ſuam mutando vocem alterius dum eam imitantur, aſſumunt magis ſibi complaceant. Et quidem augmentum iſtud complacentiæ eas inducit ad magnos conatus tentandos, vt melius ſemper cantillando, ſocias ſuperent, adeo augentes complacentiam per ſuum garritum, & viciſſim garritum per complacentiam, vt non rarò mortem ſibi cõſciſcant, & guttur nimio conatu, nimiaq; vi adhibitâ ſibi diffringant. Dignæ profectò aues nomine philomelæ! ſiquidem in amore, & propter amorem ſuæ melodiæ mortem appetunt.

Hem, Theotime, quàm impensè delicioſum dolorem, & eximiè doloroſam dulcedinem recipit cor, quod tangitur ardenti affectu laudandi Deum, & tamen poſt ſexcentos conatus id præſtandi pro dignitate ſe minus efficax & forte deprehendit. Eheu! vellet miſera iſta philomela ſemper altius vibrare ſuos accentus, & ſuam melodiam ad apicem vſque perfectionis attollere, vt hymnos & laudes ſui dilecti poſſet melius & melius ſemper decantare: & ne dubita, quò excellentius eum laudat, eò magis ſibi complacet laudando; quò item magis ſibi cõplacet laudando, eò magis ſibi diſplicet, quod non poſſit adhuc melius laudare; & vt ſibi hac in paſsione optimo quò poteſt modo ſatisfáciat, nihil non adhibet, nihil non tentat, nullam licet perdifficilem non ingreditur

ditur viam: inter quæ languentem nonnunquam contingit cadere. Sicuti contigit glorioſo S. Franciſco, qui in medijs gaudijs (quibus mirè afficiebatur) Deum laudando, eique cantando ſua amoris cantica, copiosè fundebat lacrymas, &, ſi quid manu tenebat, ex debilitate ſæpe cadere ſinebat, remanens ipſe, vt ſacra quæpiã luſcinia, omni adeò vigore exut⁹, vt reſpirationem ex nimio ſtudio & auiditate aſpirandi ad laudandum eum, quem nunquam ſatis laudare poterat, perderet.

Audi autem gratam ſimilitudinem ea de re, ductam ex nomine, quo ſanctus hic amator ſuos Religioſos compellabat: eos enim cicadas vocitabat: eò quod media nocte Dei laudes decantarent. Cicadæ, Theotime, habent pectus plenum tubis, quo fit, vt videantur organa naturalia; & vt melius cantent rore ſolo ſuſtentantur, quem quidem minimè ore excipiunt, (eo enim carent) ſed ſugunt linguulâ, quam in medio ſtomachi gerunt. Per hanc omnem ſuum ſonum tanto emittunt clamore, vt nihil præter vocem eſſe videantur. Iis ſimilis eſt ſacer amator: nam omnes eius animæ facultates ſunt tubi, quos gerit in pectore, ad decantandas laudes & cantica ſui Dilecti: eius autem deuotio in medio illorum, eſt lingua illius cordis, ſecundum S. Bernardum, per quam recipit rorem perfectionum diuinarum, eum ſugens & ad ſe attrahens, vt proprium alimentum; & hoc per ſanctiſſimam complacentiam, quam inde accipit. Et per iſtam eandem deuotionis linguam excitat omnes voces ſuarum orationum, laudum, canticorum, pſalmorum & benedictionum, iuxta teſtimonium vnius maximè inſignis cicadarum Spiritualium, quæ vnquam cantando audita eſt: cantabat autem hoc modo. *Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

Nónne enim idem hoc eſt, ac ſi dixiſſet? Sum ego cicada myſtica: anima mea, ſpiritus mei, cogitationes meæ, omneſque facultates, quæ intra me collectæ ſunt, ſunt organa. ô vtinam omnia benedicant nomen, & reſonare faciant laudes Dei mei! vt cecinit Dauid:

Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti & lætentur.

Qualiter beneuolentia nos inducit ad inuitandas omnes creaturas ad DEI laudes decantandas.

Capvt IX.

ANimus captus & inflammatus ardentiore deſiderio laudandi diuinam bonitatem, quàm eius vires ferant, poſt multiplices conatus, perſæpe è ſemetipſo egreditur ad inuitandas omnes creaturas, ſibi vt ſubſidiò veniant ad obtinendum, & executioni mandandum id, quod animo concepit. Vti videmus tres pueros exiſtentes in fornace Babylonica, in admirabili illo cantico benedictionum feciſſe, dum per illud quicquid in cælo, quicquid in, & ſub terra eſt, excitant & inuitant ad agendas æterno Deo gratias, excellenter eum laudando & benedicendo. Ita & glorioſus Pſalmiſta, motus affectu & paſſione quâ inordinatè quidem, ſed ſanctè ferebatur ad Deum laudandum nullo ſeruato ordine, ſaltat de cælo in terram, & viciſſim de terra ſcandit cælum, promiſcuè aduocans Angelos, piſces, montes, aquas dracones, aues, ſerpentes, ignem, grandinem, niuem, pruinam nebulam, &c. congregat ſuis votis omnes creaturas, ſimul vt omnes conueniant, & concordent, ad piè magnificandum ſuum Creatorem; aliæ quidem per ſemetipſas diuinas laudes celebrando; aliæ autem præbendo occaſionem & argumentum eum laudandi per admirabiles ſuas differentias, & proprietates, quæ manifeſtant magnitudinem ſui factoris, ita vt Pſaltes Regius compoſitis magno numero pſalmis hac cum inſcriptione: Lavdate Devm; & deinde, facto mentis diſcurſu per vniuerſas creaturas, eas ad deprædicandam maieſtatem diuinam inuitet, ſimulque inſinuet, aſſignet, & velut procuret magnam varietatem mediorum & inſtrumentorum celebrandis æternæ bonitatis laudibus propriorum; tandemque quaſi in terram cadens, halitu & reſpiratione deficientibus totam ſuam ſacram pſalmodiam hac vocis euibratione & eiaculatione, concludat: Omnis spiritvs lavdet Dominvm: id eſt, quicquid vita præditum eſt, non aliò fine viuat, neque reſpiret, niſi ad benedicendum Creatorem, & hoc

Digitized by Google

hoc iuxta animos, quos aliàs ijs addere intenderat. *Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipſum.* Pſ.33.

Hoc modo eximius S.Franciſcus cantauit canticum Solis,& ſexcenta alia excellentiſsimarum laudum præconia, vt cordi ſuo languenti, creaturæ properarent ferre auxilium, eò quòd iuxta votum animæ ſuæ charum ſuum Saluatorem pro merito non poſſet laudare. Ita etiam cæleſtis ſponſa propè emortua inter violentos aſſultus, quos faciebat ad benedicendum & magnificandum dilectum cordis ſui Regem: *ehodum, clamabat illa ad ſuas comites; adeſte, quia adeſt diuinus ſponſus, qui me per contemplationem duxit ad cellam vinariam, iubens me deguſtare incomparabiles delicias perfectionum ſuæ excellentiæ.* In hac cella vinaria ita me dilui, & ſanctè,per complacentiam, quam ex iſta pulchritudinis abyſſo traxi, inebriaui,vt anima mea tota ſit languida, totaque ſaucia ex vehementiſſimi amoris deſiderio, quo impellor ad celebrandam ſine intermiſſione tam eminentem bonitatem. Agitedum,venite, properate, obſecro, in auxilium miſero cordi meo, quod nunc totum quantum tabeſcit languore: amabò, ne penitus concidat,illud ſuſtentate,*fulcite floribus,ſtipate malis,* confortate, roborate fomentis, alioquin animo deficiens, & languens amore iam iam concidet: complacentia enim trahit in id ſuauitates diuinas, quibus ſe ita ardenter replet,vt illud iã abſorberi videatur; at verò amor beneuolentiæ idem noſtrum cor facit egredi à ſe & ex ſe ipſo, & illud ipſum abire facit in vapores ſuauiſsimi omnis generis odorum, id eſt in omnia ſanctarum laudum encomia, & cùm non poſſit tantum laudare, quantum vellet, ô inquit, veniant amabò omnes creaturæ, flores ſuarum benedictionum, poma actionum, honorum,& adorationum contribuere, vt paſsim & vbique ſentiantur odores effuſi & diffuſi ad gloriam illius, cuius infinita dulcedo ita ſuperat omnem honorem,vt nullus vnquam labor,nulla diligentia,nullum ſtudium ſufficiat ad eum deprædicandum

Hæc, hæc eſt diuina illa paſsio flagrans amore, quæ inducit ad tot laudes Deo dicendas, ad tot labores pro eodem ſuſcipiendos,quæ & addit animos Xauerijs, Barzæis, Antonijs, & tot aliis è Societate Jesv Religioſis; tot etiam Capucinis, alijſque Religioſis, ſicut & omnis generis Eccleſiaſticis viris,ad ſubeunda infinita pericula, quæ manere ſolent ad Indos nauigantes, ad Japones ad Marignanos,alioſque populos

Digitized by Google

immanitate Barbaros, multitudine propè infinitos, vt eos inducant ad cognitionem & cultum veri Dei. Hæc eadem eſt ſancta paſsio, quæ inducit ad conſcribendos tot libros, tot volumina, ad fundandas tot eccleſias, tot altaria, tot pias domos: verbo, quæ facit vigilare, laborare, quin & mori tot Dei ſeruos inter flammas amoris diuini, à quibus conſumpti, & velut deuorati, reſurgent glorioſi.

Qualiter deſiderium laudandi DEVM faciat nos aſpirare ad Cælum.

Capvt X.

ANima, quæ ſe diuinæ bonitati conſecrauit per amorem, videns non poſſe ſe deſiderium, quod habet celebrandi præconia ſui dilecti adimplere quamdiu inter miſerias huius mundi verſatur; ſciens inſuper laudes, quæ in cælo bonitati diuinæ decantantur, modo incomparabiliter feliciori & gratiori, quàm in terris decantari. ô, inquit ô quàm ſunt deprædicandæ laudes, quas beati Spiritus ante thronum cæleſtis mei Regis depromunt! quàm eorundem encomia ſunt omni benedictione digna! ô quanta beatitudo audire melodiam ſanctiſſimæ æternitatis! in qua per mutuum concurſum & concordiam vocum inter ſe diſſimilium & omnino diſparium fiunt admirandi earundem concentus; ad quos ſcitè & ritè obſeruandos & efferendos omnes partes, velut agmine facto, properant & (dum nulla vult alteri cedere) per ſequelam continuam, & incomprehenſibilem coniunctionem quaſi ſe inuicem perſequentium, omni ex parte audiuntur reſonantes perpetuum Allelnia.

Voces iſtas, ob clarum, quem edunt ſonum, & eiaculationem, haud immeritò comparâris tonitrui nubis, & ſtrepitui fluctuum agitati maris; quin & eædē voces propter ſuā dulcedinem & ſuauitatē (quippe quæ nullas ſibi ſecundas habent) dignæ ſunt, quæ quibuſcunq; citharis, & fidibus delicatè & delicioſè, manu excellentiſſimi cuiuſq; Muſici pulſatis, conferantur; voces denique, quæ vnicè inter ſe concordant ad decantan-

cantandum lætum paſchale canticum, ALLELVIA, LAVDATE DEVM, AMEN, LAVDATE DEVM. Scire enim debes, Theotime, vocem vnam egredi de throno diuino, quæ nunquã non clamat ad beatos cęleſtis Hieruſalem habitatores dicens: Dicite DEO laudes ò vos qui in eius obſequijs & ſeruitijs verſamini, qui eum timetis, magni & parui DICITE DEO LAVDES: Ad quod innumerabilis Sanctorum multitudo, Angelorum & hominum chori ſimul congregati reſpondent tota fortitudine, & virtute, cantantes. ALLELVIA, LAVDATE DEVM ALLELVIA. Verùm, quæ & qualis eſt iſta admirabilis vox, quæ egrediens è throno diuino, electis enunciat FELIX ALLELVIA, niſi ſanctiſſima complacentia, quæ recepta in animis facit, vt eæ intimè ſentiant dulcedinem perfectionum diuinarum; ex cuius continuatione in ijs naſcitur amoroſa beneuolentia, quæ eſt viua origo ſacrarum laudum? Ita re ipſa complacentia procedens de throno, feſtinans properat ad intimandum beatis DEI magnitudinem; beneuolentia autem eos excitat ad diſpergenda reciprocè laudum thymiamata ante thronum. Vnde per modum dandi reſponſi æternum cantat ALLELVIA, id eſt LAVDATE DEVM. Complacentia ergo venit de throno in cor, at beneuolentia ex corde ad thronum.

O quàm amabile eſt hoc templum, in quo omnia reſonant laudibus; ò quæ dulcedo ijs qui viuunt in ſacro illo domicilio, vbi tot philomelæ & luſciniæ cæleſtes ſancta cum amoris contentione concinunt cantica ſuauitatis ſempiternæ!

Illud igitur cor, quod nequit in hoc mundo neque cantare, neq; audire laudes diuinas iuxta ſuum votum, immittit ſe in deſideria incomparabilia, quibus cupit diſſolui à vinculis huius vitæ, vt properet ad alteram, in qua & ita perfectè DILECTVS CÆLESTIS laudatur, & deſideria hæc (poſtquam ſemel cor occupârunt) tantum ſubinde imperium in corda ſacrorum Amantium ſibi vendicant, vt eliminatis omnibus alijs deſiderijs, cuncta terrena ijs nauſeam pariant, & animam multùm languidam, nec non ſacro amore infirmam reddant. Imò verò ſancta iſta paſſio eouſque progreditur, vt ſi DEVS permitteret, ex ea mors ſequi poſſet.

Ita glorioſus & Seraphicus DEI amantiſſimus S. Franciſcus, cùm diu multumque paſſione, & ardenti affectione DEVM rite laudandi exagitatus

Digitized by Google

agitatus & exercitatus fuiſſet, tandem vltimis vitæ ſuæ annis ſpeciali reuelatione factus certior de vita æterna conſequenda, non valens clauſam animo continere lætitiam, in dies ſingulos conſumebatur, non ſecus atque ſi eius vita & anima euaporaſſet inſtar thuris, poſita ſuper ignem ardentium deſideriorum, quibus videndi Dominum flagrabat, vt in perpetuum eum laudaret: ita, vt eius amores ardoribus noua quotidie capientibus incrementa, ex eius corpore anima egrederetur, editâ ingenti cordis & vocis in cælum euibratione. Nam diuina prouidentia voluit eum mori hæc ſacra verba pronunciantem: *educ de cuſtodia animam meam, ô Domine ad confitendum nomini tuo: me exſpectant iuſti, donec retribuas mihi.*

Theotime, vide amabò huius ſerui Dei animam quæ velut ſpiritualis luſcinia, in ſui corporis incluſa cauea (in qua prout luberet, non poteſt æterni amoris præconia decantare) ſciens ſe, ſi conſequeretur libertatem, & veniret in ſocietatem aliarum philomelarum inter florentes & iucundos colles & montes verſantium, longè melius, & ſuauius in regione Beatorum, ſylueſtrem ſuam melodiam decantaturam & exercituram exclamat: *Eho! Domine vita mea, te ob tuam ſuauiſsimam bonitatem rogo, dimitte me ſeruum tuum liberum, quantumuis miſerum, è cauea corporis mei, educq; me ex parua hac cuſtodia, vt liber ab hac ſeruitute, & mancipiorum ſorte, volare valeam ad locum vbi chari mei comites in ſupernis & cæleſtibus regnis me expectant, vt iungar eorum choris, eorumq; circumder gaudio. Ibi ô Domine, alligans vocem meam ad voces illorum; efficiam cum illis dulcem harmoniam iuſto tono & delicioſo accentu, cantans, laudans & benedicens tuam miſericordiam.* Admirabilis hic ſanctus, ſicut orator quiſpiam, qui dictionem ſuam vult finire & concludere breui aliquâ ſententiâ, felicem finem impoſuit omnibus ſuis votis & deſiderijs quorum vltima iſta verba fuerunt compendium: quibus verbis ita fortiter ac tenaciter animam ſuam affixit, vt exſpirâret ſuſpirans. Mi Devs, quàm dulcis & pretioſa fuit mors iſta! mors certè feliciter amoroſa, & amor ſanctè mortalis!

Quomo-

Quomodo exerceamus amorem beneuolentiæ in laudibus, quas tum Redemptor noſter, tum eius Mater DEO dixerunt.

Capvt XI.

PErgimus igitur in ſancto hoc exercitio de gradu in gradum aſcendentes per creaturas, quas inuitamus ad Devm laudandum, tranſeuntes à rebus inſenſibilibus, ad rationales & intellectuales; ab Eccleſia militante, ad triumphantem. In qua inter medios Angelos & Sanctos, nos attollimus ſuper illos vſque dum ſanctiſsimæ Virgini occurramus: quæ ſingulari & incomparabili laude magnificat diuinitatem, idque longè excellentius, ſanctius, & delicioſius, quàm reliquæ omnes creaturæ ſimul collectæ laudare vnquam poſsint.

Duobus abhinc annis, cum eſſem Mediolani, quò veneratio recentis memoriæ magni Archiepiſcopi S. Caroli me cum nonnullis meis Eccleſiaſticis traxerat, vnâ audiuimus in diuerſis Eccleſijs complures & quidem excellentes diuerſi generis muſicos: at in monaſterio Virginum audiuimus Religioſam vnam, cuius vox adeò erat rara, & delicioſa, vt ſola ſine comparatione plus ſuauitatis in animos noſtros diffunderet, quàm reliquæ omnes ſimul adunatæ: hæ tamen ſua non carebant excellentia Sed illa vna & ſola facta & nata videbatur ad illuſtrandam, exaltandam & deducendam muſicam ad apicem omnis perfectionis. Sic Theotime, inter omnium hominum corda, inter omnes Angelorum choros vna ſanctiſsimæ Virginis clarè auditur vox, quæ exaltata ſuper omnium voces magis laudat Devm, quàm cæteræ omnes creaturæ. Vnde & ipſe Rex gloriæ eam ſingulariter inuitat his vocibus ad cantandum. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Veruntamen omnes laudes, quas Mater hæc *honoris & pulchræ dilectionis* ſimul cum omnibus creaturis defert diuinitati, quamuis ſint excellentes, & dignæ omni admiratione, nihilominus infinitis modis inferiores ſunt merito infinitæ bonitatis diuinæ, quia nullam habent proportionem cum illa, ideóque licet abundanter ſatisfaciant ſacræ beneuolen-

tiæ,

tiæ, quam cor amoroſum defert ſuo dilecto, non tamen implet. Progreditur igitur Virgo glorioſa vlterius & incitat Saluatorem ad laudandum & glorificandum Patrem æternum omnibus benedictionibus, quas eius filialis amor ei poteſt ſuppeditare. Et tunc, Theotime, cordi humano imponitur ſilentium, quia quod vlterius agat, non habet, niſi vt miretur. O quale canticum filius concinit Patri! O quam *ſpecioſus eſt hic dilectus inter filios hominum!* ô quàm ſuauis iſthæc eſt vox quæ procedit ex labijs, in quibus plenitudo gratiæ diffuſa eſt! omnes aliæ voces ſunt quidem thymiamate odorifero perfumigatæ, ſed vox filij ipſum eſt thymiama; aliæ ſunt balſamo imbutæ, ſed filij eſt balſamum effuſum. Pater æternus recipit aliorum laudes, vt odores florum particularium; nullus dubito ſentiens benedictiones & laudes, quæ ſibi conferuntur a filio, hoc exclamat modo: *Ecce odor laudum filij mei ſicut odor agri pleni, cui, benedixit Dominus?* Gen. 27. v, 27. Ita res habet chare Theotime, omnes benedictiones & laudes, quas Eccleſia, tum militans, tum triumphans DEO decantat, ſunt benedictiones Angelicæ & humanæ: licet enim referantur ad Creatorem, procedunt tamen à creatura; ſed quæ à filio, diuinæ ſunt: non enim ſolum reſpiciunt DEVM, vti aliorum, ſed inſuper fluunt ex ipſo DEO: Redemptor enim verus eſt DEVS. Quo fit, vt ſint diuinæ non ſolùm quoad finem ſuum, ſed etiam, quoad originem. Diuinæ, quia tendunt ad DEVM, & iterum diuinæ, quia procedunt ab ipſo DEO. Prouocat DEus animam, eiq; confert gratiam requiſitam ad productionem aliarum laudum; ſed Redemptoris, qui eſt DEVS, ipſemet eas producit, proinde ſunt infinitæ.

Si is, qui matutino tempore aliquamdiu inter vicina arboreta, audito gratioſo garritu magno numero Achantidum, Linariarum, & aliarum huiuſmodi minorum auium, audiret magiſtram cantatricem philomelam ſuâ melodiâ & admirabili vocis contentione aërem, & aures replentem, dubio procul ſolam iſtam cantratricem ſylueſtrem præferret omnibus alijs; ita, poſtquam ille idem laudes, quas tot inter ſe differentes creaturæ ad inuidiam vſque vnanimiter ſuo creatori deferunt, audiſſet; poſtea animum applicaret ad audiendam vocem Saluatoris, ſine dubio inueniret certam meriti, valoris & ſuauitatis infinitatem, quæ ſuperaret omnem ſpem & expectationem cordis; & anima tunc, velut è profundo ſomno excitata, tota quanta, inuſitatâ dulce-

Digitized by Google

dulcedine talis melodiæ, quaſi extra ſe raperetur; *eho! illum audio, ò vox, vox dilecti mei, vox regina omnium vocum, vox, cuius comparatione cæteræ omnes voces non ſunt niſi mutum, & ſtupidum ſilentium. Vide vt charus hic amicus ſe vibrat: ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Vox eius* Cant. 2 *reſonat ſuper Seraphin & omnem creaturam. Habet viſum capreoli, ad pene-* v. 8. *trandam profundius quouis alio pulchritudinem ſacri obiecti quod vult laudare. Amat melodiam gloriæ. & laudis Patris ſui pluſquàm omnes. Hinc eſt, quòd etiam faciat tranſitus laudum, & benedictionum ſuper omnes. en ecce adeſt diuinus amor mei dilecti: viden' vt latitat poſt parietem ſuæ humanitatis? Viden' vt ſe introſpici facit per vulnera ſui corporis, per aperturam lateris, velut per feneſtras & cancellos, per quos ille nos aſpicit!*

Omnino, Theotime amor diuinus reſidens ſuper cor Saluatoris velut ſupra Regium thronum, reſpicit per rimam transfixi ſui lateris omnia corda filiorum hominum. Nam cùm iſtud cor ſit rex cordium omnium, ſemper in omnium corda oculos habet conuerſos, ſed vti ij, qui reſpiciunt per cancellos, vident foris omnia, & ipſi non niſi introuidentur; ita diuinus amor iſtius cordis, vel potius cor diuini iſtius amoris, ſemper clarè videt corda noſtra, & oculis ſuæ dilectionis contemplatur, ſed non ideò eum nos videmus, at ſolùm introuidemus. Nam ſi nos illum videremus ſicuti eſt, pro illo moreremur ex amore (mortales ſiquidem ſumus) ſicut ille mortuus eſt pro nobis, dum eſſet mortalis, & adhuc moreretur, ſi non eſſet extra ſtatum mortalitatis. O ſi audiremus hoc diuinum cor, quomodo infinitæ dulcedinis cantet diuinitati canticum laudis! Quod gaudium, Theotime, quales conatus noſtrorum cordium, vt ſe ipſa ad cælum eiacularentur, vt eum ſemper audire poſſent. Certè eò nos vocat charus animarum noſtrarum amicus: *Surge* dicit ille, & ex te ipſo egredere, volatum tuum ad me dirige, *columba mea, ſpecioſa mea* in cæleſti hac commoratione, vbi omnes incedunt lætitijs, & aliud non ſpirant, neque reſpirant, quàm laudes & benedictiones, quicquid in ea eſt floret, & ſpargit ſuauitatum odores. Turtures, qui alioquin ſunt inter aues obſcuriſſimi, nihilominus ſyluestres ſuos cantus ibi inſigniter faciunt reſonare. *Veni dilecta mea, amica mea*, vt me clarius intuearis, veni intra eaſdem feneſtras reticulatas, per quas te reſpicio: veni conſidera cor meum in cauerna aperturæ mei lateris, quæ facta fuit tunc quando corpus meum, fere adinſtar domûs cuiuſ-

piam redactæ in parietinam, tam miſerabiliter ſuper lignum crucis deformatum, imò & deſtructum fuit: *veni oſtende faciem tuam*, ſed ecce ego, video illam nunc, nunc inquam, te illam mihi non monſtrante, video, ſed tunc & illam videbo ego, & tu mihi illam oſtendes: quia tu videbis, eſto & ego ipſe te videam. Fac me auſcultare vocem tuam, nam ego illam meæ volo ſociare, ſic facies tua erit decora, & vox tua comprimis grata. O qualis ſuauitas noſtris cordibus, vbi noſtræ voces voci Saluatoris vnitæ & permixtæ participabunt infinitam laudum dulcedinem, quas dilectus filius hic decantat æterno ſuo Patri!

De ſumma laude, quam DEVS ſibi ipſi attribuit, & de exercitio beneuolentiæ, quod in illa facimus.

CAPVT XII.

OMnes actiones humanæ Chriſti Saluatoris ſunt valore & merito infinitæ, ob perſonam eas producentem, quæ eſt ipſe DEVS vna cum Patre, & Spiritu ſancto. At non ideò ſunt naturâ & eſſentiâ infinitæ: nam ſicuti exiſtentes in quopiam conclaui, non recipimus lumen iuxta magnitudinem claritatis ſolis, qui illud diffundit, ſed ſecundum latitudinem & longitudinem feneſtræ, per quam ſol illam nobis communicat; ita actiones humanæ Saluatoris non ſunt infinitæ, quamuis ſint infiniti valoris, eſto eas eliciat perſona diuina, non tamen elicit iuxta extenſionem ſuæ infinitatis, ſed ſecundum magnitudinem finitam ſuæ humanitatis, per quam illas elicit. Atque ita ſicut actiones humanæ Chriſti Saluatoris ſunt infinitæ noſtris collatæ, ſic finitæ ſunt ſi comparentur cum eſſentiali infinitate diuinitatis: ſunt infiniti valoris, æſtimationis, & dignitatis, eò quòd procedant à perſona, quæ eſt DEVS: ſed eſſentiâ & naturâ ſunt finitæ, eò quòd DEVS eas faciat ſecundum naturam, & ſubſtantiam humanam, quæ eſt finita. Laus igitur, quæ procedit ex Saluatore, quà eſt homo, cum omni ex parte non ſit infinita, non poteſt vſque quaq; adæquare magnitudinem infinitam diuinitatis, cui illa eſt deſtinata.

Actiones Chriſti nõ ſunt infinitæ, ſed infiniti valoris

Et ea eſt cauſa cur poſt primum admirationis velut quendam animi raptum, quo inuadimur quando deprehendimus laudem quampiam

Digitized by Google

ita glorioſam, (qualis eſt illa, quam Saluator defert Patri) non intermittamus recognoſcere diuinitatem eſſe adhuc infinities laudabiliorem quàm laudari poſſit vel ab ab omnibus creaturis, vel ab ipſamet humanitate filij DEI.

Si quiſpiam laudaret ſolem ob amplitudinem luminis, quò magis ſe attolleret verſus eum ad laudes ei deferendas, eò illum laudabiliorem deprehenderet, quia nimirum maiorem ſemper, ac maiorem conſpiceret ſplendorem. Quodſi iſta pulchritudo luminis, prouocat alaudas ad cantandum, (vt valde probabile eſt,) mirum non eſt, ſi cantent eò clarius, quò altius volant, attollentes ſe pariter, & cantu, & volatu, vſq; dum non potentes fere amplius cantare, incipiunt deſcendere non ſolùm corpore, ſed etiam tono, remittentes ſenſim tum volatum, tum vocem. Ita, mi Theotime, quâ menſurâ per beneuolentiam aſcendimus verſus diuinitatem, tum ad tollendas voces, tum ad audiendas laudes, videmus quòd DEVS ſit omni laude ſemper maior & ſuperior. Et tandem cognoſcimus non poſſe eum laudari, vt meretur, niſi à ſe ipſo, qui ſolus poteſt dignè adæquare ſuam bonitatem per ſupremam laudem quâ ipſe ſolus pollet. Tunc, Theotime exclamamus dicentes: *Gloria Patri, & filio, & ſpiritui ſancto*: at vt intelligatur non eſſe gloriam laudum creaturarum, quam per iſtam vocis eiaculationem DEO optamus, ſed gloriam eſſentialem & æternam, quam in ſe ipſo continet, per ſe ipſum, de ipſo, & quæ eſt ille ipſe, adijcimus: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* ſicut etiam cantando dicimus: in æternum glorificetur DEus gloriâ, quam habebat ante omnem creaturam in infinita ſua æternitate, & in æterna infinitate; ea denique de cauſa adiungimus hunc verſum, GLORIÆ, cuilibet pſalmo, cantico, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ orientalis, quam Sanctus Hieronymus, vt Papa Damaſus in occidentali ſtabiliret, rogauit, ad proteſtandum omnes laudes humanas, & angelicas eſſe nimis humiles ad dignè laudandam diuinam bonitatem; quæ vt dignè laudetur, oportet vt ipſa ſibi ſua ſit gloria, ſua laus, & benedictio.

O quæ complacentia, quæ lætitia illius animæ, quæ auet deſiderium ſuum videre expletum, eius ſiquidem dilectus ſemet laudat, ſibi benedicit, ſe ipſum infinitè magnificat? Verùm hac ex complacentia rurſum naſcitur nouum deſiderium laudandi: vellet enim cor laudare

hanc tam dignam laudem, quam Devs ſibi ipſi attribuit, ei gratias agendo quàm poſſet profundiſſime, & iteratò omnes creaturas in ſuum ſuccurſum reuocando ad vnà ſecum glorificandam Dei gloriam, benedicendam benedictionem infinitam, & laudandam laudem æternam; ita vt per reditum & repetitionem laudis ſupra laudem, velut pignori ſe daret inter complacentiam & beneuolentiam in glorioſiſſimo amoris labyrintho, totus quantus abſorptus in hac immenſa dulcedine, laudando ſummo quo fieri poteſt modo diuinitatem, quæ nunquam ſufficienter laudari poteſt, niſi à ſemetipſa. Et quamuis principiò anima comprimis amoroſa viſa ſit exiſtimaſſe, quòd poſſet ſat laudare Devm ſuum, tamen rediens in ſe ipſam, proteſtatur, quòd nollet, ſe poſſe ſatis eum laudare, ſed velle ſe morari & gradum ſiſtere in humillima complacentia, eo quòd videat diuinam bonitatem ita infinitè laudabilem, vt nunquam ſatis laudari poſſit, niſi à ſua propria infinitate.

Hìc, re ſic ſe habente, raptum cor in admirationem cantat canticum ſacri ſilentij. *Te decet hymnus Devs in Sion.* Sic enim Seraphin apud Iſaiam Devm adorantes & laudantes, *duabus alis velabant faciem ſuam, & duabus velabant pedes.* & duabus volabant: hoc facto confitentes, quòd neq; eum bene conſiderent, neq; benè illi ſeruiant. Pedes enim ſuper quos ambulatur, repræſentant ſeruitium: ideoq; volant duabus alis per continuum motum complacentiæ, & beneuolentiæ, quin & amor eorum accipit ſuam quietem in dulci hac inquietudine.

Eſa. 6. v. 2.

Cor hominis nunquam eſt tam inquietum, quàm quando impeditur motus, per quem ſe extendit, redigit reſtringitq́; continuò in anguſtum, & nunqam ita tranquillum, quàm quando liberos habet motus, ita vt eius tranquillitas ſit eius motus. Porrò idem eſt de amore Seraphin, & omnium ſeraphicorum hominum: nam is ſuam habet quietem in continuo motu complacentiæ, (per quem trahit Devm in ſe, velut eum reſtringens) & beneuolentiæ, per quem ſe extendit, & in Devm vibrat. Amor igitur hic vellet libenter videre admiranda infinitæ bonitatis Dei, verùm iſtius deſiderij alas replicat ſuper faciem confitens ſe non poſſe, quod proſequitur adipiſci. Vellet etiam deferre dignum aliquod ſeruitium, ſed deſiderium illud replicat ſupra ſuos pedes, confitens non poſſe ſe vltra progredi, nihilq́; aliud ſibi reſtare, præter duas alas, cōplacentiæ, & beneuolentiæ, per quas volat, & in Devm ſe attollit.

LIBER VI.

Digitized by Google

LIBER SEXTVS.

De

EXERCITIO SANCTI AMORIS IN ORATIONE.

Deſcriptio Theologiæ Myſticæ, quæ nihil aliud eſt, quàm oratio.

CAPVT I.

DVO ſunt præcipua amoris noſtri erga DEVM exercitia: vnum AFFECTIVVM, & alterum EFFECTIVVM, vel vt dicit S. Bernardus, ACTIVVM. Per illud intimè afficimur erga DEVM, & erga id omne quod amat DEVS; per hoc DEO ſeruimus & exequimur id quod nobis præſcribit. Illud nos iungit bonitati diuinæ; hoc facit, vt eius voluntatem exequamur; vnum replet nos complacentiâ, beneuolentiâ, orationibus iaculatorijs, votis, ſuſpirijs, & omnis generis ardoribus ſpiritualibus, inducens nos, vt noſtrum ſpiritum Diuino iungamus, & velut vnum cum illo efficiamus, alterum producit in nobis ſo-

F[illegible]um decretum, firmitatem animi, & feruens ac inuiolabile ſtudium [illegible]cendi Deo, & exequendi omnia eius mandata; & inſuper ad ſuffer[illegible]ntiam, gratam habendum, approbandum, & ambabus vlnis amplectendum omne id, quod procedit ex diuino beneplacito; vnum itém facit, vt in Deo nobis complaceamus; alterum autem, vt Deo placeamus. Per vnum concipimus, per alterum producimus, per vnum Deum ſuper cor noſtrum collocamus, vt inſigne amoris, ad cuius nutum omnes noſtræ affectiones ſe dirigunt; per alterum autem ſuper brachium eundem ponimus, velut gladium dilectionis, per quem exequimur actiones & opera virtutum. Porrò primum exercitium principaliter conſiſtit in oratione: in qua tam multi & tam diuerſi motus interiores inueniuntur, vt omnes nullo modo poſſint exprimi, non ſolùm ob multitudinem, ſed eorum naturam & qualitatem, quæ cùm ſit ſpiritualis, valde eſt tenuis & exilis, & propemodum imperceptibilis à noſtris intellectibus. Sagaciſſimi optimeque inſtructi canes in inueſtigandis feris errant perſæpe, perdentes veſtigia & odorem ferarum, propter varietatem aſtuum, quos (& maximè cerui) exercent, omnes in partes dum ab inſequentibus canibus premuntur, declinantes, & alios fatigati ipſi ex curſu, ceruos ſuo loco ſubſtituentes, & mille alias aſtutias exercentes, vt & venatores & canes eludant. Sed & nobis frequenter euenit, vt cor proprium effugiat viſum & notitiam noſtram. Et hoc ob infinitam diuerſitatem motuum, per quos in tot, tantaq; celeritate ſe agit in gyros, vt eius omnes errores nec dignoſci, nec caueri valeant.

Deus ſolus ille eſt, qui per infinitam ſuam ſcientiam videt, ex-
plorat, perſcrutatur, & penetrat omnes ſpiritûs noſtri mæandros, vt ce-
Pſ. 138. cinit Regius vates, quando dixit: *Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cogno-*
uiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè:
ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti, & mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me,
confortata eſt, & non potero ad eam. Certè ſi noſtri intellectus pleni varietatis
ſuarum actionum vellent inſtituere reditum ſuper ſe ipſos per reflexio-
nem, intrarent labyrinthos, ex quibus dubio procul non reperirent e-
xitum. Et profectò ſi cogitare vellemus quales ſemper eſſent noſtræ cogitationes, quales item conſiderationes; attentio huiuſmodi eſſet intolerabilis, audire itē omnes noſtras viſiones ſpirituales, diſcernere quod nos diſcernimus, recordari quod recordamur, eſſent volumina & in-

uolucra

Digitized by Google

ſoluera, ac velut nodi Gordij indiſſolubiles. NE DVBITES, THEOTIME, QVIN PRÆSENS HIC TRACTATVS, EI, QVI IN ORATIONIS EXERCITIO MINVS VERSATVS EST, FACTVRVS SIT NEGOTIVM.

Lector, non omnia poſſumus omnes.

Non accipimus hic vocabulum ORATIONIS pro ſola oratione, aut petitione alicuius boni, fuſa ante DEVM per Chriſti fideles, ſicut S. Baſilius nominat, ſed ſicut Sanctus Bonauentura, quando dicit ORATIONEM, loquendo generaliter, comprehendere omnes contemplationis actus; vel, ſicut S. Gregorius Niſſenus, quando docebat ORATIONEM eſſe colloquium & conuerſationem animæ cum DEO; vel certè ſicuti S. Chryſoſtomus, quando aſſerit orationem eſſe ſermocinationem cum Diuina Maieſtate; vel tandem ſicuti SSi. Auguſtinus, & Damaſcenus; quando dicunt orationem eſſe mentis in DEVM eleuationem. Quodſi oratio eſt colloquium, ſermocinatio vel conuerſatio animæ cum DEO, per eam igitur loquimur DEO, & DEVS reciprocè loquitur nobis, aſpiramus ad illum, & in illo reſpiramus, & viciſſim ſpirat in nobis, & reſpirat ſupra nos.

Sed quibus de rebus ſermocinamur in oratione? quod eſt ſubiectum & argumentum mutui noſtri ſermonis? Theotime, non eſt ſermo niſi de DEO, nam qui poſſet alius inſtitui ſermo & colloquium ab amore, quàm de DILECTO? Ideoque oratio & Theologia myſtica, non ſunt niſi res vna. Vocatur Theologia, eò quòd ſicut Theologia ſpeculatiua habet DEVM pro ſuo obiecto, hæc etiam non niſi de DEO loquitur. Tres tamen inueniuntur differentiæ: I. eſt, quia Theologia ſpeculatiua tractat de DEO, quâ DEVS eſt; myſtica autem de eodem loquitur quà ſummè eſt amabilis, id eſt, illa reſpicit diuinitatem ſupremæ bonitatis; at hæc ſupremam bonitatem diuinitatis. II. Speculatiua tractat de DEO cum hominibus & inter homines; ſed myſtica loquitur de DEO cum DEO, & in DEO ipſo. III. Speculatiua tendit ad cognitionem DEI; Myſtica autem ad ipſius DEI amorem, ita vt illa efficiat ſuos diſcipulos ſapientes, doctos, quin & Theologos; ſed hæc efficit ſuos ardentes & affectuoſos DEI amatores & ſtudioſos, imò & Philotheos, & Theophilos.

Porrò vocatur myſtica, eò quód conuerſatio in illa ſit ſecreta, & in ea inter DEVM & animam nihil dicatur, niſi iunctis cordibus & vnitis animis, per communicationem incommunicabilem omni alij, præter

Digitized by Google

illos, qui eam inſtituunt. Sermocinatio amantium ita eſt ſingularis, vt nemo intelligat præter ipſos amantes. *Ego dormio,* dicebat amatrix ſacra, *& cor meum vigilat. Ecce dilectus meus loquitur.* Ecquis diuinaſſet ſponſam hanc dormientem, loqui cum ſuo ſponſo? At vbi regnat amor, non opus eſt externo ſtrepitu verborum, neque vſu ſenſuum ad audiendum, & colloquendum ad inuicem.

In ſumma, Oratio & Theologia myſtica non eſt aliud, quàm conuerſatio, per quam anima amantis cum Deo, de amabiliſſima eius bonitate loquitur, vt ſe illi vniat, & quàm poteſt arctiſſimè jungat.

Oratio, ob varietatem & multitudinem ſapidiſſimorum guſtuum, delicatiſſimarumq; ſuauitatum, quas exhibet ijs, qui eam ſtudioſè adhibent, dicitur MANNA: at ſecretum, eò quòd ante vllam ſcientiæ claritatem in ſolitudine mentali cadat, vbi anima omnino ſola cum Deo ſolo agit *quæ eſt iſta,* dici poteſt de illa, *quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Hanc eandem etiam deſiderium ſecreti incitauit ad faciendam ſupplicationem ſuo ſponſo: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ob hoc cæleſtis amatrix vocata eſt TVRTVR, auis, quæ amat habitare in locis vmbroſis & ſolitarijs, in quibus ſylueſtrem ſuum cantum non adhibet, niſi in gratiam vnici ſui comparis; cui vel blanditur, quamdiu viuit ille: vel tacta deſiderio illius, eum deflet poſt mortem. Eam ob rem in cantico diuinus ſponſus, & cæleſtis ſponſa ſuos amores per continuam ſermocinationem repræſentant. Quodſi eorum amici & amicæ ſubinde, durante eorum colloquio, quippiam ſermonis inter ſe agitant, hoc fit quaſi furtiuè; cauent enim ſtudioſè ne turbent colloquium. Ea de cauſa Beata Mater Thereſia de IESV, in principio ſuorum cum Deo familiariorum ſermocinationum, plus experiebatur profectûs in locis & myſterijs, in quibus Dominus magis ſolitarius fuerat, vt in horto Oliueti, & quando ſedens ad fontem ſolus præſtolabatur Samaritanã: videbatur enim illi, quodſi eſſet ſola cum ſolo, citius admittenda eſſet ad eius præſentiam. Amor, negari non debet, deſiderat ſecretum, & quamuis amantes nihil habeant, quod exigat ſecretum, tamen illis volupe eſt dicere id, quod cogitant, ſecretò. Et quidem niſi fallor, ideò hoc faciunt, quia nolunt niſi pro ſe ipſis loqui; vnde ſi id, quod gerunt mente, voce elatâ efferunt, exiſtimant id minimè eſſe pro ſe ſolis: quia nimirum

res

Digitized by Google

res communes non enunciant modo communi, & conſueto inter alios; at modis quibuſdam ſingularibus, qui non niſi ſpecialem exprimunt affectionem: per quam loquuntur quidem idiomate amori communi quoad verba, verùm quoad modum & pronunciationem, ita eſt ſingulare, vt nemo, præter amantes, illud intelligat. Nomen **AMICI** in communi pronunciatum, non magni æſtimatur, ſed ſecretò elatum & in aurem inſuſurratum mira quædam deſignat. Et quò ſecretius effertur, eò eius ſignificatio eſt amabilior. O, quæ & quanta eſt differentia inter idioma ſeu locutionem antiquorum diuinitatis amatorum, Ignatij v. g. Cypriani, Chryſoſtomi, Auguſtini, Hilarij, Ephrem, Gregorij, Bernardi, & inter illud, quo vtuntur Theologi minus amantes! Vtimur quidem eorum verbis, ſed non eo igne charitatis incenſis, & ſuauitatis ſaccharo conditis, quo illorum erant, ſed frigidis & fere grati ſaporis expertibus.

Amor non ſolâ loquitur linguâ, ſed oculis, ſuſpirijs, & externâ corporis conſtitutione, imò ipſumet ſilentiũ & taciturnitas ei loco eſt verborũ. Pſal. 26
Ego dixi Domino: tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. v. 8. *Defecerunt oculi mei dicentes, quando conſolaberis me! Exaudi orationem meam Domine, deprecationem meam ne deſpexeris, auribus percipe lachrymas meas. Ne exſiccetur pupilla oculi sui*, dicebat deſolatum cor inhabitantium Hieruſalem, de propria ſua ciuitate. Viden' Theotime, quod ſilentium amantium afflictorum loquitur per pupillam oculorum & per lachrymas? Equidem in Theologia myſtica principale exercitium eſt loqui DEO, & audire DEVM loquentem in intimo corde. Et quia colloquia huiuſmodi fiunt per maximè ſecretas aſpirationes & inſpirationes, ideò vocamus ea ſilentij colloquia; oculi loquuntur oculis, & cor cordi, & nemo intelligit quid dicatur, niſi ipſi ſoli ſacri Amantes, qui loquuntur.

De meditatione, quæ eſt primus gradus orationis, vel Theologiæ myſticæ.

CAPVT II.

VErbum hoc valde eſt in frequenti vſu in ſacris litteris: & aliud non denotat, quàm attentam & ſæpius iteratam cogitationem aptam producendis affectionibus, aut bonis, aut malis. In 1. Pſalmo homo dicitur *beatus, cuius voluntas in lege Domini eſt: & in lege eius meditatur die ac nocte*, at in 2. Pſalmo quæritur quare *fremuerint gentes, & populi meditati ſint*

inania? Meditatio igitur inſtituitur in bonum & malum finem, vel ſimpliciter ad bonum, & malum. Quia tamen in Scriptura Sancta vocabulum MEDITATIO, communiter accipitur pro attentione, quæ adhibetur ad res diuinas, vt quis excitetur ad eas amandas; ea communi Theologorum conſenſu accipitur in bonam partem; ſicut & nomen Angeli & Zeli, & contra vox ſtulti, & Dæmonis infamis facta eſt: ita vt nunc quando nominatur nomen meditationis, non intelligatur alia, quàm quæ ſancta eſt, & inchoatio Theologiæ myſticæ.

Porrò omnis meditatio eſt cogitatio, ſed non omnis cogitatio eſt meditatio: perſæpe enim incluſas animo gerimus cogitationes, quibus mens noſtra abſque vlla deſignatione & prætenſione ſe applicat per modum ſimplicis occupationis animi: & hoc fere ad eum modum, quo videmus communes muſcas huc & illuc volitare ſuper flores, nullum inde referentes commodum. Et ſpecies iſta cogitationis quamuis ſit attenta, non gaudet, nec gaudere poteſt nomine meditationis, ſed ſimpliciter vocanda eſt cogitatio. Subinde perquam attentè cogitamus rem aliquam, vt eius cauſas, effectus, qualitates addiſcamus: & cogitatio iſta vocatur ſtudium, in qua mens, velut volucræ, alio nomine ſcarabæi, qui volitant ſuper flores & folia ſine diſcrimine, eaq; deuorant & in cibum conuertunt. Verùm quando cogitamus res diuinas non ad eas perdiſcendas, ſed vt erga eas afficiamur, & hoc vocatur meditari, & exercitium hoc meditatio: ad quā mens noſtra non vt muſca per ſimplicem animi occupationem, neq; vt dictæ volucræ ad comedendum ſtomachumq; ijs replendum, ſed, vt ſacra apis, huc & illuc pergit ſuper flores myſteriorum ad extrahendum mel diuini amoris.

Sic complures Endymiones ſemper ſunt applicati aliquibus inutilibus cogitationibus, vix ſcientes quid, vel de quo cogitent, & quod eſt admirabile, ad eas non attendunt, niſi per inaduertentiam: Vnde vellent ſe non habere tales cogitationes. teſte illo, qui dicebat: *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* Plures etiam ſtudent, & per occupationem comprimis laborioſam replent ſe vanitate, non potentes reſiſtere curioſitati. Verumenimuero pauci ſunt, qui ſeriò ſe applicent ad meditandum, vt cor ſuum accendant igne cæleſtis amoris. In ſumma, cogitatio & ſtudium fiunt de omni genere rerum: ſed meditatio vt de ea hic & nunc loquimur, non reſpicit niſi obiecta, quorum conſide-

ratione

Digitized by Google

ratione effici poſſumus boni & deuoti. Atque ita meditatio res alia non eſt, quàm cógitatio attenta, reiterata, vel retenta voluntariè in mente; ad excitandam voluntatem, vt ſanctis & ſalutaribus affectionibus, & ſolidis animi decretis ſtatuendis inſtet.

Sacræ paginæ mirabili certè & excellenti ſimilitudine explicant in quo meditatio ſancta conſiſtat: Rex Ezechias volens in ſuo cantico exprimere diligentem & attentam conſiderationem, quam inſtituit de málo, quod patiebatur; *ſicut pullus hirundinis inquit, ſic clamabo, meditabor vt co- lumba:* quia, chàre Theotime, ſi vnquam aduertiſti, pulli hirundinum valde aperiunt roſtrum, quando pipiunt; contrà, pipiones ſeu columbæ inter omnes aues, ſuas muſſationes ſeu gemitus clauſo roſtro faciunt, voluentes ſuas voces in gutture, & pectore, re tamen nullâ foras prodeunt, niſi paruo quodam murmure & ſtrepitu, ſeu rauca reſonántia. Et hic quidem exiguus ſtrepitus ijs ſeruit pariter ad ſuos dolores, & amores exprimendos & declarandos Ezechias igitur ad oſtendendũ in medio ſuarum moleſtiarum ſe inſtituere complures orationes vocales, *clamabo* inquiebat, *ſicut pullus hirundinis,* aperiens os ad emittendas permultas voces lamentabiles ante DEVM; & ex parte altera ad teſtificandum, quòd etiam adhiberet ſanctam orationem mentalem, *meditabor vt columba* voluens & vertens cogitationes meas in corde meo per ſeriam conſiderationem, vt me excitem ad benedicendam ſupremam DEI mei miſericordiam qui me retraxit de portis mortis, miſertus mearum miſeriarum. Ita dicebat Iſaias, *rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus.* Rugitus Vrſorum referuntur ad exclamationes, per quas clamatur in oratione vocali, gemitus autem columbarum ad ſanctam meditationem. Verùm, vt ſciatur, quòd columbæ non ſolùm, occurrentibus occaſionibus triſtitiæ, gemunt, ſed etiam amoris & lætitiæ, ſacer ſponſus deſcribens ver naturale, ad exprimendas jucunditates & gratias veris Spiritualis, *vox*, inquit, *Turturis audita eſt in terra noſtra:* quia nimirum tempore verno incipit amore incaleſcere. quod teſtatur per ſuum ſylueſtrem cantum, quem ſæpius reiterat; & ſtatim pòſt: *Columba mea oſtende mihi faciem tuam, vox tua reſonet in auribus meis: quia vox tua dulcis eſt, & facies tua decora iuxta, ac gratioſa.* Vult dicere, Theotime, animam deuotam ſibi eſſe gratam, quando ea ſe præſentat ante illum, & quando meditatur, vt incaleſcat ſancto & ſpirituali amore, ſicut faciunt colum-

Iſa. 38. v. 14.

Digitized by Google

columbæ, ad excitandos ſuos compares ad amores ſuos naturales. Ita ille, qui dixerat, *meditabor vt columba*, exprimens ſuam conceptionem alio modo; *recogitabo*, inquit, *ante te*, ò mi Deus, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Nam meditari, & recogitare ad excitandas affectiones, vna eademque res eſt. Vnde Moyſes admonens populum ad recogitandos de manu Dei receptos fauores, hanc adiungit rationem: *Vt recogites in corde tuo, inquit, & cuſtodias mandata Domini DEI tui, & ambules in viis eius, & eum timeas.* Et Dominus ipſemet hoc mandat Joſue, dicens: *non recedat volumen legis huius à corde tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* Quod vno in loco expreſſum eſt per verbum MEDITARI, in altero declaratur per COGITARE. Et ad oſtendendum quod cogitatio reiterata, & meditatio tendat ad excitandas in nobis affectiones, propoſita, & actiones, dicitur in vtroque loco, quòd oporteat RECOGITARE & MEDITARI in lege, ad obſeruandam eam, & in praxin reducendam. Hoc ſenſu Apoſtolus nos hortatur; *recogitate*, inquit, *eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Quando dicit, RECOGITATE, tantum eſt, ac ſi diceret, meditamini. Sed quare vult nos meditari ſanctam paſſionem? non ideò profectò, vt fiamus docti, ſed vt fiamus patientes & animoſi in via ad ſcandendum cælum. *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt*; dicebat Dauid. Meditatur in lege, quia illam dilexit, & quidem dilexit, quia illam meditatus eſt.

Deut. 8 v. 5.

Ioſue 1 v. 8.

Hebr. 12. v. 3.

Pſ. 118. v. 97.

Meditatio aliud non eſt, quàm ruminatio quædam myſtica, quæ requiritur, vt ſimus munda animalia. Ad eam vna ex deuotis cuſtodibus ouium, quæ ſequebantur ſacram Sulamitidem, nos inuitat, dum aſſerit ſanctam doctrinam eſſe velut vinum pretioſum, dignũ proinde quod non ſolùm à Paſtoribus & Doctoribus bibatur, ſed quod feriò & ſtudioſè deguſtetur, &, vt ita dicam, mandatur & ruminetur. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſq; & dentibus illius ad ruminandũ.* Ita Beatus Iſaac velut agnus mundus & purus, egrediebatur circa tempus veſpertinum, pergens ad agros, vt à ſtrepitu ſe abſtraheret, cum Deo ageret, mentemque, Deo directore, exerceret orando, & meditando.

Cant. 7 9.

Apis vernali tempore pergit huc & illuc volitando ſuper flores; & hoc non fortuitò, ſed ex inſtituto, non ad recreandum ſe ſolummodo viſu variorum & jucundorum florum, quibus prata paſſim ſunt redimita, ſed

ta, ſed

ta, ſed ad inueſtigandum & colligendum mel. Quod cum inuenerit, ſugit, eoq; ſe onerat, deinde delatum ad ſuum alueare, artificioſè diſponit & accomodat, ſeparans ab eo ceram, ex illa faciens fauos ad reponendum & ſeruandum mel pro inſequenti hyeme. Porrò talis eſt anima deuota in meditatione: pergit illa ex vno myſterio in aliud, non tumultuariè, neq, ſolum ad relaxandum & recreandum animum viſu admirabilis pulchritudinis diuinorum obiectorum, ſed ex propoſito & cauſa inueniendorum motiuorum amoris vel alicuius diuinæ affectionis, quæ cùm inuenerit, ad ſe trahit, deguſtat, ſeque ijs onerat; & cùm reduxerit ac collocârit in corde ſuo, in partem reponit quicquid proprium aduertit ſuo profectui promouendo; tandem facit conformia decreta & propoſita quæ tempore tentationis ſint profutura. Ita cæleſtis amatrix velut apis myſtica vadit volitans ex canticis in cantica, nunc ſuper labra, nunc ſuper alas, & cæſariem ſui dilecti, ad eliciendas mille ſuauitates affectionum amoroſarum; notat minutim omne id, quod rarum & charum inuenit, ita vt, tota quanta igne ſacræ dilectionis incenſa loquatur cum eo, eum interroget, audiat, coram ſuſpiret, admireturq; ſicut & ille ex parte ſua eam cumulat gaudijs, inſpirando, tangendo, & cor illi aperiendo: deinde lumine inſignis claritatis, & propè infinitis ſuauitatibus eam perfundit: idq; modo ita ſecreto, vt non poſſit commodè inſtitui ſermo de ſancta conuerſatione animæ cum DEO: ſicut ſacer textus dicit de conuerſatione Moyſis cum DEO: quod is ſcilicet *exiſtens in ipſo montis vertice loquebatur, & DEVS reſpondebat ei.* Exodi 19.

Deſcriptio contemplationis, & de primo diſcrimine ſeu differentia, qua inter illam, & meditationem deprehenditur.

CAPVT III.

Contemplatio, Theotime, aliud non eſt, quàm amoroſa, ſimplex, & permanens attentio mentis ad res diuinas, quod facilè intelliges, factâ comparatione meditationis cum contemplatione Examina apum, ſeu noua earum ſoboles, vſque ad tempus, quo perfectam apum formam induunt, & mel conficiunt, nym-

phæ nuncupantur; poſtea autem apes ſimpliciter indigitantur; ſimili modo oratio vocatur meditatio ad tempus, quo producit mel deuotionis, & deinceps ſe conuertit in contemplationem. Nam quemadmodum apes percurrunt loca ſui tractûs, ad hinc inde prædandum, & mel colligendum (quod cùm collegerint, collectum élaborant ob delectationem, quam capiunt ex eius dulcedine) ita nos meditamur ad Dei amorem colligendum, quo collecto, Deum contemplamur eiuſq; bonitati perattentas præbemus aures, propter ſuauitatem, quam amoris beneficio in ea deprehendimus. Deſiderium obtinendi amorem diuinum nos inducit ad meditandum, ſed obtentus amor monet ad contemplandum Nam amor cauſa eſt, quod ita gratam inueniamus ſuauitatem in re amata, vt nequeamus mentes noſtras eius viſione & conſideratione vnquam explere.

3 Reg. 10. Vide, Theotime, Regina Saba, quæ poſtquã particulatim ac minutim *Sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſq; eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini,* conſiderarat, *non habebat vltra ſpiritum* ob ardentiſſimum amorem, qui conuertit eius meditationem in contemplationem: vnde velut extra ſe ipſam rapta, plurima dixit, quibus oſtendi ſummis gaudijs ſe perfuſam; Viſio enim tot admirabilium rerum eius cordi ſummum ingenerârat amorem: qui amor deinde produxit in ea nouum deſiderium videndi ſemper plura, nec non diutius fruendi præſentia eius, in quo ea viderat; Vnde exclamauit, & dixit: *Beati Viri tui, & beati Serui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Sic nos nonnunquã incipimus comedere ad excitandum appetitum: at vbi appetitus fuerit excitatus, pergimus comedere ad ſatisfaciendum eidem appetitui. Hoc modo in principio conſideramus Dei bonitatem, vt voluntatem excitemus ad eum amandum, formato autem in cordibus noſtris amore, eandem iſtam bonitatem conſideramus ad faciendum ſatis noſtro amori, qui non poteſt ſe ſatiare videndo id, quod amat. Breuiter meditatio eſt mater amoris, ſed contemplatio eſt amoris filia: Ideoq; dixi contemplationem eſſe amoroſam attentionem. Nuncupantur enim filij nomine ſuorum Patrum, & non Patres nomine filiorum.

Verum eſt Theotime, quòd ſicut antiquus Ioſeph fuit corona & gloria Patris ſui, ei magnos conferens honores & gaudia, cum faciens iuuc-

iuueneſcere,& velut præteritos annos recipere in ſenectute; ita contemplatio coronat Patrem ſuum, qui eſt amor, eumq; perficit & cumulat eximiâ excellentiâ. Amor enim poſtquam in nobis excitauit attentionem contemplatiuam, attentio iſta reciprocè naſci facit maiorem & feruentiorem amorem, qui & ipſe tandem coronatur certis perfectionibus, dum fruitur re, quam amauit. Amor efficit vt nobis placeamur in viſione NOSTRI DILECTI, & viſio dilecti facit, vt iucundemur in diuino ſuo amore. Atque ita per mutuum motum amoris ad viſionem, & viſionis ad amorem, ſicut amor efficit pulchritudinem rei amatæ magis decoram, ita viſio illius reddit amorem amantiorem & delectabiliorem. Amor, interueniente imperceptibili facultate, facit pulchritudinem, quæ amatur, parêre longè pulchriorem. Et viſio pariter excoquit & expurgat omnem ab amore ſcoriam, quatenus inueniat pulchritudinem amabiliorem. Amor impellit & velut vrget oculos, vt ſemper attentius reſpiciant pulchritudinem Dilecti, & viſio cogit cor, vt ſemper ardentius amet.

Quòd in mundo hoc amor accipiat ſuam natiuitatem, ſed non excellentiam notitiæ DEI.

CAPVT IV.

AGE dic, amórne ad intuendum Dilectum, an viſio ad eum amandum magis valet inducere? Theotime, cognitio requiritur ad productionem amoris, nunquam enim amare poſſumus id, quod non cognoſcimus; & quâ menſurâ cognitio ad bonum intenta, ſe auget, eâdem etiam amor capit incrementum, modò tamen nihil interueniat, quod eius motui remoram inijciat. Nihilominus tamen euenit perſæpe, vt notitia producat ſacrum amorem, nec tamen amor hic moretur intra limites cognitionis intellectualis, ſed longè vltra illam proſiliat. Quo fit, vt in vita hac mortali plus amoris erga DEVM, quàm cognitionis de eodem habere poſsimus. Vnde S. Thomas Doctor Angelicus aſſerit perſæpe euenire, vt ſimplices, quin & fœminæ ipſæ, abun-

dent maiore deuotione; & communiter capaciores ſint diuini amoris acquirendi, quàm gnari & docti.

Famoſus Abbas Monaſterij S. Andreæ Vercellis, qui fuit Magiſter S. Antonij de Padua, in ſuis Commentarijs quos ſcripſit in opera S. Dionisij pluribus vicibus dicit amorem eò penetrare, quò ſcientia exterior nequit pertingere. In cuius rei confirmationem dicit complures Epiſcopos olim penetraſſe myſterium SS. Trinitatis, eſto, vel nullâ vel exiguâ doctrinâ fuerint tincti. Vnde etiam ad hoc propoſitum admiratur ſuum diſcipulum S. Antonium de Padua, qui abſq; ſcientia mundana profundè ad inſtar S. Ioannis Baptiſtæ myſticam Theologiam imbiberat, quique proinde nominari poterat lampas lucida & ardens. Beatus Ægidius, vnus è primis S. Franciſci ſocijs, die quodam dicebat S. Bonauenturæ: O beati vos, qui ſcientijs eſtis exculti, quia permulta ſcitis, quibus poteſtis Devm laudare! nos autem idiotæ quid faciemus? Reſpondens illi S. Bonauentura dixit: *Gratia, qua inducere valet ad amandum DEVM, ſufficit.* Inſtat Frater Ægidius, Pater mi, poteſtne ignarus tantùm amare Devm, quantùm litteratus? *Poteſt, inquit S. Bonauentura: imò tibi dico, quod ſimplex quapiam fœmina tantùm poteſt DEVM diligere, quantùm Doctor Theologiæ.* Hoc audito Frater Ægidius abreptus amoris feruore exclamauit: O humilis & ſimplex fœmina, Saluatorem amato, & poteris tantùm valere apud Devm, quantùm Frater Bonauentura. Quo dicto, tribus horis manſit in ecſtaſi.

Voluntas equidem non perſpicit bonum niſi interueniente intellectu, eo autem perſpecto, non habet illo opus ad exercendum amorem. Vis enim delectationis ſeu gaudij, quod ſentit, vel ſentire intendit ex vnione ſui obiecti, eam ſat potenter trahit ad amorem, & ad deſiderium eius fruitionis. Ita vt notitia boni, ortum tribuat amori, ſed non menſuram. Quemadmodum enim cognitio iniuriæ cuipiam factæ, eum commouet ad iram, quæ, ſi non ſubitò ſuffocetur fere ſemper fit maior, quam requirat ſubiectum: eò quòd paſſiones non ſequantur cognitionem, quæ illas commouit, ſed frequenter relinquat à tergo, & accelerent gradum ſine vllo termino & limite verſus ſuum ſubiectum.

Porrò id adhuc magis euenit in ſacro amore, quia voluntas noſtra non eſt applicata per cognitionem naturalem, ſed per lumen fidei. Quæ certos nos facit de infinitate boni in Deo contenti, nobis præbens

ſuffi-

ſufficientiſſima argumenta amandi Dᴇᴠᴍ totis noſtris viribus. Fodimus terram ad inueſtigandum & inueniendum aurum & argentum, exantlantes nunc præſentes labores ob bonum ſolum ſperatum: ita vt notitia incerta nos inducat ad præſentia & realia opera: deinde quantò magis detegimus venam arrugiæ ſeu aurifodinæ & cuniculi, tantò ardentius ſemper quærimus vlteriorem. Sicut res exigua & pertenuis ſenſus excitat & incendit venaticos canes in feras; ita, chare Theotime, obſcura notitia & obducta pluribus nubibus, vti eſt notitia fidei, nos trahit magnopere ad amorem bonitatis, quam nobis detexit: O quam verum eſt, quod ſcripſit S. Auguſtinus: indoctos & idiotas rapere cælum, nos cum omni noſtra doctrina demergi in infernum.

Tuo iudicio, Theotime, quis magis amaret lumen, cæcuſné natus: qui omnes diſcurſus cælorum, quos formant Philoſophi, omneſque quos iidem cælo tribuunt laudes perſpectiſſimas haberet? an Agricola, qui clarâ viſione illud intuetur, gratumq; habet eximiũ ſolis orientis ſplendorem? ille de eo maiorem habet notitiam; hic autem re ipſa ſuauiſſimè eo fruitur. Nec negari poteſt, quin fruitio iſta producat amorem magis viuidum, magiſq; animatum, quàm ſimplex cognitio per diſcurſus acquiſita. Experientia enim alicuius boni efficit nobis illud infinities amabilius, quàm omnes ſcientiæ, quas de illo nanciſci poſſemus. Incipimus amare per cognitionem, quam nobis exhibet fides de Dᴇɪ bonitate, quam deinde deguſtamus per amorem, amor autem guſtum noſtrum exacuit, irritatq; guſtus demum conſummat amorem, & ab omni imperfectionis ſcoria expurgat. Ita vt quemadmodum videmus, flantibus ventis in mari, vndas ſe inuicem comprimentes, & ſe altius, velut ad inuidiam, per occurſum contrarium attollentes ac collidentes; ita guſtus boni exaltat amorem, & amor viciſſim guſtum, iuxta quod dixit diuina Sapientia: *Qui me edunt, adhuc eſurient, & qui me bibunt, adhuc ſitient.* Eccleſ. 24. v. 29. Quis obſecro magis amat Dᴇᴠᴍ, Theologuſné Ocham, quem nonnulli omnium mortalium ſubtiliſſimum nominârunt, an S. Catharina Genuenſis, fœmina Idiota? Ille melius ſciuit per ſcientiam; hæc autem per experientiam. Et quidem experientiam hanc profundè in amorem Seraphicum deduxit, illo remanente omni ſua cum ſcientia procul ab excellenti Catharinæ perfectione.

Sanctus Thomas dicit nos ſcientias, antequam eas calleamus per

Digitized by Google

ſolam confuſam notitiam, quam de ijs habemus, magnopere diligere: idem dicendum eſt de cognitione bonitatis diuinæ, quòd ſcilicet ea voluntatem noſtrã applicet diuino amori; ſed,poſtquã voluntas eſt in progreſſu eius amor pergit ſuâ ſponte creſcens per dilectionem, quam habet ad ſe vniendam ſummo bono. Antequam infantes deguſtârunt mel & ſaccarum, difficulter inducuntur, vt in os admittant: Verum poſteaquam capti ſunt eorum dulcedine, longè magis in illa feruntur, quàm vellent eorum educatores: dum enim illa perditè amant ſingulis momentis deſiderant.

Fatendum tamen eſt voluntatem attractam per delectationem, quam ſentit in ſuo obiecto,longè fortius in illud ferri,ad ſe eidẽ vniendã, quando intellectus ex parte ſua ei excellenter proponit bonitatem. Tunc enim & trahitur, & ſimul impellitur, impellitur autem per cognitionem acceptam ex delectatione: ita vt ſcientia non modo non ſit contraria ex ſe ipſa,ſed valde vtilis deuotioni. Et ſi ſimul iunctæ fuerint,dici vix poteſt,quàm vtiliter manus inuicem ſibi porrigant; quamuis eueniat non rarò, (quæ noſtra miſeria eſt.) vt ſcientia impediat ortum deuotionis, quia nimirum *ſcientia inflat*, & animum effert in ſuperbiam, ſuperbia autem, quæ eſt contraria omni virtuti, omnimodam perniciem infert deuotioni. Certè eminens ſcientia Cyprianorum, Auguſtinorum, Hilariorum, Chryſoſtomorum, Baſiliorum, Gregoriorum,Bonauenturarum, Thomarum, non ſolum multum illuſtrauit,ſed magnopere excoluit,& ad apicem perfectionis eorum deuotionem extulit,ſicuti viciſſim eorum deuotio non ſolùm exaltauit ſed quam maximè eorum ſcientiam auxit & perfecit.

Secunda differentia inter meditationem & contemplationem.

CAPVT V.

MEditatio minutim & per partes conſiderat ſua obiecta, quæ ſunt propria ad nos mouendos; at contemplatio vnâ ſimplici, & collectâ viſione in vnum aliquod obiectum, quod amat, fertur: & conſideratio ſic vnita facit motum fortiorem & vegetiorem. Spectari poteſt pulchritudo diuitis & pretioſæ alicuius coronæ duobus

bus

bus modis: vel conſiderando ſpeciatim omnes eius flores, & pretioſos lapides, ex quibus compoſita eſt; vel non conſideratis, vt dictũ eſt, ſeparatim omnibus partibus, ſed conſiderando totũ opus, & encauſtum illius ſimul vnâ & ſimplici viſione. Primus modus ſimilis eſt meditationi, in qua conſideramus, exempli causâ diuinæ miſericordiæ effectus, quibus excitemur ad eius amorem; ſecundus autem ſimilis eſt contemplationi, in qua reſpicimus vno mentis tractu & intuitu omnem varietatem eorundem effectuum, velut vnam pulchritudinem compactam ex omnibus ſuis partibus, quæ faciunt vnam ſolam ſcintillationem inſignis ſplendoris. Meditantes videmur numerare perfectiones diuinas, quas videmus in vno myſterio; ſed contemplantes, totam ſummam inferimus. Sociæ & comites ſacræ ſponſæ, petierant ab ea qualis eſſet eius dilectus, quòd ſe ſic adiuraſſet? illa reſpondit mirabiliter omnes eius pulchritudinis partes accuratè deſcribens: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum: coma eius ſicut elata palmarum: nigræ quaſi coruus, oculi eius ſicut columba ſuper riuos aquarum, genæ illius ſicut areola aromatum, conſita à pigmentarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam: manus illius tornátiles aureæ, plena hyacinthis, crura illius columnæ marmoreæ*: ita pergit meditando ſumam iſtam pulchritudinem particulatim, vſq; dum tandem per modum contemplationis omnia eius ornamenta, & talenta ſimul concludat: *Guttur illius*, inquit illa *ſuauiſſimum; eſt totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Hieruſalem.* Cant. v. 10.

Meditatio ſimilis eſt illi, qui violã Damaſcenã, roſam, rorem marinum, thymum, jaſminum, florem arboris aureæ, diſtinctè & ſeparatim vnam poſt alteram odoratur; ſed contemplatio refert eum, qui odoratur aquam diſtillatam & compoſitam ex omnibus iſtis herbis & floribus: hic enim vno ſolo odoratu percipit omnes illos odores ſimul vnitos, quos alter diuiſos & ſeparatos abinuicem odoratu perceperat. Nec vllum eſt dubium, quin hic vnicus odor, qui prouenit ex confuſione & permixtione omnium odorum iſtorũ, ſolus ſit ſuauior & pretioſior, quàm omnes odores, ex quibus ille vnicus eſt compoſitus, ſeparatimq; odoratu perceptus. Ideoque cæleſtis ſponſus tanti facit, quòd à dilecta ſua reſpiciatur vno ſolùm oculo, & quòd eius cæſaries ita ſit compoſita, & complicata, vt videatur vnicus crinis; ſed verba textûs audito: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meũ in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4 v. 9.

Nam quid eſt aliud reſpicere ſponſum vno ſolùm oculo, quàm illum videre

dere

dere ſimplici, ſed accuratâ viſione, non multiplicatis reſpectibus? Et quid etiam aliud eſt ferre crines vnâ colligatos, quàm non diſpergere ſuam cogitationem in varietatem diuerſarum conſiderationum? O quàm beati ſunt illi, qui facto diſcurſu ſuper multitudinem motiuorum, quæ habent ad Deum amandum, ſuos reſpectus & aſpectus ad vnam ſolam viſionem, & omnes ſuas cogitationes ad vnicam & ſolam concluſionem reducentes, continent mentem ſuam in vnitate contemplationis, & hoc exemplo S. Auguſtini, vel S. Brunonis, qui pronunciant ſecretò in anima ſua per admirationem permanentem amoroſa hæc verba: *O bonitas, bonitas, ò bonitas ſemper antiqua, & ſemper noua!* Exemplo etiam eximij S. Franciſci, qui humi flexis genibus in oratione totam noctem hæc verba ſine vlla intermiſſione enuncians & inculcans tranſegit: *ò DEVS, tu MEVS es DEVS, & meus totus!* Hoc de eo refert Beatus Frater Bernardus de Quintewal, qui ea ſuis auribus excepit.

Coniice oculos, Theotime, in S. Bernardum, qui cum vniuerſam paſſionem Domini per partes meditatus fuiſſet, deinde ex principalibus punctis ſimul iunctis, fecit faſciculum doloris amoroſi, & ponens illum ſupra pectus, ad conuertendam meditationem in contemplationem, elata voce dixit: Dilectvs mevs eſt faſciculus myrrhæ pro me.

Sed vide etiam maiori cum humilitate, & deuotione mundi Creatorem, quomodo in creatione vniuerſi primò ſuper ſuorum operum bonitatem per partes & ſeparatim, meditatus ſit, ea ſcilicet menſurâ, quâ videbat producta; *vidit, inquit ſcriptura, lumen eſſe bonum, Cælum item & terram eſſe res bonas, poſtea herbas & plantas, ſolem, lunam, ſtellas & animalia, in ſumma omnes creaturas, ſicut eas vnam poſt alteram creârat, eſſe bonas; vſq. dum tandem vniuerſum eſſet creatum & perfectum, diuina meditatio, vt ita dicam, ſe mutauit in contemplationem; quia videns omnem bonitatem, quæ erat in ſuo opere,* vno ictu oculi, vidit, inquit Moyſes, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Partes differentes ſeparatim conſideratæ per modum meditationis erant quidem bonæ; at conſideratæ vnico ſolo oculorum viſu omnes ſimul, in forma contemplationis, inuentæ ſunt non ſolùm bonæ, ſed valde bonæ. Sicut plures riui, ſe vnientes, & efficientes vnum fluuium potentem ad longè grauiora portanda onera, quàm multitudo eorundem riuorum ſeparatim portare valeat.

Gen. 1. v. 31.

Poſtquam magnam quantitatem diuerſarum affectionum piarum

Digitized by Google

rum per multitudinem conſiderationum mouimus, ex quibus meditatio eſt compoſita, congregamus demum virtutem omnium iſtarum affectionum, quæ ex confuſione & permixtione ſuarum virium producunt, certam quandam quintam affectionis eſſentiam; & quidem affectionis magis actiuæ magiſq; efficacis, quàm ſint affectiones, ex quibus illa procedit, quia licet non ſit niſi vna, comprehendit tamen virtutem & proprietatem omnium aliarum affectionum, quæ vocatur affectio contemplatiua.

Sic dicitur inter Theologos, quòd Angeli ſublimiores in gloria, habeant cognitionem DEI, & creaturarum longè ſimpliciorem, quàm inferiores; & quod ſpecies, vel ideæ, per quas illi vident, ſint vniuerſaliores; quò fit, vt Angeli minus perfecti videant per plures ſpecies, & per diuerſos aſpectus; magis autem perfecti per pauciores tum ſpecies, tum aſpectus. Hinc eximius S. Auguſtinus, quem ſequitur Diuus Thomas, dicit in cælo nos non habituros magnas huiuſmodi viciſsitudines, neque varietates, neque etiam mutationes & reflexas cogitationes, quæ eunt & redeunt de obiecto in obiectum, & ab vna re in aliam: ſed vnâ ſolâ cogitatione, diuerſitatem plurium rerum earumque cognitionem recepturos. Certè quantò magis aqua ſe remouet & elongat à ſua origine, tantò magis ſe diuidit & diſſipat per diuerſos ſulcos, niſi magnâ ſolicitudine ſimul contineatur: ſic etiam perfectiones ſe ſeparant & diuidunt iuxta quod elongatæ ſunt à DEO, ſua ſcaturigine; ſed quantò magis eidē appropinquant, tantò ſe arctius vniunt vſque dum felici ſorte ſint abſorptæ in iſta ſummè vnica perfectione, quæ eſt vnitas neceſſaria, & melior pars, quam Magdalena elegit, & quæ ab ea non auferetur in æternum.

Contemplationem fieri ſine labore, quæ eſt tertia differentia inter illam & meditationem.

CAPVT VI.

PORrò ſimplex viſio contemplationis vno trium horum modorum conficitur. I. Aliquando reſpicimus ſolummodo vnam aliquam è DEI perfectionibus, exemp. g. infinitam eius bonitatem, nullâ de alijs eius attributis aut virtutibus aſſumptâ cogitatione: velut ſponſus quiſpiam, qui defigens ſimpliciter aſpectum in eximia & luculenta ſuæ ſponſæ forma, reſpiceret totam eius faciem, quia ſcilicet eius forma (ſeu color) diffuſa eſt fere omnes alias illius partes, non attenderet tamen, neque ad lineamenta corporis, neque ad pulchritudinem aliarum partium. Eodem modo ſubinde euenit in diuinis, dum mens noſtra reſpiciens ſummam bonitatem diuinitatis, quamuis in ea præter illam, videat iuſtitiam, ſapientiam, potentiam, attentio tamen eius ſolùm fertur in bonitatem, in eam ſiquidem vnicam ſimplex eius viſio dirigitur. II. Subinde etiam attenti ſumus ad reſpiciendas in DEO plures, ex infinitis eius perfectionibus, ſed viſione vnicâ & ſimplici, idq; ſine vlla diſtinctione; velut is, qui vno oculorum iactu, tranſeunte eius viſione à vertice capitis ſuæ ſponſæ, veſtibus, auro gemmiſque vndique coruſcantibus amictæ, vſque ad eiuſdem pedes, omnia perattentè in genere, ſed non in ſpecie vidiſſet, nec tamen ſciret certo dicere, quale collare, qualem tunicam tunc geſtarit, neque qualem ſtatum corporis, oculorum, cæterorumque, membrorum habuerit, vel qualis eius aſpectus fuerit, ſed omnia fuiſſe pulchra & grata, perbellè nôrit. Sic enim per contemplationem ſæpe vnicam ſimplicis conſiderationis plures excellentiæ & perfectiones diuinæ ſimul conſpiciuntur, nec tamen poteſt res aliqua in particulari referri, niſi quòd omnia in communi ſint perfecta, bona & pulchra. III. tandem alijs vicibus reſpicimus, non plures, neque vnam ſolam ex perfectionibus diuinis, ſed ſolummodo aliquam actionem, vel opus quodpiam diuinum, cui cum ſedulâ attentione animum applicamus: exempli causâ actui miſericordiæ, per quem DEUS condonat peccata; vel actui creationis, vel re-

ſuſcita-

Digitized by Google

ſuſcitationis Lazari, vel deniq; conuerſionis D. Pauli. Sic ageret ſponſus quiſpiam, qui non reſpiceret oculos, ſed ſolummodo ſuauitatem aſpectûs ſuæ ſponſæ in ſe coniecti, neque conſideraret illius os, ſed tantummodo ſuauitatem verborum, quæ ex eo procedunt. Et tunc, Theotime, anima facit quendam ſaltum amoris non ſolùm ſuper actionem, quam illa conſiderat, ſed etiam ſuper illum à quo procedit. *Bonus es Domine, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Guttur tuum,* id eſt verba, quæ ex eo egrediuntur, *ſuauiſſimum eſt, & tu totus deſiderabilis. O quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, & dulciora ſuper mel ori meo!* Vel cum S. Thoma: *Dominus meus, & DEVS meus!* Et cum S. Maria Magdalena: *Rabboni, Magiſter mi!* Cant. 5 v. 16. & 1. v. 6.

Sed quocunq; tandem è tribus dictis modis procedatur, contemplatio ſemper hanc habet excellentiam, quòd fiat cum delectatione, in quantùm præſupponit, inuentum eſſe DEVM vnà cum ſancto eius amore; quò contemplans fruendo exiliens gaudio, hæc effert verba: *Inueni quem diligit anima mea, inueni & non dimittam eum.* In quo differt à meditatione, quæ fit ferè ſemper cum labore, defatigatione, & diſcurſu, dum mens noſtra in illa laborans, tranſit ex vna conſideratione in aliam, quærens diuerſis in locis, vel dilectum ſui amoris, vel amorem ſui dilecti. Jacob Patriarcha laborat in meditatione ad acquirendam ſibi Rachelem, ſed eâ acquiſitâ, gaudet cum illa, & omnem ſuum laborem obliuiſcitur, intentus contemplationi. Sponſus diuinus quamuis ouium cuſtos, præparat ſumptuoſum conuiuium more agreſti pro ſua ſacra ſponſa, quod deſcribit hunc in modum, quo myſticè repræſentat omnia myſteria Redemptionis humanæ: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam, cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, miſcui vinum meum cum lacte meo: Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5 v. 1. & ſeqq. Theotime, dic age, quando putas Dominus venit in *hortum ſuum*, niſi quando in puriſsima, humillima & dulciſſima Matris ſuæ viſcera ingreſſus eſt, plena omnibus florentiſſimis arboribus ſanctarum virtutum? Et quid, quòd dicitur Dominus *meſſuiſſe myrrhā ſuam cum aromatibus*, niſi quòd dolores doloribus vſque ad mortem, & quidem mortem crucis, ſibi accumulârit, iungens per illos merita meritis, & theſauros theſauris, ad ditandos filios ſuos ſpirituales? Quando etiam reris eum comediſſe *fauum cum melle*, niſi dum vixit nouâ vitâ, reuniens animam ſuam quouis melle dulciorem corpori ſuo transfixo & ſauciato pluribus vulneribus,

quam fauus habeat foramina? Et quando aſcendens in cælos, accepit poſſeſſionem omnium circumſtantiarum diuinæ ſuæ gloriæ debitam, quid aliud fecit, quàm quòd miſcuit vinum lætitiæ eſſentiale gloriæ animæ ſuæ, cum lacte delectabili perfectæ felicitatis ſui corporis, modo adhuc excellentiori, quàm ad illud vſque tempus fecerat?

Porrò, in omnibus hiſce diuinis myſterijs, quæ alia omnia comprehendunt, eſt vnde bene comedatur & bibatur ab omnibus charis amicis, quinimò etiam vnde intimi inebrientur. Aliqui comedunt & bibunt, ſed comedunt plus quam bibant, quo fit vt non inebrientur; alij comedunt & bibunt, ſed longè plus bibunt quàm comedant: & hi ſunt, qui inebriantur. Agedum intelligito COMEDERE eſſe MEDITARI. Nam meditando manditur, & vertendo cibum iſtum ſpiritualem huc & illuc intra dentes conſiderationis; friatur, contunditur & digeritur, quod fit non abſque aliquo labore. BIBERE autem eſt CONTEMPLARI, & hoc fit ſine labore, & reſiſtentia, at non abſq; delectatione, & animi dilatatione. Si quæras quid ſit ſe INEBRIARE? Dico eſſe contemplari tam ſæpe & tam ardenter, vt quis totus quantus ſit extra ſe ipſum, vt totus ſit in DEO. O ſancta & ſacra ebrietas, quæ contra morem corporalis ebrietatis nos alienat, non à ſenſu ſpirituali, ſed corporali; quæ nos, non efficit hebetes, aut ſtupidos ad inſtar beſtiarum, ſed Angelis, cæteriſq; Cælitibus reddit ſimiles, quæ nos extra nos ponit, non vt nos humiliet, & in ordinem belluarum redigat, vt facit ebrietas terrena, ſed vt nos eleuet ſupra nos, & collocet inter Angelorum choros, quò magis viuamus in DEO, quàm in nobis ipſis, dum attendimus & occupamus nos amore, trahente nos ad videndam eius pulchritudinem, & vniente nobis eius bonitatem.

Vltrà ad perueniendum ad contemplationem communiter & ordinariè opus habemus audire verba ſacra, inſtituere ſermocinationes & colloquia ſpiritualia cum alijs, & ad modum antiquorum Anachoretarum legere libros deuotos, orare, meditari, cantare cantica ſpiritualia, formare bonas & ſolidas cogitationes ad id obtinendũ. Cùm enim ſancta contemplatio ſit finis & terminus omnium exercitiorum, ad illam, velut ad ſcopum omnibus propoſitum, tendere & collineare debent omnes, qui iſta exercent, & contemplatiui nuncupantur, ſicut & iſtud occupationis genus vocatur vita contemplatiua propter actionem noſtri intel-

lectûs

Digitized by Google

lectûs, per quam pulchritudinis & bonitatis diuinæ veritatem amoroſa cum attentione reſpicimus: id eſt, cum amore, quo reddimur attenti, vel ſimpliciter, cum attentione, quæ & prouenit ex amore, & auget amorem, quem habemus aduerſus infinitam Dei ſuauitatem.

Capvt VII.

De amoroſa recollectione animæ in ipſa contemplatione.

HIC, Theotime, non loquor de recollectione eorum qui oraturi ſe in Dei præſentia conſtituunt, intrantes ſemetipſos, & vt ita dicã, reuocantes animas ſuas in ſua ipſorum corda, vt Deo loquantur. Nam recollectio hæc fit ex præcepto amoris qui nos prouocans ad orationm, inducit ad bene & laudabiliter eam faciendam. In quo vt vides, Theotime, nos ipſi ſumus qui illam mentis recollectionem facimus. Verùm recollectio de qua mihi eſt ſermo non fit mandato amoris, ſed ipſo amore, id eſt, non eam nos aſſumimus per electionem, eò quòd non ſit in noſtra poteſtate id facere quando volumus, cum non dependeat à noſtra cura & ſolicitudine, ſed Devs ſolus eam in nobis facit, quando ex ſingulari gratia ſic ei lubitum eſt. *Ille, inquit Beata Thereſia de IESV, qui ſcriptum reliquit orationem recollectionis fieri, ad inſtar herinacei, vel teſtitudinis recipientis ſe intra ſe, omnia bene intellexit, excepto, quòd beſtiæ iſtæ recipiant ac retrahant ſe in ſe quando lubitum eſt: at recollectio hæc non eſt ſita in noſtra voluntate, ſed nobis datur ad DEI beneplacitum.*

Collectio autem hæc ſic fit. Nihil eſt ita naturale bono, quàm vnire & trahere ad ſe res, quæ pollent ſenſu, vti pollent animæ, quæ ſemper propendent & tendunt ad ſuos theſauros, id eſt, ad id, quod illis in amoribus eſt. Contingit proinde nonnunquam, vt Devs imperceptibiliter in intimo cordis noſtri receſſu ſpargat certam quandam ſuauitatem, quæ perhibet teſtimonium eum adeſſe. Et tunc facultates & potentiæ, imò & ipſi ſenſus exteriores quodam ſecreto conſenſu vertunt ſe ad intimam illam partem, vbi eſt amabiliſſimus & chariſſi-

Digitized by Google

ius ſponſus. Nam quemadmodum nouum examen apum, dum vult egredi, profugere, & mutare ſolum, reuocatur ſono, qui ſuauiter ſit ſuper pollubra ſeu pelues; vel per odorem vini mellificati, vel certè per odorem aliquarum herbarum odoriferarum, ita vt illectum hacce ſuauitatis eſcâ, ſubſiſtat & moretur, præparatumq́; ſibi alueare ingrediatur. Dominus noſter pronuncians ſecretum aliquod verbum ſui amoris, & diffundens vinum ſuæ dilectionis, quod longè delicioſius eſt, quouis melle, vel certè euaporare faciens in cordibus noſtris fragrantiam ſuarum veſtium, id eſt ſenſus quoſdam ſuarum conſolationum cæleſtium, mellacio & modo iſto facit nos ſentire amabiliſſimã ſuam pręſentiã, trahitq́; ad ſe omnes facultates animæ noſtræ, quæ ſe congregant circa illum, & ſubſiſtunt ac conſiſtunt in illo, tanquam in ſuo deſideratiſſimo obiecto. Et quemadmodum is, qui fruſtulum magnetis collocaret inter plures acus, videret ſubitò omnes earum cuſpides vertere ſe ſe ad eam partem, in qua eſt magnes (quo cum habent affinitatem) eidemq́; ſe vnire; ita quando Dominus ſigno quopiam ſentiri facit in medio animæ noſtræ ſuauiſſimam ſuam præſentiam, omnes noſtræ facultates ſua acumina in eam vertunt partem, vt ſe iungant incomparabili eius dulcedini.

O Deus! dicit tunc anima ad imitationem S. Auguſtini: *vbi te quærebam pulchritudo infinita! quærebam te foris, & tu eras in medio cordis mei.* Omnes S. Mariæ Magdalenæ affectiones & cogitationes diſperſæ erant circa ſepulchrum Saluatoris, quem iam hic, iam ibi quæritabat, licet iam quæſitum inueniſſet, iſq́; cum illa loqueretur, non ideò tamen ceſſabat eas habere diſperſas, eò quod præſentem eum non cognoſceret: ſed ſimul atq; proprio nomine ab eo vocata eſt, ſe recollegit, & tota quanta ad eius pedes abiecta hæſit. O verbum efficax, quo elato à Saluatore in varia diſtracta, ſubitò ſe recollegit!

Imaginare tibi, Theotime, quomodo ſancta anima Beatæ Mariæ Virginis Dominæ noſtræ eo tempore, quo concepit Dei filium, vnicum ſuum amorem, ſe collegerit circa puſionem dilectum ſuum; & quia diuinus hic amicus erat intra ſacra eius viſcera, perpende qualiter omnes animæ facultates ſe in illam ipſam receperint, vt ſanctæ apes intra ſuum alueare, in quo mel aſſeruant. Et quâ menſurâ magnitudo diuina ſe, vt ita dicam, reſtrinxerat, & contraxerat in eius Virginali vtero, eâdem

eius

eius anima laudes infinitæ benignitatis amplificabat, magnificabatque, quin & præ gaudio in eius corpore (vt S.Ioannes in ventre Matris) circa ſuum Deum, quem ſentiebat præſentem, exultabat. Non eiaculabatur cogitationes ſuas, neq; affectiones extra ſe ipſam, ſiquidem eius theſaurus, eius amores & deliciæ erant in medio ſacrorum eius viſcerum. Porrò hoc idem gaudium poteſt in praxim deduci per imitationem, ab ijs, qui poſtquam ſacrâ Synaxi refecti ſunt, ex certitudine fidei ſentiunt id, quod neq; caro, neq; ſanguis, ſed Pater cæleſtis eis reuelauit: qui eorum eſt Saluator tum in corpore tum in animâ comprimis reali præſentiâ per ſummè adorandum Sacramentum præſentiſſimus. Quemadmodum enim margarita, receptis cælitùs ad algorem matutinũ guttulis, ſe reſtringit & claudit, non ſolùm ad guttulas illas ab omni permiſtione impuritatis, (quæ euenire poſſet per aquas marinas) conſeruandas liberas, ſed etiam propter gaudium, quod ſentit ex aſpectu grati algoris iſtius germinis, quod cælum imiſit. Ita euenit compluribus ſanctis & deuotis fidelibus: quorum anima recepto intra viſcera diuino Sacramento (quo continetur ros omnium benedictionum cæleſtium) ſe reſtringit, & omnes eorum facultates ſe recolligunt, non tantum ad adorandum ſupremum Regem, nouiſſimè admirabili præſentiâ eorum viſceribus præſentem: ſed etiam propter incredibilem conſolationem, & refrigerationem ſpiritualem, quam recipiunt per fidem, ex ſenſu diuini & cæleſtis germinis in ſuis interioribus. Vbi notabis ſolicitè, Theotime, (paucis dico) quòd omnis iſta recollectio fiat per amorem, qui ſentiens præſentiam DILECTI per illicia, quæ is reſpergit in centro cordis, colligit & refert totam animam ad illud per amabiliſſimam inclinationem & velut per ſuauiſſimum circuitum, delicioſamq; replicationem, nec non adunationem omnium facultatum in partem DILECTI qui eas ad ſe trahit vi ſuauitatis, per quam ligat & trahit corda, vt trahuntur corpora per funes & vincula materialia.

Verùm ſuauis recollectio animæ noſtræ in ſe ipſa non ſolùm fit ex ſenſu aliquo præſentiæ diuinæ in medio cordis noſtri; ſed quocunq; tandem modo in ſacra eius præſentia nos conſtituamus. Euenit ſubinde, vt omnes noſtræ interiores potentiæ ſe reſtringant ac reducant in ſe ipſas per ſummam reuerentiam, & ſuauiſſimum timorem, qui nos occupat ex conſideratione ſupremæ Maieſtatis illius, qui præſens nobis adeſt,

& nos

Digitized by Google

& nos intuetur. Ita licet ſimus diſtracti, ſi tamē Papa aut magni nominis Princeps aliquis compareat, redimus & reuertimur in nos ipſos, quia & reflectimus noſtras cogitationes ſuper nos ipſos, vt decenti cum reſpectu nos habeamus. Dicuntur flores, gladioli nuncupati, viſu ſolis conſtringi & reſtringi, in cuius abſentia ſe expandunt & manent aperti totis noctibus: eodem modo in hoc recollectionis genere, de qua eſt ſermo, nobis euenit: nam ad ſolam Dei præſentiam, vel ad ſolum ſenſum, quo æſtimamus, & monemur ad credendum, quòd nos Devs reſpiciat aut ex cælo v. g. aut ex quocunq; alio loco extra nos poſito, (licet tunc non cogitemus de altero genere præſentiæ, per quam in nobis eſt) noſtræ facultates & potentiæ ſe colligunt & congregant in nobis ipſis, ob reuerentiam diuinæ Maieſtatis, ad quam timendam timore laudabili & venerationis pleno amor nos inducit.

Noui ego hominem, apud quem ſimulatque fiebat mentio alicuius myſterij vel ſententiæ, quæ paulò expreſsius ſolito ei reuocabat in memoriam Dei præſentiam, ſiue id in confeſsione facienda ſiue in particulari aliqua ſpirituali collatione, qui ſe ipſum ita profundè intrabat, vt non niſi magno labore adhibito, egredi valeret ad loquendum & reſpondendum; & tali modo ei contingebat, vt, quoad exteriora maneret velut vitâ deſtitutus & ſenſibus captus, vſq; dum eius animæ ſponſus egredi eum ſineret; quod aliquando citò, aliquando tardius faciebat.

De quiete animæ recollectæ in ſuo dilecto.

Capvt VIII.

ANima igitur ſic recollecta intra ſe ipſam, in Deo vel coram Deo, ſubinde ita ſuauiter & attentè fruitur bonitate svi dilecti, vt hæc attentio vix illi videatur attentio: tam ſimpliciter, ſuauiter & delicatè ea exercetur! Et hoc ad inſtar nonnullorum fluuiorum, qui ita ſuauiter & æqualiter decurrunt, vt eos contemplantibus, vel in eis nauigantibus non videantur moueri quia ſcilicet neque vndæ, neq; fluctus vlli apparent. Et iſta eſt amabilis quies animæ, quam B. Virgo Thereſia de Iesv, vocat orationem qvie-

tvdinis,

TVDINIS, non multùm differentem meo iudicio ab eo, quod nominat ſomnum, ſeu ſoporem potentiarum.

Nemo negarit homines amantes non raro contentos eſſe præſentiâ, vel conſpectu perſonæ, quam amant, eſto non colloquantur, vel de ipſa perſona amata, vel de eius perfectionibus, ſatis habentes, vt quidem videtur, frui adeo cupitâ præſentiâ, non quòd de ea vlla ratione cogitent, ſed quòd quiete quadam & tranquillitate ex illa perfundantur. *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec dies aſpiret & inclinentur vmbræ.* Oſtende ergo mihi ò dilecte animæ meæ, *vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Viden' Theotime, quomodo Sanctæ Sulamitidi ſatis ſit ſcire ſuum dilectum eſſe ſecum, vel in ſuo ſinu, vel etiam in ſuo arboreto domeſtico, vel vbicunque alibi, modò ei conſtet vbi! Hoc habito, tota eſt quieta, tota tranquilla, nec aliud requirit. Cant. 1. v. 12.

Iſta autem quies ita nonnunquam profundè ſe immergit in tranquillitatem, vt tota anima cum omnibus ſuis potentijs remaneat quaſi profundo ſomno obruta, nullo edito motu, neque actione aliqua exteriori, exceptâ ſolâ voluntate, quæ etiam aliud non agit, quàm quòd recipiat gaudium, quod ei exhibet Dilecti præſentia. Et quod longè adhuc mirabilius eſt, voluntas non aduertit ſe eo frui, quo tamen inſenſibiliter fruitur, ſed ad id animum non applicat, nec de ſe cogitat, ſed de eo ſolùm, qui ſuâ præſentiâ ei exhibet lætitiam: ſicut ſæpius euenit, vt nos leui ſomno obruti, tantummodò partem aliquam eorum, quæ amici circa nos conſtituti loquuntur, verborum percipiamus, vel charitatis officia, quæ nobis exhibent, ferè imperceptibiliter ſentiamus.

Nihilominùs anima, quæ in ſuaui iſta quiete fruitur delicato ſenſu præſentiæ diuinæ, quamuis non aduertat ſe percipere eam iucunditatem, clarè tamen teſtatur quantopere præſens bonum ſibi ſit pretioſum & amabile, quando illud ab ea aufertur, vel quando quidpiam ab illo bono eam auertit. Tunc enim miſera anima queritur, clamat, imò & ſubinde plorat inſtar infantis, qui excitatur citius, quàm ſatis fecerit ſomno; doloremque, quem ſentit propter eum interruptum, abunde oſtendit, quàm ſomnus ei fuerit gratus. Hinc eſt quòd diuinus ouium cuſtos *adiuret filias Sion, per capreas ceruoſq; camporum, ne ſuſcitent, neque euigilare faciant dilectam, donec ipſa velit*: id eſt, vſque dum per ſe ipſa euigilet. Nunquam Cant. Cant. 3 v. 5.

Mm Theo-

Theotime, anima ſic in Deo ſuo tranquilla, derelinqueret ſuam quietem pro omnibus mundi bonis.

Luc. 10. 38. & ſeqq. Talis fere fuit quies S. Mariæ Magdalenæ, quæ ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Eam, Theotime, amabò, conſidera; ſedet in profunda tranquillitate, nil loquitur, non plorat, non trahit ſingultum, non ſuſpirat, non ſe mouet, non orat. Martha autem tota quanta intenta ad excipiendum pro dignitate Chriſtum Dominum, vltrò citroque tranſit per conclaue, & iterum redit. Maria autem ea de re ne cogitat quidem. Ecquid igitur facit? Nihil facit: ſed audit: quid eſt dicere audit? id eſt, ibi eſt tanquam vas factum in honorem ad recipiendam guttatim myrrhæ ſuauitatem, quam labia Dilecti ſui diſtillant in eius cor. Et diuinus amator zelans charum ſomnum & quietem iſtius dilectæ, reprehendit Martham, quæ eam volebat à ſomno auellere: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò, vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sed qualis fuit pars vel portio, quam Maria elegit? Fuit manere in pace, in quiete apud dulcem ſuum Iesum.

Pictores vt plurimùm Beatum Joannem Euangeliſtam non ſolum in cœna recumbentem, ſed etiam dormientem ſuper pectus Magistri, depingunt; eò quòd in eo ſederet more Orientalium, ita vt caput erectum haberet verſus ſinum ſui dilecti Magiſtri, ſuper quem, ſicut non dormiebat ſomno corporali, imò ne ſimilitudinem quidem illius in hoc repræſentabat; ita non dubito, quin ſic vicinus vberibus æternæ ſuauitatis, profundo, myſtico, & dulci ſomno indulſerit, adinſtar dilecti alicuius infantis, qui adhærens mammillis maternis, trahit lac dormiens, & dormit trahens. O Deus! quæ & quales deliciæ ſunt iſti Beniamino, ſancto Ioanni Euangeliſtæ, infanti lætitiæ Saluatoris, ſic dormienti inter brachia ſui Patris, qui die ſequenti, vt Beniamin, filius doloris, ab eodem Saluatore commendatus eſt ſuauibus matris vberibus? Nihil magis deſiderant parui infantes, ſiue vigilent, ſiue dormiant, quam pectus paternum, & ſinum maternum.

Quando igitur te deprehendes in hac ſimplici & pura confidentia filiali apud Dominum Maieſtatis, caue, Theotime, ne in mentem veniat, vt velis inde te abſtrahere, vt opera aliqua ſenſibilia exerceas, imò verò ne quidem operationes intellectûs, aut voluntatis aggredi. Nam

ſimplex

Digitized by Google

ſimplex hic amor confidentiæ, & amoroſa indormitio tuæ mentis inter brachia Saluatoris, comprehendit per excellentiam omne id, quod huc & illuc diſcurrendo, pro tuæ quietis guſtu & commoditate poſſes adipiſci. Melius eſt dormire ſupra ſacrum pectus Saluatoris, quàm vigilare vbicunque alibi.

Quomodo hæc ſacra quies in actum reducatur.

CAPVT IX.

NVnquamné aduertiſti, Theotime, quo ardore infantes ſubinde ſe affigunt vberibus maternis, quando aliqua vrgentur fame? Videntur muſſitantes ita auidè ore premere vbera materna, & lac ſugere, vt etiam Matribus infligant dolorem, ſed poſtquam frigiditas lactis aliquomodo ſedârit & imminuerit calorem eorum, & grati vapores, qui immittuntur in cerebrum, cœperint ijs conciliare ſomnum, videres eos, Theotime, ſenſim ocellos claudere, & cedere paulatim ſomno, non deſerto nihilominus vbere, circa quod nullam exercent actionem, niſi perquam lentum & quaſi inſenſibilem motum labiorum, per quem ſemper in os trahunt lac, & imperceptibiliter deglutiunt. Et hoc fit abſque vlla cogitatione, ſed non ſine delectatione: nam ſi ijs ſubtrahatur mammilla antequam profundo ſint ſomno obruti, euigilant, & amarè flent, hoc ipſo teſtantes dolorem, quem ſentiunt ex ſubtractione mammillæ & priuatione lactis, in cuius poſſeſsione multum ſuauitatis capiebant. Porrò idem contingit animæ, quæ apud Deum conſtituta eſt in quiete: nam ſugit fere inſenſibiliter ſuauitatem iſtius præſentiæ, remoto omni diſcurſu, & abſque operatione & exercitio vllius ſuæ facultatis & potentiæ, præter exiguam voluntatis actionem, quâ mouet ſuauiter & ferè imperceptibiliter, velut infans os, per quod intrat delectatio, & quaſi inſenſibilis expletio, quam capit ex fruitione diuinæ præſentiæ. Quodſi huic paruæ pupæ incommodi aliquid inferatur, remouendo eam à mammilla, quia ſcilicet videtur dormire, tunc clarè oſtendit, quòd, etſi dormiat quoad res alias, non dormit tamen quoad hoc: aduertit enim malum iſtius

Digitized by Google

ſeparationis, & indignatur, oſtendens per hoc iucunditatem, quam habebat, eſto, ne cogitationem quidem ad bonum habuerit, quod poſſidebat. Cùm Beata Mater Thereſia ſcripto teſtata ſit ſimilitudinem illam eſſe ad rem præſentem, eam placuit adferre & declarare.

Verùm, dicito mihi, Theotime, anima in Deo recollecta quare obſecro, ſe inquietaret? nónne habet argumentum ſe componendi & manendi in quiete? Nam quid quæreret illa, *dum iam inuenit, quem quærebat?* Quid ei ſupereſt aliud, quàm vt dicat; *Inueni dilectam meum, ego tenebo illum, & non dimittam.* Non habet opus vllis diſcurſibus per intellectum formandis, videt enim viſione tam dulci præſentem ſuum ſponſum vt diſcurſus ei prorſus ſint inutiles & ſuperflui. Quodſi etiam non videat per intellectum, nihil illius intereſt, dum acquieſcit eius præſentiæ interueniente gaudio, & ſatisfactione, quam recipit voluntas. Agedum, Dei Mater, Domina noſtra & Magiſtra exiſtens prægnans non videbat Dominum ſuum infantē, ſed eum ſentiēs intra ſacra ſua viſcera, mi Devs, quod & quale gaudium non ſentiebat illa? Et Sancta Elizabetha, nónne modo admirando ex præſentia Saluatoris, quem tamen non videbat, die Sanctæ Viſitationis fructum capiebat? anima non indiget in hac quiete conſtituta, memoriâ, imò ne imaginatione quidem. præſentem ſiquidem habet ſuum Dilectum. Quorſum enim imago ſiue exterior, ſiue interior ad repræſentandum eum, cuius tu frueris præſentia? Atq; ita ſola voluntas eſt, quæ dulciter & velut tenerè ſugendo attrahit lac dulcis præſentiæ ſui Dilecti, & percipit gaudium, omnibus alijs animæ potentijs & facultatibus vnà cum illa dulciter quieſcentibus.

Non ſolùm autem vinum mellificatum vſui eſt reuocandis & retrahendis apibus in ſua aluearia, ſed etiam iiſdem reddendis quietis, nam quando mouent ſeditiones inter ſe, occidendo & conficiendo ſe inuicem, earum gubernator non habet remedium vino mellificato præſtantius; quare dum illud fundit inter efferatum iſtum exiguum populum partes diſsidētes, ex quibus populus iſte conſtat, ſentientes ſuauē & gratum odorem acquieſcunt, & occupantes ſe fruitione iſtius ſuauitatis, manent compoſitæ & tranquillæ. Æterne Devs, quando per dulcem tuam præſentiam in noſtra corda iacis fragrantiam Thymiamatis, Thymiamatis inquam, quod longè delicioſius eſt quouis melle, tunc omnes

poten-

Digitized by Google

potentiæ noſtrarum animarum ingrediuntur gratæ quietis domicilium vna cum tranquillitate ita perfecta, vt nullus amplius ſit ſenſus niſi ſolius voluntatis, quæ ad inſtar Spiritualis odoratûs manet ligata & obligata funiculis non Adæ ſolùm, ſed Creatoris illius, ſentiendo & non videndo bonum incomparabile, quo ei præſens conſtituitur DEVS.

De diuerſis gradibus iſtius quietis, & quomodo ea ſit conſeruanda.

CAPVT X.

SVNT ingenia nonnulla comprimis actiua, fertilia, fæcunda, & in ſuis diſcurſibus copioſa; ſunt etiam alia facilia & flexibilia quæ ſuper omnia ſeſe reflectunt, & magnopere auent percipere quæcunq; faciunt: vnde omnia volunt videre & explorare, quæ in ſe & intra ſe aguntur; quò fit, vt perpetuò ſuam viſionem ſupra ſe ipſa, ad cognoſcendum ſuum profectum, reflectant reducantq; ſunt adhuc & alia, quæ ſuæ quieti nunquam acquieſcunt, niſi quaſi ſentiant, intueantur, deguſtentq; ſuam illam quietem, & animi tranquillitatem. Et hi homines non immeritò videri poſſunt ſimiles ijs, qui probè veſtiti cōtra frigus, ſe minimè ſatis veſtitos eſſe crederent, niſi ſcirent quod tunicas geſtarent; vel certè ijs, qui licet viderēt ſua cimeliarchia, ſeu ſecretiora conclauia plena eſſe auro & argento, nō crederent eſſe ſe diuites, niſi illis conſtaret ſuorum aureorum numerus.

Porrò omnia iſta ingenia communiter in ſuis orationibus ſunt obnoxia turbationibus. Nam ſi DEVS ijs conferat ſacram præſentiæ ſuæ quietem, eam voluntariè deſerunt, vt aduertant quomodo in illa ſe gerunt, examinantq; an ſolidum gaudium quietemque habeant, inquietantes ſe ad ſciendum an ſua tranquillitas verè ſit tranquilla, & quietudo ſit vera quies. Ita vt loco, quo deberent ſuauiter occupare voluntatem in ſentiendis intimè ſuauitatibus DEI præſentiæ, applicent intellectum ad faciendos diſcurſus ſupra ſenſus & obiecta quæ ſibi efformarunt. In quo ſimiles ſunt cuipiam ſponſæ quæ ſe occuparet annulo, quo in ſponſalibus donata eſt, non contemplando ipſum ſponſum, qui illum dedit.

Digitized by Google

Magnum eſt diſcrimen, Theotime, inter occupare ſe in Deo, qui nobis exhibet gaudium, & detinere ſe gaudio, quod nobis tribuit Devs.

Quare anima, cui Devs in oratione ſanctam & amoroſam tribuit quietem· debet, quantùm in ſe eſt, abſtinere à ſui ipſius conſideratione, ſicut & à ſua quiete, quæ vt bene cuſtodiatur, non debet curioſè conſiderari: nam qui illam nimis appetit, perdit. Adde, quòd iuſta regula recte eam appetendi & deſiderandi ſi illam non affectare. Et quemadmodum infans quiſpiam, qui vt videat vbi pedes ſuos habeat, remouet caput è Matris ſinu, & ſtatim in eodem reponit, quia delicatulus eſt: ita oportet nos, ſi aduertamus nos diſtrahi, vel iam diſtractos eſſe curioſitate ſciendi quid in oratione actitemus, quàm primùm reponere cor noſtrum in dulci & pacifica attentione Dei præſentiæ à qua nos auertimus. Cæterùm, non eſt, neq; timendum, neq; credendum ſubeſſe periculum aliquod perdendi ſacram iſtam quietem per actiones corporis, aut animæ dum non fiunt, nec inſtituuntur leuitate aliquâ, aut indiſcretione. Nam vt dicit Beata Thereſia: *eſt ſuperſtitio quadam ita zelari iſtam quietẽ, vt neq; tuſsire, neq; excreare, neq; reſpirare velis ob timorem eã amittendi.* Quia Deus, qui eam dat pacem, non aufert ob motus neceſſario exercendos, neq; ob diſtractiones, & animi euagationes, quando ſunt inuoluntariæ, & voluntas ſolidè ineſcata præſentiâ diuinâ non priuatur guſtu ſuauitatum, eſto intellectus & memoria, non manentes intra ſtationem & debitum ordinem, cogitationibus extraneis & inutilibus euagando adhæſerint.

Verum eſt, tunc quietudinem animæ non eſſe tantam, quanta eſſet, ſi intellectus & memoria conſpirarent cum voluntate. Verumtamen non ideò ceſſat eſſe vera tranquillitas ſpiritualis, ea ſiquidem regnat in voluntate, quæ eſt magiſtra omnium aliarum facultatum. Vidi ego hiſce meis oculis hominem ſummè vnitum & coniunctum Deo, qui nihilominus facultates & intellectus & memoriæ ita habebat liberas ab omni interiore occupatione, vt peroptimè audiret & intelligeret diſtinctè quicquid circa ſe ageretur, integerrimeq; recordaretur, eſto nequiret reſpondere, neque ſe à Deo, cui per applicationem ſuæ voluntatis erat affixus, ſeparare: Dico taliter affixum fuiſſe, vt rettrahi non poſſet à ſuaui occupatione, niſi magno cum dolore. Qui dolor etiam prouocabat gemitus, quos edebat in validiſſima conſolatione & quietudine,

tudine; vti videmus teneriores infantes muſſitare, & velut querelas deponere, quando ardenter lac deſiderant, quin & poſtquam iam mammas ſugere cœperunt; vel ſicut Patriarcha Iacob, qui fixo pulchræ & caſtæ Racheli oſculo, *eleuatâ voce fleuit*. præ vehementi conſolatione & teneritudine, quam ſentiebat. Sic etiam animam, de qua mihi ſermo eſt, habentem ſolam voluntatem ſibi obſequentem & deuotam; intellectum verò, memoriam, auditum, & imaginationem liberam, ſimilem credo infanti paruulo, qui lac ſugens poteſt videre, audire, quin etiam manus & brachia mouere, non deſerto charo Matris vbere. Gen. 29 v. 11.

Nihilominus tamen pax animæ longè eſſet maior & ſuauior, ſi circa eam nullus fieret ſtrepitus, nec anſa ſe mouendi, neq; quoad cor, neque quoad corpus ei exhiberetur: adæquate enim percuperet ſuauitate diuinæ præſentiæ ſe occupare; ſed, cùm non valeat ſubindè ita omnia impedimenta à ſe amoliri, quin in alijs facultatibus diuertatur, minimum ſeruat quietudinem in voluntate, quæ eſt facultas; per quam bono concupito fruitur. Nota verò, quòd quando voluntas manet in quietudine mediante gaudio, quod capit ex diuina præſentia, non ſe mouet ad reducendas alias potentias, quæ diſsipatæ ſunt: eò quòd ſi id præſtandum ſuſciperet, hoc ipſo quietem perderet, ſe à ſuo dilecto elongaret, & operam perderet huc & illuc diſcurrendo, ad deprehendendas, & ad officium reducendas illas volatiles facultates, quæ nunquam vtilius reuocari poſſunt ad debitum officium, quàm per voluntis in ſancta quiete perſeuerantiam. Nam paulatim omnes iſtæ facultates retrahuntur gaudio; quod recipit voluntas, & ex recepto, certos quoſdam ijs ingerit ſenſus velut quædam thymiamata, quibus excitantur, ad eamque, vt participent bonum, quo illa perfruitur, reuocantur.

Proſecutio

Digitized by Google

Proſecutio diſcurſûs diuerſorum graduum ſanctæ quietudinis, & de excellente abnegatione ſui ipſius, quæ ſubinde eſt in vſu.

Capvt XI.

INhærendo dictis, dicendum eſt ſanctam iſtam quietem gaudere diuerſis gradibus: nam ſubinde eſt in omnibus potentijs animæ iunctis & vnitis voluntati, ſubinde ſolummodo in voluntate: in qua quandoque eſt ſenſibiliter, & quandoque etiam imperceptibiliter: eò quòd nonnunquam eueniat, vt anima incomparabili perfundatur gaudio ex ſenſu quarundam internarum ſuauitatum, quibus Deus ſe ei præſentem indicat; Sicut euenit Beatæ Elizabethæ in Viſitatione, quam B. Virgo ad eandē inſtituit; & alias anima flagrat ardente & ſuaui quodam deſiderio, vt ſit in Dei præſentia, quæ pro tempore eidē eſt imperceptibilis: vti contigit duobus diſcipulis in Emaus pergentibus, qui ambulantes cum Saluatore non plenè aduerterunt gaudium, quo afficiebantur, vſque dum pertigerunt ad hoſpitium, & in diuini panis fractione eum perfectè cognouerunt. Quandoque etiam non ſolùm anima aduertit diuinam præſentiam, ſed etiam Deum audit loquentem per quaſdam illuſtrationes & perſuaſiones internas, quæ ſunt loco verborum. Non rarò etiam ſermocinantem eum ſentit, & reciprocè cum eo ſermocinatur ſed ita ſecretò, ita ſuauiter ac lentè, vt id fiat abſque iactura ſanctæ pacis & quietis. Sic autem hoc fit, vt non vigilans, cum illo vigilet, id eſt, vigilat & ſimul loquitur cum ſuo dilecto, & id tam ſuaui cum tranquillitate & iucunda quiete, atque ſi dulciter ſomno indulgeret. Aliâs autem quandoque ſentit ſponſum loquentem, ſed ei nequit reſpondere, eò quòd voluptas eum audiendi, vel reuerentia, quam ei habet, eam contineat in ſilentio: vel certè quia illa adeò eſt arida, & ſpiritu languida, vt ſolùm ad audiendum, non autem ad loquendum vires ei ſuppetant, vti corporaliter nonnunquam euenit ijs, qui incipiunt obdormire, vel certè qui magnoperè debilitati ſunt ex aliqua infirmitate.

Verùm, tandem ſubinde neque audit svvm dilectvm neque ei

loqui-

loquitur, neque ſentit ſignum aliquod eius præſentiæ; ſed ſimpliciter nouit ſe eſſe in præſentia Dei, cui placet, vt illa ſit ibi. Imaginare tibi, Theotime, glorioſum S. Joannem Apoſtolum dormiſſe ſomno corporali ſuper pectus Domini ſui in vltima cæna, & quidem indormiſſe ipſiuſmet Domini & magiſtri mandato. Certè hoc in caſu fuiſſet in præſentia Magiſtri ſui abſque vllo ſuo ſenſu. Et nota obſecro, maiorem adhibendam eſſe curam, vt quis ſe collocet in Dei præſentia, quàm vt in ea perduret & maneat, dum in ea ſemel eſt collocatus. Nam vt in ea quis ſe ponat, applicanda eſt cogitatio, & reddenda eſt actualiter ad iſtam præſentiam attenta, vt dixi in Introductione. Verùm dum quis poſitus eſt in ſæpius dicta præſentia, pluribus iuuatur medijs, vt in ea permaneat; dum, ſiue per intellectum, ſiue per voluntatem fit aliquid in Deo vel pro Deo: Exempli gratia eum reſpiciendo, vel aliquid amore illius faciendo, vel auſcultando eos qui cum illo vel de eo loquuntur & agunt aliquid gratiâ illius: vel tandem opus quodpiam agendo, quod in eius honorem & obſequium cedat.

Verùm, manetur & mora trahitur in Dei præſentia, non ſolùm eum auſcultando, vel reſpiciendo, aut cum eo ſermonem miſcendo, ſed etiam attendendo & aduertendo an ei placeat nos reſpicere, nos alloquio dignari, aut ſinere, vt ſibi loquamur: vel etiam nihil horum faciendo, ſed ſimpliciter manendo, vbi ei placet nos manere, & ob eam cauſam, ob quam vult ille nos id facere. Quodſi autem in ſimplici hoc manendi modo coram Deo, ei placeret nobis imprimere tenuem & exiguum aliquem ſenſum, quo intelligeremus nos illi⁹ totos quantos eſſe, & illum totum noſtrum, Deus bone, quæ iſthæc eſſet gratia ſingularis, deſiderabilis, & pretioſa!

Chare Theotime, aſſumamus libertatem faciendi hanc imaginationem: ſi ſtatua aliqua, quam ſculptor quiſpiam ſculpſiſſet, & in porticu potentis alicuius Principis collocaſſet, prædita eſſet intellectu, valens diſcurrere & loqui, interrogaretur: O bellè ſculpta ſtatua, age dic, cur tu in hoc es loculamento? Ideò reſponderet illa, quia Magiſter meus in eo me collocauit; & inſtando vlterius: at quare manes in eo nihil omnino faciendo? Ideò diceret illa, quia Magiſter meus hic me poſuit, non vt quicquam faciam, ſed ſolummodò vt hic maneam immobilis. Quodſi iteratò inſtaretur dicendo: aſt miſera ſtatua, quid tibi

Digitized by Google

prodeſt eo in ſtatu morari? Hem! reſponderet illa, non ſum hic pro mea vtilitate & commoditate ſed ad obtemperandum & obſecundandum voluntati Magiſtri & ſculptoris mei, quod dum præſto, mihi abundè ſatis eſt. Et ſi vlterius hoc modo eam aggrederere: age verò dicito mihi, precor, bella ſtatua, cùm tu Magiſtrum tuum non videas, quomodo potes gaudere, ei obtemperando? Omnino equidem fateretur illa, eum non video, habeo quidem oculos ſed non magis ad videndum, quã pedes ad ambulandum. Sat autem mihi eſt ſcire, quòd charus meus Magiſter me videat, & volupe ei ſit me videre. At verò, ſi continuaretur diſputatio inchoata cum ſtatua, & ei diceretur, tamen tamen, nónne gratum tibi eſſet, ſi poſſes te mouere, & ad factorem tuum accedere, & offerre te ad præſtandum melius obſequium. Dubio procul, negaret illa, & proteſtaretur nolle ſe quicquam aliud facere, quàm id, quod vellet ſuus Magiſter eam facere. Et quid igitur concludendum eſſet, tu aliud non deſideras eſſe, quàm immobilis ſtatua intra concauum loculamentum incluſa? Reſponderet tandem ſapiens ſtatua, non certè, non volo eſſe aliud, quàm ſtatua, in hoc proinde loculamento, quamdiu ſculptori meo viſum fuerit, contenta loco & conditione mea manebo: hoc ſiquidem placet ei, cuius ego ſum, quia per eum ſum id, quod ſum. O quàm bonum eſt ſe tenere & conſeruare in Dei præſentia, eſſe item & velle ſemper paratũ eſſe ad eius beneplacitum. Nam ita agendo, vt mea fert ſententia, omnibus in occaſionibus, imò & dum profundè dormimus, erimus adhuc profundius in ſanctiſſima Dei præſentia. Ita profectò, Theotime: nam ſi eum amamus, indormimus non ſolùm in eius cõſpectu, ſed etiam ſecundum eius beneplacitum, & non ſolum per, ſed etiam ſecundùm eius voluntatem. Quinimò videri poſſet ipſemet Creator & Sculptor noſter cæleſtis eſſe, qui nos in noſtris collocet lectis velut quaſdam ſtatuas inter loculamenta, vt ibi inſtar auium in ſuis nidis cubantium nidificemus. Deinde ſomno euigilantes, ſi benè perpendamus, deprehendimus Deum ſemper nobis fuiſſe præſentem, & nos non elongatos, neque ſeparatos ab illo fuiſſe. Manſimus igitur in præſentia eius beneplaciti; eſto, eum non viderimus, neque aſpexerimus. Et ita dicere poterimus, ad imitationem Patriarchæ Iacobi, qui cùm
Gen. 28 euigilaſſet de ſomno ait: *Verè Dominus eſt in loco iſto*, & ego inter brachia
v. 16. diuinæ eius præſentiæ & prouidentiæ *poſitus neſciebam*.

Porrò,

Digitized by Google

Porrò,quies hæc, in qua voluntas non agit, niſi ſimpliciſſimè acquieſcendo diuino beneplacito, nihil omnino in oratione prætendens aliud,quam DEI conſpectum ſibi coram exhibendum, iuxta eius beneplacitum, eſt ſummè excellens,quia pura & libera ab omni commodo proprio: facultates enim animæ nullum inde hauriunt gaudium, nullum ipſamet voluntas,niſi quoad ſupremum, & abſolutiſſimum perfectionis apicem: in quo ei ſatis eſt, aliud non habere gaudium, quàm illud, quod eſt manere ſine gaudio, propter amorem gaudij & beneplaciti DEI ſui; in quo magna cum ſua ſatisfactione poſita requieſcit. Nam in hoc demum eſt ſupremum complementum amoroſæ ecſtaſis,non habere ſuam voluntatem in ſuo gaudio, ſed in ſolius DEI; vel quod idem eſt non habere ſuum gaudium in ſua voluntate, ſed in diuina.

De Reſolutione vel liqueſactione animæ in DEVM.

CAPVT XII.

Res humidæ & liquidæ facile recipiunt figuras & terminos, qui illis attribuuntur, eo quòd nullam in ſe ipſis habeant firmitatem,neque ſoliditatem,quibus circumſcribantur. Funde liquorem aliquem in vas quodpiam, & videbis eum ſolius vaſis limitibus terminatum ſubſiſtere: quod ſi rotundum illud ſit, aut quadratum, liquor eodem modo rotundam vel quadratam vaſis habebit figuram.

Anima non eſt eiuſdem naturæ cuius ſunt res liquidæ:habet enim ſuas proprias figuras, & terminos. Figura quidem, quam habet, eſt ex eiuſdem animæ habitibus & inclinationibus; termini autem, ex propria voluntate. Et quando illa nimis inhæret ſuis inclinationibus & propriæ voluntati, eam duram dicimus, id eſt pertinacem & obſtinatam. *Auferam,* inquit DEVS, *cor veſtrum lapideum,* id eſt tollam à vobis obſtinationem veſtram. Vt ſilex, aut ferrum, vel lignum mutent ſuas figuras, malleo, ſecuri & igne opus eſt. Cor illud vocatur ferreum, ligneum, vel lapideum, quod non facile recipit impreſſiones diuinas, ſed manet in

Digitized by Google

propria voluntate inter inclinationes, quæ noſtram deprauatam naturam comitantur. E contrario, cor dulce, amabile & tractabile, vocatur cor liquefactum, & effuſum. *Cor meum,* inquit Regius Vates, loquens in perſona Saluatoris exiſtentis in cruce, *factum eſt tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Cleopatra, infamis Ægypti Regina, volens videri ſuperaſſe omnes exceſſus & profuſiones, quas fecerat in conuiuijs exhibendis Antonius: curauit ſibi adferri in fine conuiuij, quod ipſa ſuo ordine fecerat, ampullam optimi aceti plenam, in eamq; vnum è duobus vnionibus, (quos in auribus geſtabat) æſtimatum 250 millibus aureorum, iniecit, deinde cum is in dicto aceto reſolutus & liquefactus fuiſſet, eum in fœdi ſtomachi cloacam demiſſum ſepeliuit; idem factura de altero, quem in aure altera portabat, niſi à Lucio Plauto adiudicante illi victoriam, impedita & prohibita fuiſſet. Cor Saluatoris, verus orientalis vnio, vnicè vnicus, & pretij inæſtimabilis, iactum in mare incomparabilium amaritudinum, diebus eius paſſionis, ſe ipſum in ſe ipſo liquefecit & reſoluit in dolorem vi & vehementiâ anguſtiarum mortalium vndiq; prementium; ſed amor fortior morte, emolliuit, fregit, & liquefecit corda adhuc longè promptius, quàm omnes aliæ paſſiones.

Pſal 21. v. 15.

Exod. 20. 8.

Anima mea, inquit Sacra Amatrix, *liquefacta eſt vt Dilectus meus locutus eſt,* quid eſt dicere, LIQVEFACTA eſt, niſi, non ſe continuit amplius intra ſe ipſam, ſed ſe effudit in diuinum ſuum Amatorem? DEVS præcepit Moyſi, vt loqueretur ad petram, futurum vt illa daret aquam. Non eſt igitur mirum, ſi ille liquefecit animam cæleſtis ſuæ amatricis, dum ei dulciter loquebatur. Balſamum naturâ ſuâ ita ſpiſſum eſt, vt neq; fluidum, neq; liquidum ſit; & quo diutius ſeruatur, eo magis ſpiſſatur, & tandem vbi induruerit, fit rubeum & tranſparens, ſed calor illud diſſoluens, fluidum efficit. Amor effecerat Sponſum fluidum & liquidum, vnde ſponſa eum nuncupabat oleum effuſum. Et ecce nunc aſſerit illa ſe eſſe amore liquefactam: *anima mea,* inquit illa, *liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt.* Amor ſponſi erat in eius corde, & ſub eius pectore velut vinum nouum & potens, quod in vaſe contineri non poteſt, nam ſe in omnes partes diffundebat: Et quia anima ſequitur ſuum amorem, poſtquam ſponſa dixit: *Vbera tua meliora ſunt vino, fragrantia vnguentis optimis;* adiungit, *oleum effuſum nomen tuum:* & ſicut ſponſus effuderat amorem ſuum & animam ſuam in cor ſponſæ, ita ſponſa reciprocè effudit animam ſuam

in cor

in cor ſponſi. Et ſicut fauus, (vt patet ad oculum) tactus ardentibus ſolis radijs egreditur & effluit ex ſeipſo, & derelinquens ſuam formam, liqueſcit in ea parte, ex qua à radijs tangitur: ita anima huius diuinæ amatricis ad vocem ſui dilecti ſe effudit, egrediens ex ſe ipſa & limitibus ſuæ naturæ, ad ſequendum illum, qui ei loquebatur.

At, quomodo fit ſacra iſta effluxio & liquefactio in eius dilecto? Eximia quædam complacentia amantis in re amata producit certam aliquam impotentiam ſpiritualem, quâ efficitur, vt non videatur anima amplius habere virtutem & potentiam in ſe ipſa manendi. Quare, quemadmodum balſamum effuſum & liquidum (quod amplius non habet firmitatem & ſoliditatem) fluit, & fluendo tendit in rem, quam amat: nec ſe iacit, nec vibrat, ne quidem per modum eiaculationis, multò minùs ſe firmat vniendo, ſed pergit ſuauiter fluendo, (vt res liquida) intra ipſam diuinitatem, quam diligit. Et ſicut videmus nubes vento meridiano ſpiſſatas, fundere ſe & conuertere in pluuiam, ac dein, non valentes vlterius manere in ſe ipſis, cadere & defluere ad partes inferiores, intimèque ſe miſcere terræ (quam humectant) vt non niſi res vna videatur ex vtraque: ita anima, quæ quamuis amans, remanebat adhuc in ſe ipſa, per ſacram iſtam effluxionem & ſanctam fluiditatem egreditur & relinquit ſe ipſam, non ſolùm vt ſe vniat Dilecto, ſed vt ſe totam cum & in illo miſceat & liquefaciat. Vides igitur probè, Theotime, quòd fluxus animæ in Deum ſuum aliud non ſit, quàm veriſſima ecſtaſis, per quam anima tota eſt extra limites ſui ſtatûs naturalis, tota mixta, tota abſorpta in Deo ſuo. Vnde euenit, vt ij, qui perueniunt ad ſanctum hunc exceſſum diuini amoris, poſtea ad ſe redeuntes, nihil conſpiciant in terra, quod ijs lubeat, & viuentes in maxima exinanitione ſui ipſorum, ſint valde languidi, & velut mortui in omnibus ijs, quæ ſpectant ad ſenſus, perpetuoque habeant in corde illã MAXIMAM ſeu Apophtegma Beatæ Virginis Thereſiæ de Iesu: QVOD DEVS NON EST, MIHI NIHIL EST. Et videtur talis fuiſſe affectuoſa ſeu amoroſa paſsio magni Amici Cæleſtis ſponſi, qui dicebat: *Viuo ego, non iam ego, ſed viuit in me Chriſtus.* & vita noſtra abſcondita *eſt cum Chriſto in* DEO. Nam, amabò, dic Theotime; Si gutta vna aquæ elementaris iacta in quempiam Oceanum conſtantem aquâ genuinâ viueret, & loqui poſſet, & dicere quo eſſet in ſtatu, nónne præ gaudio clamaret? O mortales, viuo equidem, ſed non viuo ego

Digitized by Google

ipſamet, at viuit in me hic oceanus, & vita mea abſorpta eſt in hac abyſſo!

Anima in Deo liquefacta non moritur. Nam quî mori poſſet abſorpta in ipſa vita? ſed viuit illa, non in ſe, quia quemadmodum ſtellæ, nullâ ſui luminis factâ iacturâ, non amplius lucent in præſentia ſolis, ſed ſol ipſe lucet in illis, & abſconditæ ſunt in eius lumine, ita anima, non perditâ propriâ vitâ, mixta cum Deo, non amplius viuit in illa. Tales fuerunt, vt exiſtimo, ſenſus beatorum Philippi Nerij & S. Franciſci Xauerij, quando pleni, imò & redundantes conſolationibus diuinis, petebant à Deo, vt ſe tantiſper ab ipſis retraheret, eius ſiquidem erat voluntas, vt eorum vita adhuc paululùm maneret in mundo: quod fieri non poterat, ſiquidem abſcondita erat in ipſo Deo.

De Vulneratione Amoris.

CAPVT XIII.

Omnia iſta verba amoroſa tracta ſunt ex ſimilitudine, quæ eſt inter affectiones cordis, & paſsiones corporis. Triſtitia, timor, ſpes, odium & aliæ affectiones animæ non ingrediuntur cor, niſi in illud eas trahat amor. Non enim odimus malum, niſi quia contrarium eſt bono, quod nos amamus; timemus malum futurum, quia priuaturum eſt nos bono amato. Malum quodpiam, quantumuis ſit malum, tamen odio nunquam proſequimur, niſi quà amamus bonum, cui eſt oppoſitum. Qui parum amat Rempublicam, parum ei curæ eſt, eſto corruat vniuerſa. Qui parum amat Deum, non multùm odit peccatum. Amor eſt prima, imò princeps, & origo omnium paſsionum, ideoque primus intrat cor, & quia penetrat & pertingit vſque ad intimum voluntatis fundum, vbi ſuam habet ſedem, dicitur lædere cor: idem eſt, inquit Apoſtolus Franciæ, penetrans & acutus, intrat proinde mentis intima. Aliæ equidem etiam intrant affectiones, ſed ductu & interuentu amoris. Ille enim eſt, qui transfigens cor, ijs præbet ingreſſum: eſtque vna & ſola cuſpis iaculi, quæ lædit, reliquis ſolùm dilatantibus læſionem, & acerbiorem creantibus dolorem.

Porrò,

Digitized by Google

Porrò, ſi lædit ille, conſequenter infligit dolorem, Poma dicta Granata per colorem ſuum rubeum, per multitudinem ſuorum granorum probè incluſorum, & ordine diſpoſitorum, perq; pulchras ſuas coronas, genuinè, vt inquit S. Gregorius, repræſentant ſanctiſſimam charitatem totam quantam, ob ſuum ardorem erga DEVM, rubicundam, & omni varietate virtutum cumulatam; ea proinde ſola obtinet, & geſtat coronam compenſationum æternarum; ſed ſuccus granatorum, qui, vt probè nouimus, eſt gratus bonâ valetudine vtentibus, & laborantibus aduersâ, taliter mixtus eſt acori, & dulcedini, vt nequeat diſcerni an lætificet guſtû, vel eò quod eius acor ſit ſubdulcis, vel eò quòd eius dulcedo ſit ſubacida. Certè Theotime, amor ita eſt ex acido dulcis, vt ei9 dulcedo, dum in hoc mundo verſamur, nunquam perfectè ſit dulcis: eò quòd non ſit omni ex parte abſolutus, nec purè expletus & in perfectione conſummatus. Nec tamen ideò ceſſat eſſe magnopere gratus, acore perficiente ſuauitatem eius dulcedinis, & viciſſim eius dulcedine condiente gratiam acoris. Sed quî id poteſt fieri, cùm videre ſit quempiam iuuenem liberum, ſanum, & comprimis egregium, contrahentem & ineuntem familiaritatem & conuerſationem cum ijs, cum quibus ei non expediebat; & poſtea non agentem vſquequaque circumſpectè nec cauentem à quibus, cauendum erat: hic mihi crede, volens familiaritatem illam deſerere ſentit, quod amor adhibitis parum honeſtis aſpectibus, geſtibus, verbis, quin imò & crinibus improbæ alicuius puellæ, quaſi tot ſagittis, quot illa habet crines, vulnerarit & læſerit miſerum ſuum cor, & ita quidem læſerit, vt totus ſit triſtis, marcidus, & ſtupidus. Et quare id obſecro? niſi quia eſt læſus: & quis eum læſit, niſi amor? at quandoquidem amor eſt proles complacentiæ, quomodo poteſt lædere & dolorem infligere? Reſpondeo: quandoque obiectum, quod amatur, eſt abſens: & tunc, mi chare Theotime, amor vulnerat cor per deſiderium, quod excitat: quod deſiderium, cùm nequeat adimpleri magnopere affligit animam.

Si apis aculeo ſuo infantem quempiam pupugiſſet gratis omninò illi hæc occcineres: ô chara progenies, apis, quæ te pupugit, illa ipſa eſt, quæ mel conficit, quo ſummè delectaris. Id quidem verum eſt, diceret puer, eius mel ſuaue eſt meo gutturi, ſed punctura admodum doloroſa, nec quamdiu eius aculeus inhæret meæ malæ, valeo quieſcere: vides

Digitized by Google

vides enim faciem meam totam quantam eſſe inflatam. Theotime, amor verè eſt complacentia,& ex conſequenti admodum eſt grata, modò in noſtris cordibus infixum non relinquat deſiderij aculeum; quem dum relinquit ſimul inſignem creat dolorem: qui dolor, quia prouenit ex amore, non poteſt non eſſe amabilis & amandus. Audi eiaculationes & euibrationes doloroſas, ſed ſimul amoroſas amatoris Regij:
Pſal. 41.v.3. *Sitiuit anima mea ad DEVM fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI? Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt DEVS tuus?* Ita ſacra Sulamitis, tota macerata in doloroſis amoribus,
Cāt. 5. loquens filiabus Hieruſalē, *heu,* inquit illa: *adiuro vos filia Hieruſalem, ſi inueneverſ. 8. ritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo,* ſpes enim quæ differtur affligit animam.

Notandum autem doloroſas læſiones amoris eſſe complures & & diuerſas. I. ſunt iacula,quæ amor nobis infligit,&vocantur vulnera eò quòd cor vulnerent, quod aliàs videbatur ſanum, integrum totumq; ſui ipſius, ac prorſus indiuiſum quamdiu nō amabat;vbi autē incepit amare, incepit & à ſe ipſo ſeparari & diuidi,vt rei amatæ ſe traderet: talis autem diuiſio non poteſt fieri abſq; dolore, ſiquidem dolor aliud non eſt, quàm diuiſio rerum vitâ præditarum, quæ ſibi inuicem adhærent. II. Deſiderium pungit & lædit inceſſanter cor, cui ineſt, vti diximus. III. Loquendo de amore ſacro, in eius praxi eſt quoddam genus læſionis & vulnerationis, quam Devs ipſe nonnunquam operatur in anima illius, quem magnopere deſiderat in amore perficere. Admirandos enim quoſdam ſenſus ei & illicia nullis omnino ſecunda, ex pura puta bonitate ſua immittit,velut premens eum & ſolicitans ad ſe amandum; & tunc anima illa totis viribus ſeſe vibrat, velut altius volatura, & ad diuinum ſuum obiectum peruentura; ſed inutili conatu, quia non poteſt illa tantùm amare, quantùm deſiderat; & tunc quis dubitet eam talem dolorem ſentire, cui non ſit inuenire ſimilem? eodem enim tempore, quo potenter ad volandum verſus ſuum dilectum attrahitur, etiam non minus efficaciter affixa maximis huius mortalis vitæ miſerijs retinetur,quo minùs proprijs viribus poſſit volare: quo fit vt exoptet alas columbæ, vt ad domicilium ſuæ quietis valeat volare: at nullas inueniens, grauiter inter ſuarum euibrationum violentiam & impotentiam propriarum virium cruciatur. Infelix ego homo,dicebat vnus quiſpiam eorum, qui

laborem

laborem iſtum experti erant, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* tunc ſi aduertis, Theotime, non eſt deſiderium de re abſenti, quod cor vulnerat: nam anima ſentit Devm ſibi præſentem, qui eam iam *ad cellam vinariam duxit*, & ſuper eius cor amoris trophæum plantauit: qui licet etiam tunc totam ſuam eſſe conſpiciat, tamen adhuc vrget, & premit illam, & per interualla temporis mille eandem iaculis ſui amoris petit, eique per noua media oſtendit, quantò ille ſit amabilior, quã ab ea ametur &c. Illa autem non ijs pollens viribus ad eum æquè amandum, quibus amor pollet ad conandum, videns niſus ſuos eſſe imbecilliores, quàm vt dignè cũ valeat amare, iuxta ſuum deſiderium, eheu! incomparabili ſe tormento ſauciatam deprehendit: nam quot facit illa vibrationes ad altius volandum, in ſuo amore deſideriοſo, tot ſubit ſucceſſus ſibi non exiguum dolorem inferentes.

Cor hoc Dei ſui amantiſſimum, deſiderans amare infinitè, videt bene, quòd nequeat, neque ſatis amare, neque ſatis deſiderare. Porrò, deſiderium hoc, quod nequit expleri, generoſo amatori eſt velut iaculum lateri infixum. Verùm dolor, qui inde oritur, non ideò ceſſat eſſe amabilis, quia quicunque deſiderat bene amare, amat etiam bene deſiderare. Et quidem miſerrimum totius mundi ſe æſtimaret, ſi non continuè deſideraret amare id, quod ſummè eſt amabile. Deſiderans amare recipit quidem dolorem, ſed amans deſiderare, recipit dulcedinem.

O me miſerum! quid dicturus ſum, Theotime? cæli incolæ videntes Devm adhuc amabiliorem eſſe, quàm ament, animo deficerent, & æternum perirent deſiderio magis & magis amandi, niſi ſanctiſsima Dei voluntas impertiret illorum voluntati admirabilem quietem, quâ ſuauiter fruuntur: nam amant illi tantopere ſupremam illam voluntatem, vt ad minimũ eius nutum illorũ voluntas ſubſiſtat, & ſuauiſsimè acquieſcat, gaudeatq;, dũ in ſuo amore terminatur per voluntatem eius, cuius bonitas eſt obiectum ipſius amoris. Quodſi hoc non eſſet, eorum amor æqualiter eſſet delicioſus & doloroſus. Delicioſus quidem ob poſſeſſionem tanti boni; doloroſus autem ob ſummum deſiderium adipiſcendi maiorem amorem. Devs igitur extrahens continuè, ſi ita lubet dicere, ſagittas è pharetra ſuæ pulchritudinis, lædit animam ſuorum amantium, faciens eos clarè videre, quod longè minùs eum ament, quàm ſit

Digitized by Google

amabilis. Is mortalium, qui non plus deſiderat âmare diuinam bonitatem, quàm amat, non ſatis amat: ſufficientia enim in hoc diuino exercitio non ſufficit illi,qui vult ſubſiſtere & ceſſare ab amando,quaſi ſatis amare.

De nonnullis aliis mediis, per quæ Amor ſanctus vulnerat corda.

Capvt XIV.

Pius Pelicanus

Nihil ita vulnerat cor amoroſum,quàm ſi videat cor aliud amore vulneratum ſui cauſâ. Pelicanus nidum extruit in terra; quò fit vt ſerpentes ad eum irrepant, & pullos pungant. Quando autem id euenit,Pelicanus,vt excellens medicus naturalis, cuſpide ſui roſtri toto corpore eâ intentione ſauciat pullos, vt vnà cum ſanguine venenum, quod morſus ſerpentium in omnibus corporum partibus aſperſit, egrediatur. Et vt nihil veneni intra illos hæreat,ſinit totum eorum ſanguinem foras fluere,& per conſequens permittit illam exiguam progeniem mori. Deinde videns pullos mortuos,ſe ipſum grauiter vulnerat,& ſanguinem ſuum ſuper illos fundit,qui,cùm eo perfuſi fuerint,vitâ nouâ & puriore reuiuiſcunt. Eius amor eos ad mortem vſque ſauciauit, & ſtatim eodem motus amore ſe ipſum vulnerat.

Nunquam vulneramus cor aliquod vulnere ex amore proueniente, quin nos ipſos vulneratos ſubitò deprehendamus. Quando anima intuetur Deum ſuum ſui amore vulneratum, continuò ipſa reciprocè accipit etiam vulnus. *Vulneraſti cor meum,* dicit cæleſtis amator ad Sulamitidem, & Sulamitis ſubitò exclamat: *Dicite Dilecto meo, quia amore langueo.* Apes nunquam lædunt, quin ad mortem vſque lædantur. Nos etiam videntes Saluatorem animarum noſtrarum amore *pro nobis vulneratum vſque ad mortem, & mortem quidem crucis,* quomodo amabò, poſſemus non vulnerari pro illo? dico autem vulnerari plagâ tantò doloroſius amoroſâ, quantò illius fuit amoroſius doloroſa. Nec tamen vnquam poſſumus tantùm amare, quantum eius amor & mors ſuo à nobis

bis

Digitized by Google

bis iure expoſcunt. Adhuc eſt & alia læſio amoris, quando ſcilicet anima probè ſentit ſe DEUM amare, & tamen DEUS illam tractat, quaſi neſciret ſe ab illa amari, vel dubius eſſet, & diffidens de eius amore. Nam tunc, mi chare Theotime, anima extremè anguſtiatur, eique intolerabile videtur ſentire, & pati vel ſolam ſimulationem, quâ DEUS videtur diffidere de eius amore. Afflictus S. Petrus habebat, & verò etiam ſentiebat cor ſuum redundans amore in ſuum Magiſtrum & Dominum; & tamen dominus diſsimulans ſe ſcire id, *Petre*, inquit, *amas me plus his?* dicit ei: *Etiam Domine tu ſcis quia amo te.* Inſtat Saluator: *Simon Ioannis, amas me? Tu ſcis*, inquit, *quia amo te.* Et dulcis Magiſter ad eum vlterius probandum, quaſi diffidens de eius amore: *Petre*, inquit iterum, *amas me?* ô Domine, vulneras miſerum meum cor, quod grauiter afflictum clamat amoroſè, ſed ſimul & doloroſè: Magiſter mi, *tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te.* Die quodam fiebant exorciſmi circa quempiam à Dæmone poſſeſſum, & cùm malignus ſpiritus premeretur, ſuum vt ederet nomen: ſum, inquit, Dæmon, infelix ille diuino priuatus amore, & ſubitò S. Catharina Senenſis, quæ ibi coram præſens aderat, ſenſit ſe turbari, & omnia ſua viſcera inuerti, eo ſolùm audito vocabulo, PRIVATUS AMORE. Nam ſicut Dæmones ita magno odio proſequuntur amorem diuinum, vt tremant, quando vel ſignum aliquod vident, vel audiunt dulce IESU nomen; ita illi, qui ſummè Chriſtum amant, dolore & horrore, contremiſcunt, quando vident indicium aliquod, vel intelligunt verbum quodpiam, quod *priuationem ſancti amoris repræſentat*.

Cùm S. Petrus probè ſciret Dominum omnia ſcire, ignorare non poterat, quòd etiam ſciret ab eo ſe amari; ſed quia repetitio interrogationis, AMAS ME? habebat aliquam diffidentiæ ſpeciem; illa Petrum ſummè affligebat. Eheu! miſera anima quæ licet ſit ſibi conſcia, quòd potius mortem eſſet electura, quàm DEUM vel leuiter, ſciens & volens, offenſura: interim, ne minimum quidem ex parte DEI experitur amoris feruorem, ſed è contrario ſummum frigus, quo penè emoritur, præq; debilitate continuè cadit in imperfectiones, quas non poteſt non magnopere ſentire; ea enim anima diffidens Theotime, magnopere iacet ſauciata, & hoc ex magnitudine doloroſi amoris, quòd videat DEUM velut diſſimulare quòd ſciat ſe ab ea amari, & vt creaturam quampiam

Digitized by Google

ad ſe minimè pertinentem derelinqui: adde, ei videri, quòd in medio ſuarum imperfectionum, diſtractionum, & cordis ariditatum Dominus in ſe immittat hanc ſagittam, velut exprobrationem qua ei exprobret. *quomodo tu audes dicere, quod tu me amas, ſiquidem anima tua non eſt mecum?* Quod certe amanti animæ eſt inſtar iaculi animo infixi: nam ſi non amaret, non eſſet afflicta ob apprehenſionem, quam habet de non redamata ſe à Chriſto.

Subinde læſio hæc amoris oritur ex ſola reminiſcentia, quòd olim Deum non amauerimus, *ſerò te amaui antiqua & noua pulchritudo*, dicebat ſanctus ille, qui annis triginta vixerat in hæreſi: vita tranſacta horrori eſt vitæ eius præſenti, qui vitam ſuperiorem, non amando ſupremam bonitatem tranſmiſit.

Ipſe nonnunquam amor lædit nos per ſolam conſiderationem multitudinis eorum, qui Dei amorem contemnunt. Ita vt ob hoc ſummè affligamur, & velut animo deficiamus: vti deficiebat, qui dicebat:
Pſ. 118. v. 43. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuam.* Et illud, *tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Et eximius S. Franciſcus, credens quòd à Deo non exaudiretur, flebat die quodam, ſingultiens & valde lamentans, quem cùm audiſſet pius quiſpiam, ad eum accurrit, quaſi è mortis faucibus erepturus, ita enim eiulabat acſi ei guttur frangeretur; at eum inueniens ſolum, cur inquit, miſer homo ita clamas? Hem! reſpondit ille: clamo & ſimul ploro, quòd cùm Chriſtus tantum paſſus ſit nos amando, nemo id recogitet. His dictis de nouo reſumpſit lachrymas, quo ex facto pi⁹ & miſericors ille homo qui ei ſubuenire voluerat, vnà plorare incepit.

Verùm, quomodocunq; id ſe habeat, hoc in vulneribus à diuino amore acceptis admirationem habet quam maximam, quòd ſcilicet huiuſmodi dolor tam gratus ſit omnibus, qui eum ſentiunt & ei conſentiunt, vt nolint eum dolorem mutare dulcedine totius mundi: dolor non eſt in amore, vel ſi quis eſt, eſt dolor amabilis & dilectus. Seraphin tenens aliquando ſagittam auream, ex cuius cuſpide egrediebatur modica flamma, vibrauit in cor Beatæ Matris Thereſiæ, & cum vellet eam extrahere, non aliter erat bonæ huic Virgini, quàm ſi ſibi cor euelleretur, nam dolor tam erat vehemens, vt non haberet amplius vires, niſi ad edendos modicos & admodum debiles gemitus; is dolor nihil-

Digitized by Google

nihilominus ita erat amabilis, & delectabilis, vt nunquam eo carere poſſet. Talis fuit ſagitta amoris, quam DEVS eiaculatus eſt in cor S. & eximiæ Catharinæ Genuenſis, in principio eius conuerſionis, vnde factum, vt tota mutaretur, & quaſi toti mundo, & rebus creatis mortua eſſet, vt dein ſoli viueret Creatori. *DILECTVS eſt faſciculus myrrhæ amaræ*, & viciſſim faſciculus myrrhæ amarus eſt reciprocè DILECTVS, qui tamen ſuauiter commoratur inter vbera ſuæ dilectæ; id eſt DILECTVS OMNIVM DILECTISSIMORVM DILECTISSIMVS.

De languore doloroſo cordis, dilectione vulnerati.

CAPVT XV.

RES ſatis eſt nota, amorem humanum pollere viribus non ſolùm ad cor vulnerandum, ſed etiam ad inferendam corpori infirmitatem mortalem: quia, quemadmodum paſſio & temperamentum corporis valet ad inclinandam animam, eamq́; inclinatam, ad ſe trahendam: ita etiam affectiones animæ plurimum habent roboris ad mouendos humores, & mutandas circumſtantias corporis. Sed & præter hoc, amor, quando eſt vehemens, magno cum impetu transfert animam in rem amatam, & ita efficaciter eam occupat, vt omnes ſuas alias operationes tàm ſenſibiles, quàm intellectuales deſerat; & ita quidem deſerat, vt ad nutriendum & ad promouendum illum amorem, videatur anima ſeponere omnem aliam ſolicitudinem, omneque aliud exercitium, quin & ſe ipſam prorſus negligere. Vnde Plato dixit: *amorem eſſe pauperem, pannoſum, nudum, diſcalceatum, miſerum, ſine domo, cubantem foris humi, ante fores ſemper indigentem.* Eſt PAVPER, eò quòd inducat omnia ad relinquendum propter rem amatam: eſt SINE DOMO quia egredi facit animam è ſuo domicilio ad ſequendum omni tempore id, quod amatur: EST MISER & vilis, pallidus, macer & exhauſtus, quod ſomni, potûs, cibi iactura ſubeatur; eſt NVDVS, & nudis incedit pedibus, quia facit, vt omnes aliæ affectiones derelinquantur, viliq́; pendantur, vt res amatæ apprehendantur; CVBAT FORIS, ſuper nudum, quia cauſa eſt, vt cor manens ſub dio pateat amanti, inducens vt ſuæ

 paſſiones

Digitized by Google

paſſiones per ſuſpiria, per querelas, per laudes, per ſuſpiciones, & denique per zelotypias manifeſtentur; cubat velut vile mendicabulum ante fores, quia facit amantem perpetuò attentum, ad os, & ad oculos amati; quin & affixum eius auribus, vt & loquatur & fauores eius emendicet, quibus nunquam expletur. Sunt autem oculi, aures, & os veriſſimæ fores animæ. In ſumma, ad eius ſpectat vitam, ſemper egere: nam ſi ſemel ſit expletus, non amplius eſt ardens, & conſequenter non amplius eſt amor.

Scio equidem, Theotime, Platonem de abiecto, vili, & miſero, mortalium amore, ita locutum fuiſſe: Verùm proprietates iſtæ non ideò abſunt ab amore cæleſti & diuino: nam conijce, amabò, paululùm oculos in primos doctrinæ Chriſtianæ Magiſtros, id eſt principes, & anteſignanos amoris Euangelici Doctores, & audi quid dicebat eorum vnus, qui abundantius cæteris in eam vſque horam laborauerat; dicebat
Cor. 4. autem: *Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus & colaphis cædimur,*
v.10. & *egentes & inſtabiles: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema*
ſeqq *vſque adhuc.* Quaſi diceret: ita abiecti ſumus, vt ſi mundus ſit palatium, nos
2.Theſ. eius æſtimemur ſcoparij, ſi mundus eſt pomum, nos eius ſumus ramen-
4. v. 8. tum & quiſquiliæ. Quis, amabo, eos ad tam miſerum ſtatum adduxerat? Amor: & hic idem amor fuit, qui nudum S. Franciſcum ſtatuit coram ſuo Epiſcopo, & nudum mori fecit ſuper terram: idemque eum totius vitæ decurſu fecit mendicum. Sed & idem fuit amor, qui magnum Franciſcum Xauerium, pauperem, egenum, & pannoſum ad extremos orbis Indos & Iapones miſit, idem quoque amor eximium Cardinalem S. Carolum Mediolanenſem Archiepiſcopum ad extremam paupertatem inter omnes diuitias, quas tum ortus, tum dignitas ei dederant, redegit: qui, vt dicit eloquens Italiæ orator, Dominus Panigarola, erat inſtar canis degentis in domo Domini ſui, qui non aliud comedebat, quàm parum panis, nec aliud bibebat quàm parum aquæ, nec denique alius erat ei lectus quam ſtramen.

Audiamus, amabò, S. Sulamitidem, quæ in hunc fere modum ſe ipſam depingit, ac deſcribit *quamuis, ratione mille conſolationum, quas meus mihi amor tribuit, ſim formoſior, quàm ſint pelles Salomonis: quid? pulchrior ipſo cælo, ſiquidē id aliud non eſt, quàm inanimatus papilio eius Regiæ Maieſtatis, ſum autem ego eius papilio animatus; & tamen nigra ſum, lacera*

puluerul-

pulnerulenta, & ex tot vulneribus & ictibus, quibus me amor excipit, tota quanta contrita: ſed tamen nolite me conſiderare, quia fuſca ſum. Sum equidem nigra, quia Dilectus meus, *qui eſt meus Sol, iecit radios ſui amoris ſuper me; radios inquam, qui ſplendent innato ſibi lumine, ſed per ardorem me aduſſerunt, & ſubnigram reddiderunt, ſuoq́; attactu & ſplendore me decolorarunt. Paſsio amoroſa nimio me afficit honore, dum talem mihi dat ſponſum, qualis eſt meus Rex. At verò eadem paſsio, quæ mihi loco matris eſt, ſola ſiquidem mihi dedit ſponſum, minimè autem ob mea merita, habet alias proles, quæ me nimium quantum exercitant, rebuſq́; aduerſis propè enecant, redigentes me ad talem languorem; vt, licet vna ex parte ſimilem me efficiant Reginæ aſsiſtenti lateri Regis; ex altera, parem vinearum cultrici, quæ in miſera habitans caſa, tantum vineam cuſtodit, & quidem non ſuam, ſed alienam.*

Omnino, Theotime, quando læſiones & vulnera amoris ſunt frequentia & magna, nobis immittunt languorem; & accerſunt amabilem amoris infirmitatem. Quis vnquam amoroſos languores ſanctarum Catharinæ Senenſis, & Genuenſis, vel S Angelæ de Fulignis, aut Sanctæ Chriſtinæ, vel Beatæ Matris Thereſiæ, aut S. Bernardi, vel demum Sancti Franciſci poſſet deſcribere? Et quod ad vltimum attinet, tota eius vita non fuit aliud, quàm lacrymæ, quàm ſuſpiria, quàm querelæ, quàm languores ſine ceſſatione, deliquia denique amoroſa? Sed nihil inter iſta ita eſt admirandum, atque ſtupenda communicatio, quam dulcis Iesus ei fecit ex amoroſis & pretioſis doloribus, per impreſsionem ſuarum plagarum & ſtigmatum. Theotime, ſæpe hoc admirandum conſideraui, & de eo hanc cogitationem formaui: magnus hic Dei ſeruus, homo prorſus Seraphicus, conſpicatus viuam Saluatoris crucifixi imaginem, effictam in vno luminoſo Seraphin, (qui ei ſuper montem Aluernum apparuit) ſupra quàm cogitari poteſt, fuit emollitus, & ſimul conſolatione atque compaſsione ſummâ præoccupatus. Nam intuens pulchrum illud amoris ſpeculum, quò ne Angeli quidem poſſunt vnquam ſatiari illud reſpiciendo; hem! præ gaudio & dulcedine animo deficiebat: at, etiam videns alia ex parte viuam & quaſi ſpirantem repræſentationem plagarum, & vulnerum Saluatoris ſui crucifixi, ſenſit in anima ſua gladium perquam violentum, qui ſacratiſsimum Virginis Matris pectus, die paſsionis tanto cum dolore interiori transfixit, quantū ſenſiſſet, ſi cum charo ſuo Saluatore & filio fuiſ-

ſet

Digitized by Google

ſet crucifixa. Deus bone, Theotime, ſi imago Abrahami, vibrantis ictum mortis ſuper vnicum ſuum filium, eum ſacrificaturi, & imago quidem per pictorem mortalem facta, potuit emollire, & ad largum fletum inducere eximium S. Gregorium Niſſenum Epiſcopum, toties, quoties illam reſpiciebat: quantam exiſtimabimus fuiſſe emollitionem S. Franciſci, quando Saluatoris, ſe ipſum ſacrificantis ſuper arborem crucis vidit effigiem? Quæ effigies non manu mortali, ſed manu magiſtrali vnius cæleſtis Seraphin fuit educta, & efficta ex ipſo originali prototypo repræſentans naturaliter, & ad vivum diuinum Angelorum Regem vulneratum, contuſum, crucifixum, transfixum, & trucidatum.

Anima igitur hæc ita emollita, & quaſi tota amoroſo dolore macerata, apprimè erat diſpoſita ad impreſsiones & notas, tum amoris, tum doloris ſui ſupremi Amatoris recipiendas. Memoria enim erat tota diluta & macerata in recordatione diuini amoris; imaginatio fortiter applicata ad repræſentanda vulnera & trucidationes, quas oculi tunc videbant perfectè expreſſas in effigie præſenti; intellectus recipiebat ſpecies maximè viuas, quas imaginatio illi ſuppeditabat; & tandem amor adhibitus explicabat & impendebat omnes vires voluntatis, vt ſibi complaceret, & ſe conformaret paſsioni ſui dilecti; cuius anima, dubio procul, tota erat velut transfigurata, & transformata in alterum crucifixum. Quin, vt forma & magiſtra corporis, habens in illud imperium, dolores plagarum, impreſſit iis partibus corporis, quibus erat ſauciata, quæq; reſpondebant iis, in quibus eius dilectus paſſus fuerat. Amor eſt admirandum inſtrumentum ad exacuendam imaginationem, vt ea ſic exacuta penetret vſque ad corporis exteriora.

Oues Laban calefactæ amore, tam fortem ſibi impreſſerunt imaginationem, vt ea vſq; ad agnellos, quos albos, variegatos, iuxta virgas, quas reſpiciebant in canalibus, erant pariture, pertigerit. Imaginatio fortis vnâ nocte homini inducit canitiem, turbatq; eius ſanitatem & omnes humores confundit. Amor igitur fecit tormenta interiora huius magni amatoris S. Franciſci tranſire vſque ad exteriora, corpuſq; eodẽ doloris telo læſit, quo eiuſdem cor vulnerârat. At aperturas facere in carne externa amor, qui intus erat, facere non poterat: quare ardens Seraphin veniens auxilio, iecit radios claritatis ita penetrantes, vt re ipſâ CRVCIFIXI plagas exteriores impreſſerit in carne, quas ante

amor

amor interius impreſſerat in anima. Ita Seraphin videns Iſaiam non audere loqui, eò quòd crederet ſe *labiis pollutum*, venit in nomine Domini tangere & purificare eius labia calculo accepto de altari, fauens eo in genere eius deſiderio. Myrrha producit ſtacten ſuam, quæ eſt primus eiuſdem liquor, per modum ſudoris & tranſpirationis. Verùm vt totum ſuum emittat ſuccum, inciſione iuuanda eſt. Eodem modo amor diuinus in S. Franciſco totius vitæ eius decurſu fuit inſtar fluentis ſudoris, nam in omnibus ſuis actionibus non ducebat ſpiritum, niſi per ſacram hanc dilectionem. Sed vt oculis omnium pateret incomparabilis iſta amoris cœleſtis abundantia, Seraphin venit eũ incidere, & vulnerare, vt omnibus conſtaret plagas illas eſſe amoris cæleſtis; factæ ex ſunt non ferro, ſed luminoſis radijs. Hem! Theotime, quàm amoroſi dolores, & doloroſi amores! nam non ſolùm tunc, ſed totâ, quæ ei reſtabat, vitâ, miſerne dicam, an felix? ſemper languens & infirmus amore inceſsit. Iſai. 6. v. 5.

Beatus Philippus Nerius ætatis ſuæ anno 80. habuit talem inflammationem cordis ob amorem diuinum; vt calor ſibi locum faciens eius coſtas, multùm dilatauerit; nec hoc tantùm, ſed ex ijs quartam & quintam fregerit, vt poſſet recipere plus recentis auræ. Beatus Stanislaus Koſtka Juuenis 14. annos natus, ita fortiter amore ſui Saluatoris inuadebatur, vt perſæpe deficiens animo, cogeretur applicare ſupra pectus pannos aqua frigidâ madefactos, ad moderandam violentiam ardoris, quem ſentiebat.

Tandem, Theotime, putáſne animam, quæ aliquando iuxta ſuum votum deguſtauit conſolationes cæleſtes, poſſe viuere in hoc mundo tot miſerijs ſubiecto ac permixto, ſine dolore ac languore fere perpetuo? Sæpius ille magnus Vir, & magnus Sanctus, Deique intimus amicus Franciſcus Xauerius, Societatis Jesv Sacerdos, elatâ ad cælum voce auditus eſt, (dum putaret maximè ſe ſolitarium) hunc in modum clamans: Satis est Domine, satis est; *ne me obruas tantâ conſolationum affluentiâ: vel ſi placet infinita tua bonitati, me abundare facere delicijs, in cælum me attollito, qui enim vel ſemel intus deguſtauit tuam dulcedinem; oppidò illi graue eſt viuere in amaritudinibus, dùm te non fruitur.*

Quando igitur DEVS paululùm copioſius elargitus eſt animæ diuinam ſuam dulcedinem, & eam poſtea illi tollit, illâ ipsâ priuatione eam vulnerat, & velut cogit illam langueſcentem & ſuſpirantem cum
Pſ.100. Dauide exclamare: *Quando venies ad me?* quin & queri cum Apoſtolo: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!*

LIBER VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

De

VNIONE ANIMÆ CVM DEO, QVÆ PERFICITVR IN ORATIONE.

Quomodo amor vniat animam cum DEO in oratione.

CAPVT I.

NON loquor hic de vnione generali cordis humani cum DEO, ſed de certis quibuſdam actibus & motibus particularibus, quos anima abſtracta à curis temporalibus, & collecta in DEO peculiari ſtudio facit per modum orationis; vt ſe ſe magis ac magis vniat & coniungat diuinæ bonitati. Dico VNIAT & CONIVNGAT: eſt enim differentia inter vnire & coniungere rem vnam alteri; & arctare vel cogere vnam rem contra alteram, vel ſupra alteram: eò quòd ad iungendam & vniendam rem vnam alteri rei, ſolâ & ſimplici applicatione opus ſit; eo ſcilicet modo, vt ſe contingant & conſocient: ad eum fere modum, quo vites

Digitized by Google

vlmis, vel, quod idem eſt multis in locis palis junguntur & alligantur; ſicut & iaſmina, ſeu flores in hortis coniunguntur pergulis, ſeu cancellis quibuſdam. Verùm ad coarctandum, & quaſi cogendum, fortis applicatio adhibenda eſt, quatenus vnio incrementum & augmentum capiat. Quo fit, vt ſtringere, conſtringere, coarctare, ſit fortiter & intimè res inter ſe iungere: vti videmus hederam iungere ſe arboribus: ea enim non ſe vnit ijs, ſed illas adeò grauiter premit, & aſtringit ſe ſe ad illas, vt etiam penetret, & earum cortices ingrediatur.

Comparatio amoris infantium aduerſus Matres hoc loco, ob ſuam innocentiam & puritatem non debet negligi. Intuere igitur eximium quempiam infantem, cui ſedens mater apertum præſentat ſinum. Is totis, quibus pollet viribus, intra matris brachia ſe inijcit, colligans & complicans totum ſuum corpuſculum ſuper amabile matris pectus; intuere & reciprocè eius matrem, quomodo eum recipiens conſtringat, & vt ita dicam, ſuo agglutinet gremio, eumque deoſculans iungat os ſuum ori infantis. Sed vide viciſſim paruum hunc puſionem ineſcatum blanditijs maternis, qualiter ex parte ſua cooperetur vnioni, inter ſe, & matrem ineundæ; nam conſtringit etiam ille & premit, quantùm poteſt pectus & faciem matris, &, vt apparet, vult ſe totum immergere & abſcondere in charo matris gremio, de quo extractus eſt. Tunc autem, Theotime, vnio eſt peracta: quæ licet non ſit niſi vna, non ideò tamen ceſſat procedere ex matre & filio: verùm eo modo, vt dependeat tota ex Matre: quia attraxit illa ad ſe infantem, primaque fuit, quæ eundem conſtrinxit inter brachia, & ſupra ſuum pectus poſuit: vires enim pueri non erant tantæ, vt potuerint ita fortiter interſtringere & preſſare matrem. Tamen quæ poteſt ex ſua parte præſtare, non negligit, ſed collectis omnibus viribus preſſat ſinum maternum, non ſolùm conſentiendo ſuaui vnioni, quam mater exercet, ſed etiam toto animo debiles ſuos conatus vnioni contribuit, dico DEBILES SVOS CONATVS, quia ita ſunt imbecilles, vt potius videantur tentamina vnionis, quàm ipſa vnio.

Ita igitur, Theotime, Chriſtus oſtendens perquam amabilem ſinum diuini ſui amoris animæ deuotæ, totam ad ſe attrahit, colligit, &, vt ita dicam, complicat & replicat omnes potentias illius in gremio ſuæ dulcedinis pluſquam maternæ. Deinde ardens amore comprimit animam, & aſtrin-

& aſtringit ſuper ſuauitatis ſuæ labra, & ſuper vbera omnibus delicijs affluentia, deoſculans ſacro oris ſui oſculo dat ſuas mammillas, vino quouis meliores, deguſtandas ac ſugendas. Tunc anima ineſcata delicijs horum fauorum, non ſolùm conſentit, ſeque exhibet vnioni, quam DEUS facit; ſed totis viribus cooperatur, nitens ſe iungere, & vnire ſemper fortius & fortius diuinæ bonitati: ita tamen, vt probè intelligat ſuam vnionem & coniunctionem cum ſupremâ hac ſuauitate, totam quantam dependere ab operatione diuina, ſine qua non poſſet illa ne minimùm quidem coniunctionis tentamen facere, vt ſe illi vnire.

Quando pulchritudo quæpiam in propatulo, quam homines magno ardore intuentur, poſita eſt; vel excellens aliqua melodia magna cum attentione auditur; vel demum quando diſcurſus bene formatus magna animorum contentione percipitur: dicitur, quidni talis pulchritudo oculos ſpectatorum in ſe teneat fixos? quidni huiuſmodi muſica aures habeat attentas, & tam egregius diſcurſus quomodo audientium animos ad ſe non rapiat? Ecquid eſt aliud oculos habere fixos, aures attentas, rapere animos, niſi vnire & iungere perarctè ſenſus & potentias, de quibus ſermo eſt, cum ſuis obiectis? Anima igitur ſe iungendo ſuo obiecto ſe comprimit & conſtringit, quando erga illud afficitur, in illudque fertur magno impetu & attentione. Nam conſtrictio hæc aliud non eſt, quàm progreſſus & profectus vnionis & coniunctionis. Vtimur eodem verbo in noſtro idiomate, loquendo de rebus moralibus: VRGEOR VT HOC VEL ILLVD FACIAM, vt maneam, id eſt non ſolùm ſuadet & rogat, ſed magnopere etiam contendit, vt hoc illi præſtem. Vti peregrini in Emaus proficiſcentes fecerunt, cum Chriſto agentes: quia non ſolùm facti ſunt ſupplices illi, vt ſecum maneret, ſed etiam *coëgerunt*, & velut violentiam amoroſam adhibuerunt. Luc.24 v.23.

Porrò, vnio ſæpe fit in oratione per exiguas quidem, ſed per ſæpius iteratas eiaculationes & accelerationes profectûs animæ in DEVM. Et ſi aduertas ad paruulos infantes vberibus maternis inhærentes, videbis qualiter ſucceſſiuè ſe ad dicta applicent vbera, & eadem conſtringant: idq; per quaſdam ſuſpirationes & conatus, quos auiditas ſugendi ijs communicat. Ita in oratione cor vnitum DEO ſæpius inſtat conaturq; per certos quoſdam motus vnionem firmiorem & arctiorem cum

diuina dulcedine reddere & magis perficere: exempli cauſâ, cum anima diutius experta eſt ſenſum vnionis, per quam ſuauiter deguſtauit, quàm ſit ea fœlix quòd ſit Dei, tandem adaugens dictam vnionem arctiore conſtrictione & intenſiore cordis ſuſpiratione ita Domine dicit illa, *tua ſum tota, tota abſq; vlla exceptione*; vel certè: *ô Domine, ſum verè & eſſe volo ſemper magis tua*: aut per modum orationis: *ô dulcis IESV, ſemper fortius ac fortius me in cor tuum attrahe, vt amor tuus me deglutiat, totamq; abſorbeat in abyſſo ſuæ dulcedinis.*

Sæpe alias vnio fit, non per repetitas eiaculationes mentis, ſed per modum continuæ & inſenſibilis compreſſionis, & accelerationem cordis in diuinam bonitatem. Nam quemadmodum videmus magnam aliquam & grauem maſſam plumbi, æris, vel lapidis, &c. eſto cum impetu non proijciatur, ſeipſam contra terram vrgere, premere, in eamq; ſe, dum ſuper eam iacet, ita immergere, vt cum tempore tota deprehendatur taliter terræ immerſa, idque ratione inclinationis inſiti ſibi ponderis, vt per ſuam grauitatem ſemper tendat magis ad centrum. Ita cor noſtrum ſemel Deo vnitum, ſi maneat in iſta vnione, & non habeat impedimentum, à quo aliò diuertatur, continuè ſe per inſenſibilis vnionis progreſſum deprimit, vſque dum totum quantum immerſum ſit, in Deo, & hoc ratione ſacræ inclinationis, quam amor ei ad ſe magis ac magis vniendum ſummæ bonitati indidit. Nam, vt dicit Apoſtolus Galliæ S. Dionyſius: *amor eſt virtus vnitiua, id eſt quæ nos defert ad perfectam vnionem ſummi boni.* Siquidem veritas eſt indubitata, quòd diuinus amor, quam diu ſumus in hoc mundo, ſit motus quidam, vel minimùm habitus actiuus tendens ad motum, qui etiam tunc cum pertigerit ad ſimplicem vnionem, non quieſcit, ſed agit ſemper, eſto imperceptibiliter, ad magis & magis perpetuò augendam, & perficiendam dictam vnionem.

Ita arbores, quæ amant tranſplantari, poſtquam tranſplantatæ ſunt expandunt ſuas radices, & in gremio terræ, quæ eorum eſt elementum & alimentum, altè ſe inſerunt; & hoc nemine aduertente dum fit, poſtquam autē factum, nemo non notat. Sed & cor humanum tranſplantatum de mundo per cæleſtem amorem in Deum, ſi ſtrenuè ſe in oratione exerceat, cōtinuè ſe pandet, & diuinitati inſeret, vniēs ſe ſe arcti⁹ ſemper

eius

Digitized by Google

eius bonitati. Et hoc per incrementa imperceptibilia, quorum progreſſus dum ſit, non facile notatur, facile autem dum factus eſt.

Si liquorem quempiam exquiſitum, v. g. aquam Imperialem, vt vocant, biberis, ſimplex vnio illius tecum fiet eodem momento, quo illam ſumes: receptio enim, & vnio illius hac in re idem ſunt: ſed deinde, ſenſim & quaſi ſine ſenſu, vnio ſe amplificabit & dilatabit per progreſſum imperceptibiliter ſenſibilem. Nam virtus iſtius aquæ, penetrans omnes partes, confortabit cerebrum, vegetabit & recreabit cor, nec non vires ſuas extendet ad omnes ſpiritus vitales. Ita ſenſus dilectionis, exempli causâ, quòd Devs ſit bonus, ſimulatque cor intrat, ſtatim conficit vnionem cum iſta bonitate; verùm ſi diutius aliquantulum ibi commoretur ad inſtar vnguenti aut ſuffitus pretioſi, omnes animæ partes penetrat, expandit & dilatat ſe in noſtra voluntate, &, claritatis causâ, ſe incorporat cum noſtra anima, iungens & vniens ſe omni ex parte nobis. Et hoc eſt, quod eximius Rex Dauid nos docet, quando verba ſacra comparat melli: nam quis neſcit dulcedinē mellis magis & magis ſe vnire noſtro ſenſui per continuum progreſſum ſui ſaporis; quod mel retentum diu in ore, & paulatim per fauces demiſſum in ventriculum, mirum dictu, quàm bene afficiat ſenſum guſtûs. Eodem modo ſenſus bonitatis diuinæ expreſſus verbo S. Brunonis. ô bonitas! vel Sancti Thomæ Apoſtoli: Dominvs mevs, & Devs mevs! vel Beatæ Magdalenæ: Rabboni! vel Sancti Franciſci: Devs mevs & omnia. ſenſus inquam hic, commorans aliquo ſpatio temporis in corde amoroſo, ſe dilatat, extendit immergitq; per intimam penetrationem in anima, & magis atque magis illam diluit & imbuit ſuo ſapore, quod aliud non eſt, quàm augere vnionem: ſicut facit pretioſum vnguentum, vel balſamum, quod cadens ſupra goſſipium, ſeu bombycem miſcet & vnit ſe illi taliter per gradus ſemper fortiores, (paulatim tamen) vt tandem dici non poſſit an goſſipium ſit ſuffumigatum, an ipſe ſuffitus, neq; an ſuffitus ſit goſſipium, vel goſſipium ſuffitus. ô quàm beata eſt anima illa, quæ in cordis ſui tranquillitate ſacrum ſenſum præſentiæ diuinæ amoroſè conſeruat! nam eius cum diuina bonitate vnio creſcet perpetuò, (eſto id fiat inſenſibiliter) & contemperabit imbuetque totam animam ſuâ infinitâ ſuauitate. Porrò, quando loquor de ſacro ſenſu præſentiæ Dei, hac in re non intendo loqui de ſenſu, qui percipitur, ſed

diuina dulcedine reddere & magis perficere: exempli cauſâ, cum anima diutius experta eſt ſenſum vnionis, per quam ſuauiter deguſtauit, quàm ſit ea fælix quòd ſit Dei, tandem adaugens dictam vnionem arctiore conſtrictione & intenſiore cordis ſuſpiratione ita Domine dicit illa, *tua ſum tota, tota abſq; vlla exceptione*; vel certè: *ô Domine, ſum verè & eſſe volo ſemper magis tua*: aut per modum orationis: *ô dulcis IESV, ſemper fortius ac fortius me in cor tuum attrahe, vt amor tuus me deglutiat, totamq́; abſorbeat in abyſſo ſua dulcedinis.*

Sæpe alias vnio fit, non per repetitas eiaculationes mentis, ſed per modum continuæ & inſenſibilis compreſſionis, & accelerationem cordis in diuinam bonitatem. Nam quemadmodum videmus magnam aliquam & grauem maſſam plumbi, æris, vel lapidis, &c. eſto cum impetu non proijciatur, ſeipſam contra terram vrgere, premere, in eamq; ſe, dum ſuper eam iacet, ita immergere, vt cum tempore tota deprehendatur taliter terræ immerſa, idque ratione inclinationis inſiti ſibi ponderis, vt per ſuam grauitatem ſemper tendat magis ad centrum. Ita cor noſtrum ſemel Deo vnitum, ſi maneat in iſta vnione, & non habeat impedimentum, à quo aliò diuertatur, continuè ſe per inſenſibilis vnionis progreſſum deprimit, vſque dum totum quantum immerſum ſit, in Deo, & hoc ratione ſacræ inclinationis, quam amor ei ad ſe magis ac magis vniendum ſummæ bonitati indidit. Nam, vt dicit Apoſtolus Galliæ S. Dionyſius: *amor eſt virtus vnitiua, id eſt quæ nos defert ad perfectam vnionem ſummi boni.* Siquidem veritas eſt indubitata, quòd diuinus amor, quam diu ſumus in hoc mundo, ſit motus quidam, vel minimùm habitus actiuus tendens ad motum, qui etiam tunc cum pertigerit ad ſimplicem vnionem, non quieſcit, ſed agit ſemper, eſto imperceptibiliter, ad magis & magis perpetuò augendam, & perficiendam dictam vnionem..

Ita arbores, quæ amant tranſplantari, poſtquam tranſplantatæ ſunt expandunt ſuas radices, & in gremio terræ, quæ eorum eſt elementum & alimentum, altè ſe inſerunt; & hoc nemine aduertente dum fit, poſtquam autē factum, nemo non notat. Sed & cor humanum tranſplantatum de mundo per cæleſtem amorem in Deum, ſi ſtrenuè ſe in oratione exerceat, cōtinuè ſe pandet, & diuinitati inſeret, vniēs ſe ſe arctiꝰ ſemper

eius

Digitized by Google

eius bonitati. Et hoc per incrementa imperceptibilia, quorum progreſſus dum fit, non facile notatur, facile autem dum factus eſt.

Si liquorem quempiam exquiſitum, v. g. aquam Imperialem, vt vocant, biberis, ſimplex vnio illius tecum fiet eodem momento, quo illam ſumes: receptio enim, & vnio illius hac in re idem ſunt: ſed deinde, ſenſim & quaſi ſine ſenſu, vnio ſe amplificabit & dilatabit per progreſſum imperceptibiliter ſenſibilem. Nam virtus iſtius aquæ, penetrans omnes partes, confortabit cerebrum, vegetabit & recreabit cor, nec non vires ſuas extendet ad omnes ſpiritus vitales. Ita ſenſus dilectionis, exempli cauſâ, quòd Deus ſit bonus, ſimulatque cor intrat, ſtatim conficit vnionem cum iſta bonitate; verùm ſi diutius aliquantulum ibi commoretur ad inſtar vnguenti aut ſuffitus pretioſi, omnes animæ partes penetrat, expandit & dilatat ſe in noſtra voluntate, &, claritatis cauſâ, ſe incorporat cum noſtra anima, iungens & vniens ſe omni ex parte nobis. Et hoc eſt, quod eximius Rex Dauid nos docet, quando verba ſacra comparat melli: nam quis neſcit dulcedinē mellis magis & magis ſe vnire noſtro ſenſui per continuum progreſſum ſui ſaporis; quod mel retentum diu in ore, & paulatim per fauces demiſſum in ventriculum, mirum dictu, quàm bene afficiat ſenſum guſtûs. Eodem modo ſenſus bonitatis diuinæ expreſſus verbo S. Brunonis. ô bonitas! vel Sancti Thomæ Apoſtoli: Dominus meus, & Deus meus! vel Beatæ Magdalenæ: Rabboni! vel Sancti Franciſci: Deus meus & omnia. ſenſus inquam hic, commorans aliquo ſpatio temporis in corde amoroſo, ſe dilatat, extendit immergitq; per intimam penetrationem in anima, & magis atque magis illam diluit & imbuit ſuo ſapore, quod aliud non eſt, quàm augere vnionem: ſicut facit pretioſum vnguentum, vel balſamum, quod cadens ſupra goſsipium, ſeu bombycem miſcet & vnit ſe illi taliter per gradus ſemper fortiores, (paulatim tamen) vt tandem dici non poſsit an goſsipium ſit ſuffumigatum, an ipſe ſuffitus, neq; an ſuffitus ſit goſsipium, vel goſsipium ſuffitus. ô quàm beata eſt anima illa, quæ in cordis ſui tranquillitate ſacrum ſenſum præſentiæ diuinæ amoroſè conſeruat! nam eius cum diuina bonitate vnio creſcet perpetuò, (eſto id fiat inſenſibiliter) & contemperabit imbuetque totam animam ſuâ infinitâ ſuauitate. Porrò, quando loquor de ſacro ſenſu præſentiæ Dei, hac in re non intendo loqui de ſenſu, qui percipitur, ſed

Qq 3 de eo,

Digitized by Google

de eo, qui reſidet in ſummitate, & ſupremo apice mentis, vbi diuinus amor regnat, & præcipua ſua peragit exercitia.

De diuerſis gradibus ſanctæ vnionis, quæ fit in oratione.

Capvt II.

VNIO fit nonnunquã nobis non cooperantibus, niſi per ſimplicem quandã conſecutionẽ, dum ſinimus nos vniri cum diuina bonitate abſque remiſſu aliquo: veluti puſio quiſpiam cupidus quidem ſinûs materni, ſed ita languidus, vt nequeat ſe vllo modo ad illum promouere, nec admotus ad illum, poſsit vllo modo ſtringere & firmiter adhærere, ſed tantum gaudere quòd mater inter brachia ipſum accipiat, & pectori applicet.

Subinde nos operamur. dum trahimur, currimuſq; ſeduli, vt ſuaui eius bonitatis vi, à qua trahimur & conſtringimur per amorem, obſecundemus.

Quandoque etiam nobis videtur, quod incipiamus nos primi coniungere & adhærere Deo, antequam ille ſe nobis coniungat, eò quod actionem vnionis noſtra ex parte ſentiamus, non perceptâ illâ, quæ eſt ex parte Dei: quæ tamen dubio procul ſemper nos præuenit, licet non ſemper ſentiamus eius præuentionem. Nam ſi non ſe vniret nobis, nunquam nos illi vniremus: ille nos eligit & apprehendit ſemper antequam nos eum eligamus & apprehendamus. Verùm, quando eius illicia imperceptibilia ſequendo incipimus nos illi vnire, nonnunquam ille promouet noſtram vnionem, ſuccurrens noſtræ imbecillitati, & conſtringens ac vniens ſe nobis ita ſenſibiliter, vt eum intrantem & penetrantem cor noſtrum per incomparabilem ſuauitatem ſentiamus. Sed quandoq; etiam, vt nos attrahit inſenſibiliter ad vnionem, ita continuat inſenſibiliter nos adiuuare & promouere; nos autem neſcimus quomodo magna iſta vnio inter nos ac Devm facta ſit. Scimus quidem perbellè noſtras vires non eſſe ſufficientes ad illam efficiendam, ita vt iudicemus ea in parte, quòd aliqua potentia ſecreta fecerit in nobis actionem

nem inſenſibilem. Sicut nautæ, qui vehunt ferrum, cùm ſub vento multum debili aduertunt ſuas naues potenter ferri per mare, cognoſcunt ſe vicinos eſſe aliquibus montibus, qui ſuis viſceribus clauſos teneant magneticos lapides, à quibus trahantur imperceptibiliter. Vnde hoc in genere vident cognoſcibilem & perceptibilem progreſſum prouenientem ex medio aliquo ſibi compoſito & imperceptibili. Eodem pene modo, quando videmus animam noſtram magis & magis vnire ſe DEO, ſub exiguis conatibus, quos facit noſtra voluntas, rectè ratiocinamur, nimis nos exiguum habere ventum, quod tamen celeriter nauigemus, trahi nos à magnete animarum noſtrarum, id eſt ab aliqua ſecreta influentia diuinæ eius gratiæ, quam vult nobis eſſe imperceptibilem, vt ſic nobis plus pariat admirationis, & ne nos detinentes eius illicijs conſiderandis & ſentiendis, purius & ſimplicius nos vniendo diuinæ eius bonitati occupemus.

Aliquando vnio iſta fit ita inſenſibiliter, vt cor noſtrum neque ſentiat operationem diuinam in nobis, neque noſtram cooperationem, ſed inueniat ſolã vnionem totam quantam inſenſibiliter factam, idq́; ad imitationem Iacobi Patriarchæ, qui nullâ admiſſâ cogitatione de Lia, inuenit ſe matrimonio illi iunctum: vel etiam Samſonis, ſed felicius dum inuenit ſe ligatum conſtrictumq́ue funibus ſanctæ vnionis antequam eos aduertat. Alijs etiam vicibus ſentimus aſtrictiones, ſeu compreſsiones, vnione ſe ipſam per actiones ſenſibiles faciente, & augente, idq́; tam ex parte DEI, quam ex noſtra.

Aliquando vnio fit per ſolam & in ſola voluntate, in qua ſubinde intellectus ſuas agit partes, quia ſcilicet voluntas eum trahit poſt ſe, applicatq́ue ſuo obiecto, ei impertiens ſpeciale gaudium ad illud fixè intuendum, fere ad eum modum, quo videmus amorem diſpergentem profundam & ſpecialem quandam attentionem oculis noſtris temporalibus, vt eos inſiſtere faciat & inhærere rei, quam amamus.

Alijs etiam temporibus hæc vnio fit ab omnibus facultatibus animæ, quæ ſe circa voluntatem colligunt, vt non ſe, per ſe vniant DEO: non enim omnes id præſtare poſſunt, ſed vt plus præſidij, commodi, & auxilij exhibeant voluntati ad conficiendam ſuam vnionem. Nam, ſi aliæ facultates ſingulæ applicatæ eſſent proprio ſuo obiecto, anima per illas

Digitized by Google

illas operans non poſſet ita perfectè impendere ſe actioni, per quã vnio fit cum Deo. Et iſthæc eſt varietas vnionum.

Vide S. Martialem: is fuit, vt fertur, beatus ille puellus, de quo ſermo eſt in Euangelio S. Marci, quem Chriſtus Dominus accepit, eleuauit,& tenuit ſat longo tempore inter ſua brachia. O eximie Martialis paruule, quàm tu beatus es, quod apprehendaris,attollaris, porteris, vniaris,iungaris,& appliceris pectori Saluatoris: quin & oſcula ex ſacro eiuſdem ore ſuauiſsima accipias,nó aliter ad iſta omnia te cooperante, quàm non renitendo diuinæ gratiæ & Chriſti humanitati! Contrà, S. Simeon complectitur & accipit Chriſtum in vlnas ſuas abſque eo, quod ſignum aliquod appareat, quo colligatur ipſum Chriſtum cooperatum fuiſſe illi vnioni, licet cantet Eccleſia: *Senex puerum portabat,puer* Luc. 2. v. 8. *autem ſenem regebat*: S. Bonauentura motus ea ſancta & reuerentiali humilitate,non ſolùm non ſe vniebat Chriſto,ſed & retrahebat ſe à reali eius præſentia,id eſt à Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento,quando die quodam, dum audiret Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium,Dominus noſter venit ſe illi vnire,deferens ei diuiniſſimum Sacramentum. Porrò,vnione factâ, ah! Theotime, quanto putas amore ſancta illa anima in corde ſuo Chriſtum clauſerit? Contrà Sanctæ Catharinæ Senenſi ardenter deſideranti Saluatorem in Sancta communione,effundenti ac velut proijcienti animam ſuam, teneramq; erga illum affectionem, venit ſe illi iungere,ingrediens eius os,mille benedictiones ſecum in illud inducens. Atque ita Saluator noſter incepit vnionem cum ſancto Bonauentura, S. Catharina verò,viſa eſt illã,quam habuit cũ Saluatore incepiſſe; Sancta amatrix vel dilecta, in cantico ita loquitur: vt & hanc & illam videa- Cant. 2 v. 10. tur experta: *ego dilecto meo,* dicit illa, *& ad me conuerſio eius*: nam tantum eſt,quantũ ſi diceret: vniui me dilecto meo,& reciprocè ad me eius conuerſio,vt ſe vniens magis mihi, reddat etiam totum ſe meum. *Dilectus meus faſciculus Myrrhæ, inter vbera mea commorabitur*, & ego in ſinu meo Pſ. 62. 9 eum complectar velut faſciculum ſuauitatis. *Adhæſit*, inquit Dauid, *anima mea poſt te, DEVS meus, & dextera tua ſuſcepit me.* Verùm præuentam ſe fatetur, dum dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, quod eſt dicere; facimus quandam ſpecialem vnionem, quâ ille iungitur mihi, & ego illi, & ad oſtendendam vnionem hanc ſemper fieri gratiâ Dei, quæ nos ad ſe trahit, & per allectus mouet animam noſtram, eandem animat,ac promouet

Digitized by Google

monet motum noſtræ vnionis aduerſus illum, clamat velut impotens: *trahe me.* Verùm ad teſtificandum non permiſſuram ſe, vt trahatur, vt lapis quiſpiam, aut malefactor triremi alligatus; ſed ex parte ſua cooperaturam ſe, & adhibituram debilem ſuum conatum ad potentia dilecti ſui illicia: *Curremus*, inquit illa, *in odorem vnguentorum*: Sciendum autem eſt, ſi aliquantulum fortiter per voluntatem trahatur, omnes animæ potentias ad vnionem accurſuras: *trahe me*, inquit illa, *& curremus*, ſponſus non niſi vnam trahit, & plures currunt ad vnionem. Vnica ſola eſt voluntas, quam Deus poſcit, ſed omnes aliæ potentiæ currunt poſt illam, vt vnà cum illa Deo vniantur.

Ad iſtam vnionem diuinus Paſtor animarum noſtrarum prouocabat charam ſuam Sulamitidem, quando dicebat: *Pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Vt bene imprimatur ſignum in cera, non ſolùm applicandum eſt, ſed etiam antè premendum: ita vult ille, vt nos ſibi vnione adeò forti & arctâ vniamus, vt ſignati eius notâ perpetuò illius maneamus. Cant. 8. v. 6.

Sanctus Saluatoris Amor premit & vrget nos, ah! quale exemplum excellentis vnionis! iunxerat ſe naturæ noſtræ humanæ per gratiam, velut vitis ſuo palo, ſeu vlmo, vt eam quoquo modo participem efficeret ſui fructûs; videns autem vnionem iſtam per peccatum Adami eſſe diſſolutam, longè potentiorem & arctiorem fecit per incarnationem; per quam natura humana ſemper manet in vnitate perſonæ iuncta diuinitati. Vt autem non ſolùm natura humana in communi, ſed omnes omnino in particulari homines intimè poſſent ſe vnire eius bonitati, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, cuius quilibet poteſt ſe participem facere, vt ſcilicet Saluatorem ſibi ipſi realiter & per modum cibi vnire poſsit. Theotime, vnio iſta Sacramentalis nos ad ſpiritualem, de qua nobis in præſenti eſt ſermo, magnopere iuuat, ſolicitatque, vt eam frequentemus.

De ſupremo gradu vnionis per ſuſpenſionem & raptum.

Capvt III.

Siue igitur vnio animæ noſtræ cum Deo fiat imperceptibiliter, ſiue perceptibiliter, Deus ſemper eius eſt auctor: & nemo poteſt ſe illi vnire, niſi eum adeat, neque vllus poteſt illum adire, niſi ab illo trahatur: vt ipſe diuinus Sponſus teſtatur: *nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum*. Quod idẽ eius cæleſtis Sponſa etiã proteſtatur, dũ dicit: *trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Porrò perfectio iſtius vnionis in duobus conſiſtit punctis. I. vt ſit pura, II. vt ſit fortis. Agedum, Theotime, nonné poſſum accedere mortalem quempiam, vt ei loquar, vt eum melius videam, vt rem quampiam ab eo obtineam, vt vnguentum, quod ſecum geſtat, odoratu percipiam, vt denique ei innitar? & tunc accedo verè ad eum, & me cum illo iungo: ſed appropinquatio & vnio non ſunt intentio principalis, ſed ea adhibeo ſolummodo vt media, & diſpoſitionem ad rem aliam obtinendam. Quod ſi ad illum accedo, & me illi iungo, non alio aliquo fine, quam vt illi ſim proximus, & approximatione & vnione iſtâ fruar, tunc eſt approximatio puræ & ſimplicis vnionis.

Sic plures accedunt ad Chriſtum, aliqui ad eum audiendum vt S. Magdalena, alij ad ſanitatem recipiendam vt Hemoroiſſa, alij ad eum adorandum, vt Magi, alij ad ſeruiendum & obſequia præſtanda, vt ſancta Martha, alij ad incredulitatem ſuam ſuperandam, vt ſanctus Thomas Apoſtolus; alij denique ad eum inungendum vt Magdalena, Joſeph, & Nicodemus; ſed diuina Sulamitis eum quærit, vt inueniat, & eo inuento, aliud nihil quærit, quàm arctè eum tenere, & tenendo nunquam à ſe dimittere: *inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Jacob Patriarcha, teſte S. Bernardo, tenens Deum fortiter, paratus eſt eum dimittere, modò ſibi impertiat benedictionem: at Sulamitis non dimittet, etiam acceptâ ab eo quacunque benedictione. Non enim illa vult benedictiones Dei, ſed Deum benedictionum, dicens cum Dauide:

Cant. 3. v. 4.

quid

quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? DEVS cordis mei, & pars mea Pſal. 72
DEVS in æternum. v. 25.& 26.

Hoc autem modo fuit glorioſa Mater apud crucem filij ſui. Hem! quid quæris ò Mater vitæ in hoc monte Caluariæ, quid inquam quæris? *Quæro, dixiſſet illa, filium meum, qui eſt vita vitæ meæ.* Et quare eum quæris? *vt ſim cum illo:* at modo luctatur cum triſtitiæ & mortis fluctibus. *Ah! minimè quæro gaudia, non inueſtigo delicias, ſed filium ipſum meum quæro, & vt vbique eum quæram, facit amoroſum cor meum, quod auet ſe vnire amabili filio, dilecto meo.* In ſumma, intentio animæ in iſta vnione non eſt alia, quàm eſſe cum dilecto.

Verùm quando vnio animæ cum Deo ita eſt arcta, vt indiſſolubilis videatur, vocatur à Theologis INHÆSIO, vel ADHÆSIO: quia per illam anima hæret capta, annexa, agglutinata & affixa diuinæ Maieſtati, eo ſcilicet modo, vt vix poſsit ſe ſeparare, & ab ea recedere. Conſidera, amabò, hominem attentione & ſuauitate muſicæ harmoniæ (quæ in nullo perfecta harmonia requiſito deficiat, nulliuſque aures offendat) captum & abreptum; vel rei, quæ muſicâ longè ſit inferior, ineſcatum, exempli causâ, luſui chartarum, velles quidem hominem ab eo luſu abſtrahere, ſed non vales, quantumuis domi ſint magni momenti negotiá, quæ vt conficiantur, egent eius opera quam maximè; nam adeo luſui addictus eſt, vt operam luſurus ſis, ſi, etiam eſurientem & ſitientem coneris abſtrahere.

O Theotime, quantò magis affixa & coniuncta eſſe debet anima, quæ Deum ſuum intimè amat, quando infinitæ eius diuinitatis dulcedini vnita eſt, & ſimul capta & abrepta in obiectum incomparabilium perfectionum. Talis fuit S. Pauli vaſis electionis, qui clamabat: *Vt DEO viuam, crucifixus ſum cum Chriſto.* Idem etiam proteſtatur, quod nihil, nec mors quidem eum ſeparare poſsit à Chriſto Domino & Magiſtro ſuo. Hic etiam amoris effectus vigebat inter Dauidem & Jonatham: nam dicit ſcriptura, *quòd anima Ionathæ conglutinata fuerit animæ Dauidis, & dilexerat* Reg. 18
eum quaſi animam ſuam. quin & axioma celebre, & verò etiam celebra- v. 1.
tum per antiquos Patres, quod ſcilicet amicitia, quæ habere poteſt finem, nunquam vera fuerit amicitia, vt alibi dixi.

Vide, obſecro, Theotime, puſionem affixum vberibus & collo matris ſuæ, ſi inde velit quis eum abſtrahere, vt ad cunas deferat, quia

id faciendi tempus eſt,is nihil non agit defendens ſe pro viribus,ne ſinum amabilem deſerere cogatur, ſi manus vna, quâ ſe affixum matri tenet, ſeparetur, alterâ eam fortius apprehendit, ſi omnino inde tollatur, plorat, & fixum cor & oculos in eo tenens,in quo non poteſt tenere corpus, matris auxilium implorat, vſque dum diu multumq; cunis ventilatus, obdormiat. Ita anima, quæ per exercitium vnionis eouſque peruenit, vt capta & affixa diuinæ bonitati, ei inhæreat, non poteſt inde abſtrahi, niſi magnâ vi, nec ſine dolore, ita fortiter, quod ſemel illa apprehendit, tenet! Si diuertatur eius imaginatio, tenet ſe intellectu, qui ſi etiam ei abſtrahatur, eidem ſubiecto manet affixa per voluntatem, ſi etiam per violentam diſtractionem deferatur à voluntate, pedem ſingulis momentis refert eò, vbi charum habet ſuum obiectum: à quo penitus non poteſt ſe abſtrahere: renouat enim quantum in ſe eſt ſuæ cum illo vnionis ſuauia vincula per frequentes reditiones & reuerſiones, quas velut furtim exercet, in hoc experiens laborem & dolorem S. Pauli. Premitur enim illa duobus deſiderijs, PRIMO, vt ſit libera ab omni exteriori occupatione, vt in interiori cum Chriſto commoretur; SECVNDO, vt nihilominus ſe conferat ad opus obedientiæ, quod ipſamet vnio cum Chriſto illam docet ab ea requiri.

Porrò Beata Mater Thereſia præclarè dicit, vnionem,quæ premit vſq; ad eam perfectionem, vt nos teneat affixos in Chriſto, non differre à raptu,à ſuſpenſione vel ſuſpendio animæ,ſed vocari eam ſolummodo vnionem, vel ſuſpenſionem,aut ſuſpendium animæ,quando breuis eſt,quãdo autem longa, nuncupari ecſtaſim vel raptum, quia ipſo effectu anima DEO ſuo ita firmiter,ita arctè inhæret,vt non facile poſſit liberari, non enim amplius eſt in ſe ipſa, ſed in DEO. Sicuti corpus crucifixum non amplius eſt in ſe ipſo, ſed in cruce, & hedera affixa muro non amplius eſt in ſe ipſa, ſed in muro.

Verum, vt euitetur, omnis æquiuocatio, ſcito, Theotime, charitatem eſſe vinculum, & quidem perfectionis: proinde,qui magis abundat charitate, magis etiam deuinctus & coniunctus eſt DEO. At nobis non eſt ſermo de ea vnione, quæ eſt permanens in nobis per modum habitûs, ſiue dormiamus ſiue vigilemus: ſed de vnione, quæ fit interueniente actione, & quæ eſt non poſtremum exercitium charitatis & dilectionis. Imaginare igitur tibi S. Paulum,S. Dionyſium,S. Auguſtinum, S. Bernar-

S. Bernardum, S. Franciſcum, S. Catharinam Genuenſem, Senenſem, &c. adhuc extare in hoc mundo,& præ laſſitudine ex multis laboribus, Dei amore ſuſceptis, dormire. Repræſenta tibi alia ex parte bonam & ſanctam aliquam animam, minus tamen illis ſanctam, quæ eodem tempore fuit in oratione vnionis: quæro ex te, Theotime, quis eorum magis ſit vnitus, arctiuſq; Deo deuinctus, magníne dicti Sancti, qui dormiunt in ſomno pacis; an anima, quæ orat? Dubio procul ſunt magni & admirabiles iſti amatores, quia plus habent charitatis, & eorum affectiones (licet aliquomodo ſint dormientes) taliter ſunt obligatæ & deuinctæ Domino ſuo, vt ab eo ſeparari nequeant. Sed dices mihi: quomodo fieri poteſt, vt anima, quæ ipſa verſatur in oratione vnitiua, & quidem vſque ad ecſtaſim, minus ſit vnita Deo, quàm ſint ei, qui dormiunt, quantumuis ſancti ſint? ℟. Theotime: illa longius progreſſa eſt in exercitio vnionis,hi autem in ipſa iam facta vnione, hi vniti ſunt, & non ſe vniunt,ſiquidem dormiunt; illa autem verſans in exercitio & praxi actualis vnionis ſe primò vnit.

Cæterum, exercitium hoc vnionis cum Deo fieri poteſt etiam per breues & quaſi momentaneas, at per frequentes aſpirationes cordis noſtri in Deum, fere vti, orationes iaculatoriæ fiunt ea intentione. Ah! Iesv mi, quis mihi elargietur gratiam, vt ſim vnus Spiritus tecum! Tandem, Domine mi, reiectâ multitudine creaturarum, ſolam tuam veritatem volo; ô Deus, tu ſolus vnus es, & ſola vnitas animæ neceſſaria! Eheu! chare cordis mei amice, vnito miſeram vnicam animam meam, ſingulariter vnicæ bonitati tuæ. *Tu quidem totus es meus, at quando totus ero & ego tuus?* Magnes ferrum trahit & ſibi iungit, agedum Iesv mi, eſto magnes meus, eſto tractor cordis mei, qui me trahat, me iungat, me premat & vniat in æternum meum Spiritum Paterno tuo pectori. Heu! ſiquidem pro te & ad te factus ſum, quare non ſum tecum, & in te? Ah! guttam iſtam Spiritûs, quam mihi dediſti, in mari bonitatis tuæ, ex quo proceſſit, abſorbe: ô Domine mi, ſiquidem cor tuum me amat, cur me non rapit ad ſe, hoc ſiquidem vnicum eſt meum deſiderium? *Trahe me, vt curram inhærens veſtigijs tuorum attractuum,* me vt intra tua paterna brachia vibrem, & inde nulla vnquam me abſtrahant ſæcula.

Rr 3 *De raptu*

De raptu Spirituali, & de prima eius ſpecie,

Capvt IV.

ECſtaſis vocatur raptus, in quantum per illam Devs nos ad ſe attrahit, & attollit; raptus autem nuncupatur Ecſtaſis, in quantum per illum eximus & manemus extra nos, & ſupra nos vt Deo nos vniamus. Et quamuis attractus, per quos trahimur ex parte Dei ſint admirabiliter dulces, ſuaues & delicioſi, tamen propter vim & virtutem, quam habent tum pulchritudo, tum bonitas diuina trahendi ad ſe attentionem & applicationem intellectûs videntur non ſolùm nos attollere, ſed etiam rapere & penitus abſtrahere; ſicut è contrario, ratione conſenſûs comprimis voluntarij, & ardentis motûs, per quem anima rapta effundit ſe in attractus diuinos, videtur non tantum aſcendere, & ſe attollere, ſed etiam ſe vibrare extra ſe, & proijcere in ipſammet diuinitatem. Eodem modo philoſophandum eſt de Ecſtaſi comprimis infami, vel raptu abominabili, qui euenit animæ tunc quando per voluptatum illecebras, & nefanda hoſtis humani generis iniecta illicia, gaudiaq; brutis propria, extra propriam dignitatem ſpiritualem, & infra conditionem ſuam naturalem collocatur. In quantum enim voluntariè ſequitur infelicem voluptatẽ, & præcipitat ſe extra ſe ipſam, id eſt extra ſtatum Spiritualem, dicitur eſſe in Ecſtaſi ſenſuali; ſed in quantum turpia illicia & beſtiarum eſca potenter eam trahunt, & ſecum abſtrahunt in humilem & vilem iſtam conditionem, dicitur rapta & abrepta à ſemetipſa: quia nimirum brutæ voluptates eouſque eam abducunt, vt omnem rationis & intelligentiæ vſum eiuret; & hoc tam furioſa cum violentia, vt, quemadmodum dicit aliquis magnorum philoſophorum, hominem exiſtentem in hoc ſtatu, & accidentali conditione, videri prolapſum in epilepſiam: ita intellectus remanet abſorptus & obrutus. O homines vſquequo eritis ita inſenſati, vt abijcere velitis dignitatem veſtram naturalem, deſcendentes voluntariè, & præcipitantes vos in conditionem brutorum animantium?

Ecſtaſes triplices.

At, chare Theotime, quantum ſpectat ad Ecſtaſes ſacras, ex triplici ſunt in genere: Vna eſt intellectûs, altera

AFFECTIONIS, & tertia ACTIONIS. Vna eſt in ſplendore, altera in feruore, & tertia in operatione. Vna fit per inſpirationem, altera per deuotionem, & tertia per actionem. Admirationis fit in nobis per inuentionem & indagationem nouæ alicuius veritatis, quam ante non cognoſcebamus, ſed ne cogitabamus quidem cognoſcere. Et ſi noua illa veritas, in quam incurrimus, eſt coniuncta pulchritudini & bonitati, admiratio, quæ ex eis prouenit, magnopere eſt delicioſa: ita Regina Sabæ deprehendens in Salamone plus ſapientiæ, quàm cogitârat, *amplius non habebat ſpiritum*. Et Iudæi, videntes in Saluatore ſcientiam, quam ei ineſſe nunquam crediderant, rapti ſunt magnâ admiratione. Quando igitur placet bonitati diuinæ noſtro intellectui elargiri aliquam ſpecialem claritatem, quâ, vt medio incipit contemplari myſteria diuina ex contemplatione minimè ordinaria, ſed longè ſublimiore, tunc deprehendens maiorem pulchritudinem in illis, quàm ſibi imaginari potuerat latiſſimum admirationis ingreditur campum.

Porrò, admiratio rerum gratarum afficit & agglutinat ita arctè animum rei, quam admiratur, & hoc tàm ratione excellentiæ pulchritudinis, quæ ei detegitur, quàm etiam ratione nouitatis iſtius excellentiæ, vt intellectus non poſſit ſe ſatiare videndo id, quod adhuc nunquam vidit, & tam gratum eſt viſu. Sed & nonnunquam vltra hoc DEVS animæ communicat lumen, non tantum clarum, ſed creſcens, *velut aurora, vſq; ad perfectum diem*, & tunc, quemadmodum ij, qui fodiendo venam auri, ſeu arrugiam & fodinam repererunt, ſemper fodiunt vlterius & profundius, vt plus reperiant deſiderati iſtius metalli: ita intellectus magis & magis ſe immergit in conſiderationem, & admirationem diuini ſui obiecti. Nam ſicut admiratio peperit philoſophiam, & accuratam inueſtigationem rerum naturalium; ita eadem illa etiam cauſa fuit contemplationis & Theologiæ myſticæ: & in quantum iſta admiratio, quando eſt fortis nos tenet extra, & intra nos ipſos per viuam attentionem & applicationem noſtri intellectus ad res cæleſtes nos conſequenter extollit in Ecſtaſin.

De Secunda

Digitized by Google

De Secunda ſpecie Raptus.

Capvt V.

DEVS ſupremâ ſuâ pulchritudine & incomprehenſibili bonitate ad ſe trahit animos; duæ quidem excellentiæ ſunt, ſed non niſi vna ſuprema diuinitas, vnicè pulchra, & ſimul vnicè bona. Quicquid ſit, propter compoſitum ex bono & pulchro, (quod Græcè dicunt καλοκάγατον) fit; & illud omnes res reſpiciunt ab eóq; mouentur & continentur: & ob amorem illius, bonum & pulchrum eſt deſiderabile, amabile, & maximo apud omnes in pretio; propter illud omnia agunt, omnia volunt, omnia operantur & cupiunt. Et quantum ad pvlchrvm, quia attrahit & reuocat ad ſe res omnes, Græci nuncupant illud nomine quod tractum eſt ex verbo, quod Græcè ſignificat vocare, καλεῖν. Eodem modo quod ad bonum attinet, vera eius imago eſt lumen, & eam maximè ob cauſam, quòd lumen diſperſa colligat, reducat, & conuertat ad ſe quicquid reperit. Vnde ſol apud Græcos nominatus eſt ex verbo, quo efficitur, vt res omnes ſint collectæ & coniunctæ, & quæ diſperſæ ſunt recolligantur: ſicut bonitas ad ſe conuertit res omnes, cum ea ſit non ſolùm ſuprema vnitas, ſed etiam ſummè vniens: in quantum ſcilicet res omnes eam, vt ſuum principium ſuam conſeruationem, & finem vltimum deſiderant; atque ita, vt paucis multa dicam, bonvm & pvlchrvm non ſunt niſi vna res: quia omnia pulchrum & bonum appetunt.

Diſcurſus hic, Theotime, ferè totus conſtat verbis ſancti Dionyſij Areopagitæ. Et, verum eſt ſolem, luminis corporalis originem, eſſe genuinam boni & pvlchri imaginem. Nam inter creaturas purè corporales non eſt vlla bonitas, neque pulchritudo æqualis bonitati & pulchritudini ſolis. Porrò pulchritudo & bonitas ſolis conſiſtit in lumine, ſine quo nihil eſſet pulchrum, neque bonum in hoc mundo corporali. Ille illuſtrat omnia vt pulcher, calefacit & viuificat omnia, vt bonus, in quantum eſt pulcher & clarus omnes totius mundi oculos attrahit, in quantum bonus, & in quantum calefacit, attrahit ad ſe omnes appeti-

tus,

tus, & omnes inclinationes totius mundi corporalis: nam trahit & attrahit exhalationes & vapores; quin & egredi facit plantas & animalia ex ſua cauſâ & origine. Quid multis? nulla omnino fit generatio, ad quam calor vitalis magni iſtius luminaris non concurrat & aliquid contribuat. Ita Deus pater omnis luminis, maximè bonus & pulcher, per ſuam pulchritudinem attrahit noſtrum intellectum ad contemplandum; perque ſuam bonitatem noſtram voluntatem ad amandum. Vt pulcher autem cumulando noſtrum intellectum delicijs, expandit & reſpergit ſuum amorem in noſtra voluntate, vt bonus, replens noſtram voluntatem ſuo amore, excitat noſtrum intellectum ad ſe contemplandum, ſed & amor nos prouocat ad contemplationem, & contemplatio rurſus ad amorem. Ex quo ſequitur ecſtaſin & raptum omni modo ab amore dependere: amor enim eſt, qui ducit intellectum ad contemplationem, & voluntatem ad vnionem: ita vt tandem concludendum ſit cum magno S. Dionyſio, amorem diuinum eſſe ecſtaticum, non permittentem amantes eſſe ſui ipſorum, ſed rei amatæ. Hinc admirabilis Apoſtolus Paulus exiſtens in poſſeſſione diuini amoris, & effectus particeps eius ecſtaticæ virtutis, ore diuinitus inſpirato dicit: *Viuo ego, non iam ego, ſed viuit in me Chriſtus.* Ita vt verus amator egrediens ex ſe in Deum, viuat non amplius propriâ vitâ, ſed vitâ ſui dilecti, vt ſummè amabilis.

Porrò raptus hic amoris fit circa voluntatem hoc modo: Deus per ſuaues ſuos illectus eam tangit, & tunc velut acus tacta per magnetem, vertit & mouet ſe verſus polum, oblita inſenſibilis ſuæ conditionis: ita voluntas capta amore cæleſti, vibrat ſe & transfert in Deum, derelinquens omnes ſuas inclinationes & propenſiones terrenas, intrans hoc modo in raptum non cognitionis, ſed fruitionis, non admirationis, ſed affectionis, non ſcientiæ, ſed experientiæ, non viſûs, ſed guſtûs, & ſaporis. Verum eſt, vt alibi iam dixi, intellectum ſubinde intrare in admirationem, dum videt ſacram delectationem, quam in ſua ecſtaſi habet voluntas, ſicut & verum eſt voluntatem recipere ſæpe delectationem, dum conſpicit intellectum in admiratione. Ita vt duæ hæ facultates communicent inter ſe ſuos raptus, dum intuitus pulchritudinis inducit nos ad amorē eiuſdem pulchritudinis, & amor facit nos illam contemplari. Rarum eſt, vt quis calefactus radijs ſolis, non etiā ijſdem illu-

Ss ſtretur,

ſtretur,& illuſtratus non incaleſcat. Amor facilè inducit in admirationem,& admiratio viciſsim ad amorem.

Tamen duæ hæ ecſtaſes intellectûs & voluntatis, non ita ſunt inter ſe colligatæ, quin vna poſſit eſſe ſine altera: quia, vt philoſophi habuerunt plus cognitionis, quàm amoris de creatore; ita boni Chriſtiani perſæpe plus habuerunt amoris, quàm cognitionis. Et quod hinc infertur, exceſſum cognitionis non ſemper ſequitur exceſſus amoris, ſicut nec exceſſum amoris ſemper comitatur exceſſus cognitionis, vti alibi notaui.

Porrò ecſtaſis admirationis ſola exiſtens, nos non facit meliores, loquendo conformiter ei,qui in ecſtaſi raptus fuerat vſq; ad tertium Cælũ: 1. Cor 13. v. 2. *ſi nouero*, inquit ille, *omnia myſteria, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem ſidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ac ideò malignus ſpiritus poteſt intellectum trahere in ecſtaſin, ei repræſentans cognitiones rerum admirabilium: quæ eum ſupra vires naturales ſuſpenſum tenent. Et per tales cognitiones & notitias poteſt etiam attribuere voluntati aliquod genus vani, mollis, teneri & imperfecti amoris, per modum complacentiæ, gaudij & conſolationis. Sed vt diabolus veram voluntatis faciat ecſtaſin, per quam anima ſe vnicè & potenter jungat bonitati diuinæ, non eſt eius virium, ſed id ſpectat ad ſpiritum ſupremum, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris.

De notis boni raptûs, & de tertia ſpecie illius.

Capvt VI.

Re ipſa, Theotime, hoc noſtro ſæculo complures homines viſi ſunt, qui ipſimet, & cum illis alij ſe perſæpe in vehementi ecſtaſi permanſiſſe credebant: & tandẽ compertum eſt huiuſmodi ecſtaſes fuiſſe illuſiones & deceptiones diaboli. Quidam Presbyter tempore S. Auguſtini, quoties volebat, rapiebatur in ecſtaſin, cantabat ille, vel cantari faciebat quoſdam accentus lugubres, & ad commi-

commiſerationem mouentes, & hoc tantummodo ad ſatisfaciendum curioſitati eorum, qui ſpectaculum hoc videre deſiderabant, ſed illud admirandum eſt, quod eouſque eius ecſtaſis procederet, vt ne ignis quidem applicationem ſentiret, niſi poſtquam ad ſe rediiſſet: & nihilominus ſi quis paulò fortiori & clariori voce loquebatur, velut à longè venientem vocem audiebat. Adde, quòd, durante ecſtaſi, nulla in eo deprehenderetur reſpiratio. Philoſophi ipſi certas quaſdam ſpecies ecſtaſum naturalium, factas per vehementem applicationem animi ad res ſublimiores cognouerunt. vnde vſque adeò mirandum videri non debet, ſi malignus Spiritus ſimiam agendo, ad decipiendas animas, ad inducendos homines debiliores, ad transformandum ſe in Angelum lucis operetur raptus in iis, qui minus bene ac ſolidè inſtituti ſunt in vera pietate chriſtiana.

Vt igitur diſcerni poſsint ecſtaſes diuinæ ab humanis & Diabolicis, ſerui Dei hoc in genere complura documenta nobis reliquerunt. Verùm, quod ad me attinet, ſat ad meum propoſitum erit, tibi duas notas bonæ & ſanctæ ecſtaſis propoſuiſſe. I. eſt, ecſtaſim ſacram, nunquam ita ſe applicare & adiungere intellectui, ſicut voluntati; quæ illam mouet, calefacit & replet potenti affectione aduerſus Deum, ita vt, ſi ecſtaſis ſit pulchrior, quàm melior, luminoſior, quàm minus conferens caloris, magis ſpeculatiua, quàm affectiua, admodum eſt dubia, & ſuſpicioni obnoxia. Non dico non poſſe haberi raptus, & etiam viſiones propheticas ſine charitate, probè enim mihi conſtat, quòd ſicut haberi poteſt charitas, & non rapi in ecſtaſim, neque agi ſpiritu prophetico, ita poteſt quis rapi in ecſtaſim, & prophetiæ Spiritu agi abſque charitate; ſed dico eum qui ſuo in raptu plus habet in intellectu charitatis ad Deum admirandum, quàm ſancti caloris in voluntate ad amandum, diligentem ſui cuſtodiam gerere debere. Nam verendum eſt ne aliquid ſubſit periculi, ne ecſtaſis iſta falſa ſit, néue eam hominem habentem inflet potiùs, quàm ædificet; ponens equidem eum cum Saule, Balaam, & Caipha inter prophetas, ſed interim eum relinquens in numero reproborum.

II. Nota verarum ecſtaſum conſiſtit in tertia ſpecie ecſtaſis, quam ſupra notaui: ecſtaſis hæc eſt tota Sancta, tota amabilis, quæ & alias duas coronat: & eſt ecſtaſis operis ac vitæ. Integra obſeruatio

mandatorum Dei non continetur intra ſeptum & ſphæram actiuitatis virium humanarum, continetur autem in confinijs inſtinctûs humanæ mentis, vt maxime conformis rationi & lumini naturali: ita vt viuentes iuxta Dei præcepta, non ideo ſimus extra noſtram inclinationem naturalem; ſed meminiſſe oportet, præter mandata diuina eſſe inſpirationes cæleſtes, pro quarum executione non ſolùm Dei gratiâ attolli nos oportet ſupra noſtras vires, ſed etiam trahi ſupra inſtinctus & propenſiones noſtræ naturæ: quia licet inſpirationes iſtæ non ſint contrariæ rationi humanæ, eam tamen excedunt, ſuperant, & in illam dominatum ſibi vendicant: ita vt tunc non viuamus ſolùm vitâ ciuili, honeſtâ & Chriſtianâ, ſed vitâ vnâ, ſi ita lubet loqui, ſuper humanâ, ſpirituali, deuotâ & ecſtatica, id eſt vitâ vnâ, quæ omni modo eſt extra & ſupra noſtram conditionem naturalem.

Non furari, non mentiri, non turpitudine luxuriæ ſe inquinare, Deum orare, non in vanum iurare, Patrem amare & honorare, non occidere &c. eſt ſecundum rationem naturalem, & ſecundum hominem viuere; ſed omnia noſtra bona relinquere, paupertatem amare, eamque nuncupare & habere loco matris ac Dominæ honoratæ ac deliciosæ: habere opprobria, deſpectus, humiliationes, perſecutiones, Martyria prò felicitate & beatitudine, ſe intra terminos abſolutæ caſtitatis continere, & tandē in medio mundi huius viuere cōtra omnes opiniones, & mundanorum hominum axiomata, contraq; curſum fluuij huius vitæ natare; per continuas reſignationes, renunciationes & abnegationes noſtri ipſorum infracto pectore pertranſire non eſt humano, ſed vt ita dicam, ſuper humano modo viuere: non eſt viuere in nobis, ſed extra & ſupra nos. Et quia nemo poteſt hoc modo exire extra ſe & ſupra ſe ipſum generoſè ſcandere, niſi eum pater æternus trahat; ideò hoc vitæ genus debet eſſe continuus raptus & ecſtaſis perpetuæ actionis & operationis.

Mortui eſtis, dicebat Apoſtolus, *& vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Mors efficit, vt anima non viuat amplius in ſuo corpore, nec intra corporis ſepta: quid ſibi ergo vult, Theotime, verbum Apoſtoli, MORTVI ESTIS? eſt ac ſi dixiſſet vos amplius non viuitis in vobiſmet ipſis, neque intra ſphæram propriæ veſtræ conditionis naturalis; anima veſtra non amplius viuit ſecundum ſe ipſam, ſed ſupra ſe ipſam. Phœnix

in hoc

Digitized by Google

in hoc eſt phœnix, quòd in nihilum redigens propriam vitam, fauore & calore radiorum ſolis adipiſcatur ſuauiorem & vegetiorem, dum abſcondit antiquam ſub cineribus. Bombyces ſeu vermes ſericij mutantur, & ex vermibus fiunt papiliones. Apes naſcuntur vermes, pòſt fiunt *nymphæ ambulantes ſupra ſuos pedes, & tandem euadunt in muſcas volantes.* Nos idem facimus, Theotime, ſi ſimus Spirituales: deſerimus enim vitam humanam ad viuendum aliam eminentiorem, quæ ſit ſupra nos ipſos, abſcondentes interim totam hanc nouam vitam in Deo cum Chriſto, qui ſolus illam videt, illam cognoſcit & elargitur. Noſtra noua vita, eſt amor cæleſtis, qui viuificat, & vitam tribuit animæ noſtræ: & amor hic totus eſt abſconditus in Deo, & in rebus diuinis cum Chriſto. Nam ſiquidem, vt dicit ſacer textus Euangelij, poſtquam Chriſtus paululum ſe videndum exhibuiſſet ſuis diſcipulis, *in cælum eleuatus eſt ab oculis eorum*; Chriſtus ergo eſt abſconditus in cælo in Deo: Chriſtus autem eſt noſter amor, & amor noſter eſt vita animæ noſtræ. Noſtra igitur vita eſt abſcondita in Deo cum Chriſto: & quando Chriſtus, qui eſt amor noſter, & ex conſequenti vita noſtra ſpiritualis, apparebit in die Iudicij, tunc apparebimus & nos cum illo in gloria, id eſt Iesus Chriſtus noſter amor, nos glorificabit, nobis communicans ſuam felicitatem & ſplendorem.

Quomodo amor ſit vita animæ; & continuatio diſcurſûs vitæ ecſtaticæ.

Caput VII.

ANima eſt primus actus & principium omnium motuum vitalium hominis, & vt loquitur Ariſtoteles, *eſt principium, per quod viuimus, ſentimus & intelligimus.* Ex quo ſequitur nos cognoſcere diuerſitatem vitarũ, iuxta diuerſitatem motuum. Hinc eſt quòd animalia illa, quæ non habent motum naturalem, ſint ſine omni vita. Ita, Theotime, amor eſt primus actus & principium vitæ noſtræ deuotæ, vel ſpiritualis, per quod viuimus, ſentimus & mouemur.

Talis autem eſt vita noſtra ſpiritalis, quales ſunt motus noſtri affectiui, vnde cor illud quod non habet motum & affectionem, conſequenter non habet amorem; cum è contrario cor quod habet amoré, non ſit ſine motu affectiuo. Poſtquam igitur amorem noſtrum in Chriſto collocauimus ex conſequenti vitam noſtrã ſpiritualem in illo poſuimus. Cæterùm abſconditus nunc eſt in Deo in cælo, ſicut Deus abſconditus fuit in illo, quamdiu vixit in terris. Ideoq; vita noſtra abſcondita eſt in illo, & quando ille comparebit in gloria, comparebit vita noſtra, & amor noſter cum illo. Ita S. Ignatius, referente S. Dionyſio *dicebat amorem ſuum crucifixum*: quaſi dicere voluiſſet: amor meus naturalis & humanus omnibus cum ſuis paſſionibus, quæ ab eo dependent, affixus eſt cruci: eum vt amorem mortalem, qui viuere faciebat cor meum vitâ mortali, morti tradidi, & ſicut Saluator meus crucifixus fuit, & mortuus ſecundum vitam mortalem, vt reſuſcitaretur ad immortalem, ita ego mortuus ſum cum illo ſupra crucem, ſecundùm eius amorem naturalem, qui erat vita mortalis animæ meæ, *vt reſuſcitarer* ad vitam ſupernaturalé eo amore, quo Beati in cælo, Deum amant immortaliter.

Quando igitur in oculos incurrit quiſpiam, qui in oratione habet raptus, per quos egreditur extra ſe, & aſcendit ſupra ſe ipſum in Deo, & nihilominus non habet in ſua vita ecſtaſes, id eſt, non agit vitam ſublimem, & Deo confixam per abnegationem mũndanarum concupiſcentiarum & mortificationem propriarum voluntatum, & inclinationum naturalium cum ſuauitate quadam interiori, cum ſimplicitate & humilitate cordis, præcipuè autem cum continua charitate, crede mihi, Theotime, eius raptus ſunt admodum ſuſpecti, & periculoſi: ſunt iſti raptus propriè ad inducendos homines in admirationem, non autem ad ſanctitatem. Nam quid boni poteſt animæ illi euenire, ſi per orationem quidem ad Deum rapiatur, quando in ſua conuerſatione & in modis agendi inter homines rapitur & abripitur affectionibus terrenis, humilibus, & naturalibus, quid inquam illi prodeſt, eſſe ſupra ſeipſam in oratione, & ſub ſe ipſa in vita & operatione? Eſſe Angelicam in meditatione, & brutam, beſtijſque ſimilem in conuerſatione? Eſt claudicare in vtramque partem, & iurare in Deo, & in Melchon. In ſumma eſt vera nota, quòd huiuſmodi raptus & ecſtaſes non ſint niſi occupationes mentis humanæ, & deceptiones ſpiritûs maligni. Beati ſunt illi, qui

viuunt

Digitized by Google

viuunt vitâ ſuperhumanâ, ſiue ſupernaturaliter ecſtaticâ, quæ ſit exaltata ſupra illos ipſos, eſto non rapiantur ſupra ſe ipſos in oratione. Complures ſancti glorioſè viuunt in cælo, qui nunquam rapti fuerunt, neque in ecſtaſes, neque raptus contemplationis ſenſerunt; nam quàm multos Martyres, quàm illuſtres Sanctos & Sanctas legimus in hiſtorijs, qui in ſuis orationibus aliud non habuerunt priuilegium, quàm deuotionis & feruoris? At nunquam Sanctus extitit quiſpiam, qui non habuerit ecſtaſes & raptus vitæ & operationis, ſuperans ſe ipſum & ſuas inclinationes naturales.

Ecquis non videt, Theotime, ecſtaſim hanc vitæ & operationis eſſe illam, de qua potiſsimùm loquitur Apoſtolus, quando dicit: *Viuo ego, ſed non amplius egò, ſed viuit in me Christus*, nam ipſemet explicat alijs terminis ſcribens ad Romanos, dum dicit: *Veterem noſtrum hominem crucifixum eſſe vnà cum Chriſto, mortuos nos eſſe peccato cum illo, & quod ab eodem, & cum eodem reſuſcitati ſumus, vt ambulemus in nouitate vitæ, vt amplius non ſeruiamus peccato.* Rom 6 v. 2. & ſeqq. En duo homines repræſentati in quolibet noſtrum, Theotime, & ſimul repræſentatæ duæ vitæ: vna veteris hominis, quæ eſt vita antiqua: quemadmodum dicitur de Aquila, quæ cum ſenuerit repit ſuper terram, trahens ſuas plumas, non valens amplius volare; altera vita eſt noui hominis, quæ etiam eſt noua vita, vti eſt Aquilæ, quæ liberata & exonerata antiquis ſuis plumis, quas excuſsit in mari, aſſumit nouas, & facta iunior, volat in nouitate ſuarum virium.

In prima vita viuimus ſecundum veterem hominem, id eſt, ſecundum vitia, debilitates & infirmitates humanas, quas contraximus per peccatum primi Parentis noſtri Adami, & ideò viuimus in peccato Adami, & vita noſtra eſt vita mortalis, imò ipſamet mors. In ſecunda vita viuimus ſecundum nouum hominem, id eſt, ſecundum gratias, fauores, leges & ſuauia à Chriſto nobis data decreta: & quod hinc ſequitur, viuimus ſaluti noſtræ faciendæ, & fructibus redemptionis, animæ noſtræ decerpendis: & noua vita hæc eſt viuida, vitalis & viuificans. Verùm, quicunque peruenire vult ad nouam hanc vitam, eum tranſire oportet per mortem antiquæ, crucifigentem carnem cum vitijs & concupiſcentijs illius, & ſepelientem ſub aquis ſancti Baptiſmi, aut ſacræ pœnitentiæ. Et hoc ferè adinſtar Naaman, qui ſubmerſit & ſepeliuit in aquis Iordani vitam ſuam veterem, peſſimâ infectam leprâ, vt viueret nouâ vitâ, ſanâ & nitidâ.

Digitized by Google

& nitidâ. Poterat enim optimè dici de homine hoc, quòd amplius non erat vetus Naaman, leproſus, putridus & fœtidus, ſed nouus, purus, valens ac decorus, quia mortuus erat lepræ, & viuebat ſanitati & nitori.

Porrò, quicunq; reſuſcitatus eſt ad nouam hanc vitam Saluatoris, non amplius viuit, neque ſibi, neq; in ſe, neq; pro ſe, ſed ſuo Saluatori, in ſuo Saluatore & pro ſuo Saluatore. *Exiſtimate*, inquit S. Paulus, *vos verè mortuos eſſe peccato, viuentes DEO in Chriſto IESV Domino noſtro.*

Admiranda exhortatio ſancti Pauli ad vitam ecſtaticam & ſupernaturalem.

Caput VIII.

Tandem S. Paulus, ſi quod vnquam alius formauit, format efficax, vrgens, ac meo iudicio plenum admirationis argumentum, vt nos penitus ad ecſtaſin, vitæque ac operationis raptum inducat. Attentas aures præbe, obſecro, Theotime, & pondera vim ac virtutem inflammatorum igne cæleſtis amoris verborum Apoſtoli, qui flagrans nimio quanto ardore rapiebatur, & totus quantus ferebatur in amorem Domini & Saluatoris ſui Chriſti Iesv. Loquens igitur de ſemetipſo, (&
2.Cor.5 14. idem dicendum eſt de vnoquoque noſtrum) *Charitas*, inquit, *Chriſti vrget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Omnino, Theotime, nihil ita cor hominis vrget mouetque ſicuti amor: ſi quis ſcit ſe amari, à quocunque tandem ametur, cogitur reciprocè illum amare. Si homo quiſpiam vulgaris ſit, qui amari ſe ſciat ab aliquo excellenti Domino, quis dubitat, quin magis vrgeatur ad redamandum, quàm ſi ab aliquo ſibi ſimili plebeio amaretur? At verò ſi idem homo ille vulgaris à potenti quopiam Monarcha ametur, quantò maioribus argumentis vrgetur ad eum viciſsim amandum? Et nunc amabò, Theotime, cùm ſciamus, quòd Chriſtus verus, æternus, & omnipotens Devs eo nos proſequatur amore, vt mortem pro nobis ſubeat, & quidem mortem crucis; arctiúſne nos vrgere, ſenſuſque noſtros premere poteſt vel ad violenter ſaltem exprimendum ex nobis aduerſum ſe amorem? qui amor quanto eſt violentior, tanto

etiam

etiam eſt amabilior! Sed quomodo dicimus, iſte amor nos premit vrgetque? *Charitas Chriſti nos vrget* dicit Sanctus eius Apoſtolus: hoc ÆSTIMANTES. Quid eſt hoc æſtimantes? Id eſt dicere, quod charitas Saluatoris nos vrget, & maximè tunc quando æſtimamus, conſideramus, ponderamus, meditamur, & attentè perpendimus hanc propoſitionem & articulum fidei. Sed qualis propoſitio, qualis fidei articulus? Vide, amabò, Theotime, quomodo, quaque grauitate ſenſum ſui animi in noſtros iacit animos, ÆSTIMANTES HOC, inquit, & quid æſtimantes? quod ſi vnus mortuus eſt pro omnibus, omnes igitur mortui ſunt, & Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. Ita verè eſt, ſi vnus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, omnes ergo mortui ſunt in perſona vnici Saluatoris, qui mortuus eſt pro illis. Et eius mors debet illis imputari, ſiquidem tolerata & ſuperata eſt pro illis.

Sed quid ſequitur ex hoc? videor audire os Apoſtolicum, velut quoddam tonitru, inclamans ad aures cordium noſtrorum: *ſequitur ergo ò Chriſtiani id, quod Chriſtus moriens pro nobis deſiderauit à nobis;* at quid eſt, quod deſiderauit à nobis, niſi vt nos conformemus ei, vt dicit idem Apoſtolus, *qui viuunt, non amplius ſibi viuant, ſed ei viuant, qui mortuus eſt, & reſurrexit pro illis?* O Theotime, quàm efficax eſt iſta conſequentia in materia amoris! IESVS CHRISTVS MORTVVS EST PRO NOBIS, nobis dans ſua morte vitam. Non iam alio viuimus titulo, quàm quòd ille mortuus ſit pro nobis. Mortuus eſt pro nobis, nobis, & in nobis. Vita igitur noſtra, non amplius eſt noſtra, ſed eius, qui nobis per ſuam mortem vitam acquiſiuit: non debemus igitur nobis amplius viuere, ſed illi, non in nobis, ſed in illo, & pro illo.

Iuuenis & nobilis quædam puella in Inſula dicta SESTOS, à teneris vnguiculis eâ curâ & ſolicitudine aquilam nutrierat, quâ ſolent pueri & iuuenes ſe impendere huiuſmodi occupationibus. Aquila grandior facta, cepit paulatim volare, & aues, iuxta inſtinctum ſibi à natura inditum venari. Deinde facta robuſtior irruere in feras alias, cauens diligenter ne vnquam intermitteret captam prædam deferre ad pedes Dominæ ſuæ nutricis: & hoc velut in recognitionem accepti beneficij educationis. Contigit autem Iuuenem & nobilem illam puellam die quodam, dum Aquila ſuas prædas ſedula proſequeretur, mori, & eius corpus iuxta patriæ & temporis illius morem ſuper lignile, ſeu ſtruem lignorum,

Digitized by Google

gnorum, collocari ad comburendum: dum autem flammæ ignis incipe-rent demortuæ corpus corripere, Aquila celeri & concitato alarum re-migio reuolans ad notas ædes, vbi videns inopinum & triſte ſpectacu-lum, concitata iuſto dolore, ſolutis vnguibus, & abiectâ prædâ ſe pro-iecit ſuper exangue charæ ſuæ Dominæ corpus, & ſuis illud tegens alis, velut ab igne defenſura, vel eam ex pietate complexura, manſit ibi firma & immobilis, moriens & flammas generosè cum illa excipiens, ardore eius affectionis non cedente, neque locum dante flammis & ardoribus ignis, vt ſe offerret victimam & holocauſtum eximij & prodigioſi ſui amoris, ſicuti eius Domina effecta erat mortis & flammarum.

Ah! Theotime, quem non ſuſcipiendum volatum nos edocet iſta Aquila? Saluator à teneris annis nos enutriuit, imò verò nos for-mauit, excepitque adinſtar amabilis nutricis inter brachia diuinæ ſuæ Pſal.21. prouidentiæ, iam tunc à primo inſtanti noſtræ in vtero conceptionis. *In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ, Deus meus es tu.*

Nos ſibi proprios per Baptiſmum effecit, & inſuper tenerè, dum cor & corpus per incomprehenſibilem amorem enutriuit. Et vt vitam nobis acquireret, mortem ipſe paſſus eſt, quin & propriâ ſuâ carne & pretioſo ſanguine refecit. O quid igitur, chare Theotime, aliud reſtat, quàm vt concludamus, quod ij, qui viuunt, non amplius ſibi ipſis viuere debeant, ſed ei, qui pro illis mortuus eſt, id eſt, vt diuino amori mortis noſtri Saluatoris omnibus vitæ noſtræ momentis nos conſecremus, de-ferentes ad eius gloriam omnes noſtras prædas, omnes victorias, omnia trophæa, opera omnia, omnes actiones, cogitationes, & deniq; noſtras affectiones? Intueamur ergo, Theotime, Diuinum hunc Redemptorem expanſum & affixum ſuper arborem crucis, velut ſuper thronum hono-ris, in quo ille amore noſtri pro nobis moritur, & quidem amore longè magis doloroſo, quàm ſit ipſamet mors. Sed hem! cur non concitati vehementi ſpiritu ſuper illum nos proijcimus, vt cum illo ſuper crucem, qui amore noſtri in ea mori voluit, moriamur? *Tenebo illum,* dicere de-beremus, (ſi Aquilæ generoſitate & gratitudine præditi eſſemus) *& non dimittam illum.* Moriar ego, & flammis eius amoris cum illo abſumar, idē ignis diuinum Creatorem, & abiectam creaturam conſummabit. Iesvs meus totus eſt, & ego illius. Viuam & moriar ſuper pectus illius: me neq; mors, neq; vita vnquam ſeparabit ab illo. Atqui hoc modo fit San-

cta eccſta-

ſta ecſtaſis veri amoris, quando non amplius viuimus ſecundum rationes & propenſiones humanas, ſed ſecundum nobiliores & ſuper illas magno interuallo exaltatas, ſecundum inſpirationes, & inſtinctus Diuini animarum noſtrarum Saluatoris.

De ſupremo effectu amoris affectiui, qui eſt mors amantium, & in primis eorum qui moriuntur in amore.

Caput IX.

AMor eſt fortis vt mors: hæc, id eſt mors, ſeparat animam à corpore morientis, & ab omnibus totius mundi rebus; ille ſcilicet amor ſacer ſeparat animam amantis ab eiuſdem corpore, & ab omnibus quæ in mundo ſunt. Nullum inter illa reperitur diſcrimen, niſi in eo, quod mors re ipſa ſemper ſeparet, amor ordinariè non ſeparet, niſi affectu. Dico autem ordinariè, Theotime, quia nonnunquam amor ſacer ita eſt fortis, ne dicam violentus, vt etiam ipſe inducat ſeparationem corporis ab anima, & quaſi impellat amantes ad egrediendum è vita morte ita beatâ, vt illa beatior ſit, quàm ſexcentæ vitæ.

Quemadmodum reproborum proprium eſt mori in peccato, ita etiam proprium eſt electorum mori in dilectione & gratia Dei. Hâc tamen differentiâ, quòd iuſtus nunquam moritur morte improuiſâ, præclarè enim ſibi prouidit de bona morte, qui in iuſtitia Chriſtiana vſq; ad finem perſeuerauit; nonnunquam tamen ſubitâ vel ſubitaneâ moritur. Ideoque ſapiens Mater Eccleſia, non ſimpliciter facit nos in Litanijs petere, vt liberemur à morte ſubitanea; ſed à ſubitanea & improuiſa: ex eo enim capite, quòd ſit ſubitanea, non eſt peior, niſi inſuper etiã ſit improuiſa. Si homines vulgares & debiles in fide vidiſſent ignem de Cœlo ſuper eximium S. Simeonem Stylitam cadentem atq; occidentem, quid aliud cogitaſſent, quàm cogitationes ſcandali? Attamen non ſunt formandæ aliæ, niſi quòd cùm dictus Sanctus ſe iam perfectè Deo immolaſ-

molaſſet, in corde iam toto amore conſumptus, venerit ignis de Cælo ad perficiendum holocauſtum, illudq́; igne conſummandum. Abbas enim Iulianus, itinere vniꝰ diei ab eo diſtans, vidit eius animam in cælum aſcendentem, eodemq́; momento curauit accendi thura ad agendas Deo gratias. Beatus comprimis Homobonus Cremonenſis, die quodam cùm intereſſet miſſæ Sacrificio magna cum deuotione, flexis humi genibus non ſurrexit ad Euangelium, iuxta morem, ideoq́; qui circa illum erant, eum reſpicientes aduerterunt obijſſe. Fuerunt noſtra ætate homines tum virtute, tum doctrinâ illuſtres, quorum aliqui in confeſſionalibus, vt vocant, dum darent operam confitentibus, aliqui, dum prædicationem audirent, mortui ſunt; quin & aliqui è cathedra, in qua magno Spiritûs feruore Dei verbum prædicârant, dum egrederentur, mortui ceciderunt. Mortui quidem omnes ſunt ſubitaneâ morte, ſed non improuiſâ. At quàm multi boni viri, ſicut & probæ mulieres moriuntur apoplexiâ, lethargo, milleq́; modis alijs ſubitò expirant; ſed & alij moriũtur in delirio & phreneſi, vſu rationis priuati. Et iſti omnes cũ Baptizatis infantibus è mundo hoc decedunt in gratia, & conſequenter in amore Dei. Verùm, quî ad mundum alterum decedere poſſunt in Dei amore, ſiquidem in morte nil cogitârunt de Deo?

Sapientes, Theotime, non amittunt dormiendo ſuam ſcientiam, alioquin eſſent ignari dum euigilant, & eos iteratò oporteret Gymnaſia & ſcholas frequentare. Idem autem eſt de omnibus habitibus prudentiæ, temperantiæ, fidei, ſpei & charitatis, quæ virtutes ſemper manent in animis iuſtorum, quamuis non ſemper operentur. In homine dormiente videntur omnes habitus vnà cum illo dormire, & cum eodem etiam è ſomno euigilare. Sic igitur homo iuſtus moriens ſubitò, vel obrutus domo quapiam cadente, vel occiſus fulgure, vel catarrho ſuffocatus, vel certè priuatus ſenſibus per violentiam alicuius febris calidæ, non moritur equidem in exercitio amoris diuini, ſed tamen in habitu
Sap. 4. illius: Vnde ait Sapiens: *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*
v. 7. Quoniam ad conſequendam vitam æternam ſat eſt mori in ſtatu & habitu amoris, & charitatis.

Nihilominus complures Sancti mortui ſunt, non ſolùm in charitate & habitu amoris cæleſtis, ſed etiam in actione & praxi amoris. S. Auguſtinus mortuus eſt in exercitio ſanctæ contritionis, quæ non eſt ſine amo-

Digitized by Google

ne amore: Sanctus Hieronymus charos ſuos Spirituales filios ad amo-
rem Dei, proximi, & ad omnem virtutem exhortans: Sanctus Am-
broſius velut raptus, dum ſuauiter loqueretur cum ſuo Saluatore, rece-
pto diuiniſſimo altaris Sacramento: Sanctus Antonius de Padua ſimul-
atq; ſacrum hymnum recitârat Virgini Matri, & magno cum gaudio ſpi-
ritualem ſermonem cum Chriſto miſcuerat: Sanctus Thomas de Aqui-
no iunctis manibus, & eleuatis in cælum oculis, exaltans fortiter vocem
ſuam, & pronuncians per modum aſpirationum magno cum feruore
verba Cantici, quæ erant vltima, quæ explicarat: *Veni dilecte mi, egrediamur* Cant. 7
in agrum, commoremur in villis. Omnes Apoſtoli, & fere omnes martyres v. 11.
mortui ſunt Deum orantes. Beatus & Venerabilis Beda, cùm reuela-
tione didiciſſet horam ſui ex hoc mundo tranſitûs, perrexit ad Veſperas
(& hoc erat die ſacro Aſcenſionis Saluatoris) & ſtans, leuiter innixus
podiolo ſuæ ſedis, abſq; vlla infirmitate vitam ſuam finijt eodem momen-
to, quo cantando Veſperas finierat, quaſi illa dies & hora ei fuiſſet deſti-
nata ad ſequendum Dominum ſuum aſcendentem ad Cælos, vt pulchro
æternitatis mane frueretur, ibi enim nullus eſt veſper. Ioannes Gerſon
Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſis, vir adeò doctus & pius, ſicut refert
Sixtus Senenſis, vt nec diſcerni, nec dijudicari potuerit, an eius doctrina
pietatem, an pietas doctrinam ſuperârit, cum explicaſſet quinquaginta
proprietates amoris diuini, notatas in Canticis Canticorum, tertio
pòſt die, lætus corde facieq; hilari ac viuidâ exſpirauit, pronuncians &
repetens pluribus vicibus, per modum orationis iaculatoriæ, ſancta
hæc verba deſumpta ex eiſdem canticis: *O Deus, fortis eſt vt mors dilectio tua!* Cap. 8.
Sanctus Martinus, vt notum omnibus eſt, ita ſibi præſens & attentus, in v. 6.
exercitio deuotionis mortuus eſt, vt ad id, nihil addi poſſit. Sanctus
Ludouicus, magnus ille Rex inter Sanctos, & magnus Sanctus inter Re-
ges, correptus dirâ peſtilitate, non intermiſit orare, deinde recepto di-
uino viatico, extenſis in crucis modum brachijs, fixiſq; in Cælum ocu-
lis animam Deo reddidit, ardenter ſuſpirans verba hæc perfectæ & amo-
roſæ in Deum confidentiæ: *Introibo in domum tuam Domine, & adorabo ad tem-* Pſal. 37
plum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Sanctus Petrus Cæleſtinus tantis v. 2.
tamq; crudelibus afflictionib⁹ maceratus, vt eæ nõ facile poſsint efferri,
cùm ad vitæ finem deueniſſet, velut ſacer quiſpiam cygnus, vltimum
pſalmum cantare cœpit, atq; ita abſoluit ſuum cantum, & vitam in his

 ama-

Digitized by Google

amabilibus verbis: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Admirandus S. Euſebius cognomine Externus vel extraneus, flexis humi genibus, & in feruenti oratione conſtitutus animam Deo reddidit. Sanctus Petrus martyr ſcribens digito & proprio ſanguine confeſſionem fidei, ob quam ille moriebatur, hæc verba moriens extulit: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Et Sanctus Xauerius, magnus Iaponum Apoſtolus, tenens & deoſculans imaginem crucifixi, & frequenter repetens aſpirationem mentis: O Iesv, Deus cordis mei, ad cœtum Beatorum euolauit!

De iis, qui mortui ſunt per & propter amorem Diuinum.

Capvt X.

OMnes Martyres, Theotime, propter amorem Diuinum mortui ſunt. Quando enim dicuntur plures mortui pro fide, non eſt intelligendum, eos mortuos eſſe pro fide mortua, ſed pro fide viua, id eſt formata charitate. Confeſſio etiam fidei, non tam eſt actus intellectûs & fidei, quàm voluntatis & amoris Dei. Ac propterea princeps Apoſtolorum S. Petrus ſeruans fidem in anima ſua paſſionis tempore, iacturam fecit charitatis, renuens ore confiteri Chriſtum ſuum eſſe magiſtrum, quem tamen talem agnoſcebat. Verumtamen non deſunt Martyres, qui expreſsè pro ſola charitate mortui ſunt, vti eſt Joan. Baptiſta præcurſor Chriſti, qui ob correctionem fraternam, Martyrio fuit affectus; ſicut & duo glorioſi principes Apoſtolorum, S. Petrus & S Paulus (præcipuè autem S. Paulus) mortem & martyrium ſubierunt, eò quòd ad ſanctitatem & caſtitatem conuertiſſent fœminas, quas infamis Nero ſeduxerat. Sancti Epiſcopi Stanislaus in Polonia & Thomas Cantuarienſis in Anglia, occiſi ſunt ob rem & argumentum, quod non reſpiciebat fidem, ſed charitatem Et tandem plurimæ Sanctarum Virginum & Martyrum ſublatæ è medio ſunt propter zelum & amorem caſtitatis conſeruandæ, ad quam Cæleſti ſponſo dedicandam & ſeruandam charitas eas induxerat.

Verùm

Digitized by Google

Verùm inter ſacros Amantes reperiuntur nonnulli, qui ita ſe totos tradunt igni diuini Amoris, vt ab illo eorum vita deuoretur ac conſumatur. Tædium nonnunquam adeò diu remoratur afflictos, vt neque bibant, neque comedant, neque etiam dormiant: quo fit, vt tandem effecti debiles & languidi moriantur. Et quando hoc contingit, homines vulgares dictitant eos mortuos eſſe tædio; ſed bonâ eorum pace dixerim, errant à veritatis ſcopo: nam moriuntur exinanitione, & ex defectu virium: non quidem nego defectum illum eueniſſe causâ tædij & afflictionis, ſed fatendum eſt, quod etſi mortui non ſint ex tædio & afflictione, mortui tamen ſunt propter & per tædium. Ita, mi Theotime, quando ardor S. amoris eſt magnus, toties inuadit cor, toties illud vulnerat, tot ei creat languores, ordinarieque illud diſſoluit, deducit item ad ecſtaſes & raptus ita frequentes, vt hoc modo anima fere tota occupata in Deo, nequeat ſufficienter aſsiſtere, neceſſariaque ſuppeditare naturæ, quo fit, vt illa non valeat facere digeſtionem & nutritionem conuenientem. Vnde, viribus animalibus, & ſpiritibus vitalibus paulatim deficientibus, appropinquat mors, & recedit vita. O Theotime, quàm felix eſt iſta mors! quàm dulcis & amoroſa eſt illa ſagitta, quæ inferens plagam incurabilem ſacræ dilectioni, nos in perpetuum languentes & infirmos efficit, dum continuè premit cor, & ita, velut malleis, contundit, vt tandem mori cogatur. Quot putas ab huiuſmodi ſacris languoribus, & propter charitatem toleratis laboribus abbreuiari dies diuinis amatoribus? Videmus hoc in ſancta Catharina Senenſi, S. Franciſco, Beato Stanislao Koſtka, S. Carolo, & innumeris alijs, qui admodum iuuenes moriuntur. Certè quantum attinet ad S. Franciſcum, à tempore, quo ſancta Magiſtri ſui accepit ſtigmata, tot tamque vehementibus & acutis doloribus, torminibus, conuulſionibus & infirmitatibus affectus eſt, nihil vt in eo præter pellem & oſſa videretur, imò potius quæpiam anatomia vel imago mortis videbatur, quàm homo viuens & ſpirans.

Nonnull.

Nonnullos inter Diuinos amatores etiamnum mori ex amore.

Caput XI.

OMnes igitur electi, Theotime, moriuntur in habitu ſacri amoris, ſed præter hoc, aliqui moriuntur in exercitio ſancti iſtius amoris; aliqui propter eundem amorem, alij autem per eundem amorem. Sed quod ſpectat ad ſupremum amoris gradum, eſt quod nonnulli moriuntur ex amore. Et tunc hoc fit, quando amor non ſolùm ita vulnerat animam, vt eam totam quantam reddat languidam, ſed quando eam omnino transfigit, vibrans iaculum ſuum rectà in cordis medium: & hoc quidem ita fortiter, vt è corpore eam extrudat. Quod fit hoc modo: anima potenter attracta per diuinas ſui dilecti ſuauitates, vt benîgnè reſpondeat duobus iſtis illicijs, tota fortitudine ſe vibrat, & quantum fieri poteſt, ſe admouet ad deſiderabilem & amicum ſe allicientem: et cùm nequeat corpus ſuum poſt ſe & ſecum trahere, potius, quàm vt commoretur cum illo inter miſerias & calamitates huius vitæ; illud deſerit, ab eoq; ſe ſeparat, ſola volans, vt eximia quædam columba in delicioſum cæleſtis ſponſi ſinum. Aſpirat, vibratque ſe in ſuum dilectum, & dilectus vt ſuam ad ſe trahit, & rapit volentem. Et quemadmodum Sponſus terrenus, relicto Patre & Matre, adhæret chariſſimæ ſuæ ſponſæ, ita caſta hæc ſponſa, relinquit carnem, vt ſe vniat ſuo Dilecto. Porrò, hic eſt violentiſſimus effectus, quem amor producit in anima, quiq; antecedenter exigit magnam nuditatem & expoliationem omnium affectionũ, quæ poſſent tenere cor affixum vel in mundo, vel in ipſo corpore: Sic, vt quemadmodum ignis, cùm paulatim ex maſſa eſſentiã ſeparârit, & omnino expurgârit, facit tandẽ exire eam eſſentiam, quam quintam vocant; ita ſanctus amor, vbi retraxerit cor humanum ab omnibus propenſionibus. inclinationibus & paſſionibus quantum in eo eſt, tandem facit egredi animam, vt per pretioſam iſtam mortem in oculis diuinis, tranſeat ad gloriam immortalem. Eximius S. Franciſcus, qui in hoc amoris cæleſtis puncto mihi ſemper verſatur ante oculos, non poterat euadere, quin moreretur per amorem, ob multitu-

Digitized by Google

multitudinem & magnitudinem languorum, ecſtaſum & deliquiorum animi, quæ dilectio eius aduerſus DEVM ei ſubminiſtrabat; ſed præter hoc, DEVS, qui eum expoſuerat oculis totius mundi, vt miraculum quoddam amoris, voluit vt non ſolùm propter amorem deſereret vitam, ſed etiam ex amore. Vide enim, obſecro, Theotime, eius obitum: videns ſe in procinctu ſui ex hoc mundo diſceſsus, ſe ſuper terram nudum collocari curauit, pòſt indutus veſte, DEI amore emendicatâ, quatuor res adhuc antequam DEO animam redderet, præſtitit: I. filios ſuos ſpirituales, qui præſentes aderant, hortatus eſt ad DEI, & Eccleſiæ tum amorem, tum timorem. II. Curauit ſibi Saluatoris paſsionem legi. III. Incepit maximo animi ardore pronunciare pſalmum 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea Dominum deprecatus ſum.* IV. Et vltimò, vbi hæc verba eiuſdem Pſalmi (*educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti, donec retribuas mihi*) dixiſſet, anno ætatis ſuæ 45. ſanctè exſpirauit. Quis obſecro, non videt, Theotime, hominem hunc Seraphicum, qui toties, tantoque deſiderio expetierat mori Martyrio, & propter amorem oppetere mortem, tandem mortuum ex amore, ſicut alibi explicaui?

Sancta MARIA Magdalena, cùm ſpacio 30. Annorum commorata fuiſſet in ſpecu ſeu crypta, quæ etiam hodie in vno quodã Galliæ diſtrictu, dicto Prouincia, videtur, & quotidie ſepties in aëre per Angelos, quaſi cum illis in eorum choro cantatura horas canonicas rapta, & eleuata fuiſſet, tandem die quadam Dominica venit ad templum, in quo chariſſimus illi Epiſcopus S. Maximinus eam in profunda contemplatione inueniens, oculis lacrymantibus, & brachijs eleuatis, ſacrâ Synaxi refecit, & ſtatim, vix morâ aliquâ interpoſitâ, Creatori ſuo animam reddidit, quæ iteratò ſe contulit ad pedes ſui Saluatoris in perpetuum ibi manſura, fruituraque parte meliore, quàm iam olim in hoc mundo exiſtens, elegerat.

Sanctus Baſilius arctiſſimam amicitiam cum inſigni quodam Doctore Medicinæ, natione & Religione Judæo contraxerat, intentione ad fidem Chriſtianam eum adducendi, quod tamen nunquam in effectũ deducere potuit, niſi poſtquam ipſe Sanctus jeiunijs, vigilijs & laboribus penitus exhauſtus, ad vltimam vitæ periodum perueniſſet, tunc enim quæſiuit ex medico quænam illius eſſet de ſua ſanitate opinio; nec

Vu quaſi

quæſiuit tantùm, ſed eum adiurauit, vt liberè ſibi diceret; quod fecit medicus: explorato enim eius pulſu dixit, nullum ſupereſſe amplius remedium, imò futurum vt antequam ſol occidat, occidat & infirmus; at inquit Baſilius, ſi vſque in craſtinum viuerem, quid diceres? Reſpondit Medicus, ſi id eueniat, ſacris Chriſtianorum, vt nunc ſanctè tibi promitto, initiabor, fiamque verè Chriſtianus. Tunc ſanctus ad Deum corde & corpore conuerſus, eum ſupplex orauit: & vitæ corporalis prolongationem in fauorem ſpiritualis ſui medici impetrauit: hic medicus animaduerſo hoc tam euidenti miraculo, ad veram fidem ſe conuertit. Quare ſanctus Baſilius magno fortique animo ſe proripiens è lecto, ad Eccleſiam contulit, eumque cum tota eius familia ſacris Baptiſmi aquis abluit. Deinde cùm reuerſus eſſet ad ſuum conclaue, & in ſuo ſe grabato repoſuiſſet, & ſat longo temporis interuallo orationibus Deo fundendis ſe occupaſſet, eos, qui aderant, ad Deo toto corde ſeruiendum ſanctè exhortatus fuiſſet, & videns Angelos ad ſe venientes, maxima cum ſuauitate verba hæc pronunciaſſet: *in manus tuas Domine, commendo ſpiritum,* animam Deo Creatori ſuo ſuauiſſimè reddidit. Afflictus medicus ob iacturam tanti patris, effectus iam Chriſtianus, videns eum ita ſuauiter vitam cum morte commutaſſe, amplexatus eſt, ſuiſque lachrymis velut paruis riuulis perfudit, dixitque: *O magne Baſili, Dei ſerue, verè ſi voluiſſes, non magis hodie mortuus fuiſſes, quàm heri!* Ecquis non videt hanc mortem totam eſſe ex amore? Beata autem Mater Thereſia de Iesu, poſt ſuam mortem reuelauit ſe ex humanis, aſſultu & impetu amoris ita violento ſublatam fuiſſe, vt naturâ non potente eum ſufferre, anima coacta fuerit ad ſuum Dilectum, qui fuit obiectum ſuarum affectionum, euolare.

Hiſtoria

Hiſtoria admirabilis de obitu Nobilis cuiuſdam, qui mortuus fuit ex amore ſuper montem Oliueti.

CAPVT XII.

PRæter ea, quæ retuli, inueni hiſtoriam vnam, quæ, quò eſt admirabilior, eò etiam apud ſacros Amantes eſt fide dignior: ſiquidẽ,vt dicit S. Apoſtolus, *charitas omnia credit*, id eſt non facile exiſtimat mendacia à quoquam referri, niſi falſitatis ſigna, in eo, quòd refertur,manifeſtè appareant. Et hoc præſertim, quando res, quæ referuntur, commendant & exaltant DEI amorem aduerſus homines, vel viciſsim amorem hominum aduerſus DEVM. Charitas ſiquidem, quæ eſt ſuprema virtutum omnium Regina, adinſtar Principum in rebus,quæ ſpectant ad gloriam ſui Imperij & Dominatûs vnicè ſibi complacet. Et quamuis res, quam relaturus ſum, non ſit ita publicata,neque teſtimonijs confirmata, ſicut magnitudo miraculi, quod continet, requirere videtur, non ideò tamen fide caret: nam, vt dicit eximius S. Auguſtinus: vix ſciuntur miracula, ſint quantumuis illuſtria, etiam in loco ipſo vbi patrantur. Et quamuis illi ipſi, qui ea oculis conſpexerint, referant, tamen vt credantur,ſua non carent difficultate: at non propterea non ſunt vera; imò verò in materia Religionis homines bene inſtituti maiori cum ſuauitate credunt res,in quibus plus difficultatis & admirationis deprehenditur,quàm quæ creditu faciles ſunt.

Illuſtris comprimis virtute Chriſtianâ,& equeſtri dignitate celebris vir aliquis, traiecto mari, perrexit in Palæſtinam inuiſurus loca ſacra, in quibus Saluator noſter Redemptionem humanam operatus fuerat. Vt autem digna & ſolida poneret fundamenta iſtius ſancti exercitij, ante omnia, factâ confeſsione peccatorum quàm accuratiſsimè, ſumptâque magna cum pietate ſacroſancta Euchariſtiâ, primò omnium adijt Ciuitatem Nazareth, vbi ab Angelo Virgini ſanctiſſimæ ſacra Incarnatio annunciata eſt,& adorandæ Conceptionis œconomia verbi æterni confecta. Hîc exiſtens,eximius noſter peregrinus cœpit contemplari cæleſtis bonitatis abyſſum, quæ dignata fuerat ſuſcipere carnem humanam ad eripiendum hominem ab æterna damnatione.Inde tranſijt

Digitized by Google

In Bethlehem locum Natiuitatis. Hic quantam lacrymarum copiam profuderit, contemplans eas, quibus filius Dei, tenellus Virginis puſio ſanctum irrorârat ſtabulum, nemo facile dixerit. Nec lacrymas ſolum fudit, ſed innumeris vicibus ſacræ illius ſtabuli terræ fixit oſcula; nec ſatis, puluerem enim in quo prima Chriſti infantia recepta fuerat, ſæpius linxit. His in Bethlehem ita peractis, contendit in Bethabaram, & inde tranſijt vſque ad diſtrictum Bethaniæ; ibi recordatus Chriſtum ſe veſtibus expoliaſſe ad recipiendum Baptiſmum, ipſe etiam ſuis ſe expoliauit, &ingrediens Jordanem, ſe ipſum in eo lauit, exq; dictis fluuij aquis bibit. Videbatur ſibi videre Saluatorem Baptiſmum accipientem de manu ſui Præcurſoris, ſed & Spiritum ſanctum in illum deſcendentem ſicut columbam, inſuper & cælos apertos, vnde (vt illi videbatur) vox de cælo facta eſt: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Ex finibus Bethaniæ tranſijt in deſertum, & ibi oculis ſuæ mentis vidit Saluatorem ieiunantem, certantem & vincentem generis humani inimicum, ac deinde Angelos, admirandos ei cibos ſubminiſtrantes. Inde conſcendit montem Thabor, vbi transfiguratum Saluatorem viſus eſt ſibi iterum videre; deinde petijt montem Sionis, vbi, vt ei videbatur, intuitus eſt Saluatorem adhuc genibus flexum intra cœnaculum, pedes diſcipulorum lauantem, & pôſt vbi redijt ad menſam diſtribuentem diuinum ſuum corpus in ſacra Euchariſtia: Inde pertranſijt torrentem Cedron & intrauit hortum Getſemani: vbi eius cor in lacrymas amabiliſſimi doloris totum quantum diſſolutum eſt, dum ob oculos mentis ſibi poneret ſudorem ſanguineum in illa extrema Agonia, quam Saluator ibi paſſus fuerat: deinde ſtatim vidit ligari, trahi & duci in Ciuitatem Hieruſalem, quo & ipſe etiam pergens, eum ſecutus eſt, vbiq; veſtigijs ſui dilecti inhærens, vidit etiam oculis imaginationis eum huc & illuc trahi, ad Annam, ad Caipham, ad Pilatum, ad Herodem, ac deinde flagellari, irrideri, conſpui, coronari ſpinis, præſentari populo, ad mortem condemnari, cruce inſuper portandâ ad locum ſupplicij onerari, quam dum humeris ſuis baiulat, ei lamentans occurrit Mater tota quanta doloribus macerata: occurrerunt & aliæ nonnullæ Matronæ Hieroſolymitanæ, quæ matri ſe adiunxerant, ſuper eum flentes. Tandem deuotus noſter peregrinus conſcendit montem Caluariæ: vbi in ſpiritu vidit crucem depoſitam, ſuper terram, & Saluatorem omnino nudum extendi ac collocari: cui ingenti-

gentibus clauis pedes & manus crudeliſsimè affigebantur. Conſequenter contemplatus eſt quomodo eleuata ſit crux in altum, ſimulq; Dominus in ea crucifixus; vidit & ſanguinem, qui riuuli inſtar ex omnibus diuini corporis ſuſpenſi partibus in terram profluebat. Intuitus etiam eſt ſacram Virginem, totam quantam doloris gladio transfixam: deinde vertit oculos ad Saluatorem crucifixum, cuius ſeptem verba magno cum dolore & compaſsionis affectu audiuit, tandemq; vidit morientem, pòſt mortuum, ac poſtremò ictum lanceâ, & foramen ſeu aperturam lateris, monſtrantē plagam diuini eius cordis; deinde deponi & auferri, deq; cruce ablatum deferri ad ſepulchrū, quò ſecutus eſt, profundens lacrymarum mare ſuper loca, ſanguine Saluatoris madefacta: intrauit etiam eius ſepulchrum, & cor ſuum apud corpus Domini ſepeliuit. Et reſurgens cum illo contulit ſe in Emaus, vbi contemplatus eſt quicquid inter Dominum & duos diſcipulos peractum eſt; & reuerſus deinde ſuper montem Oliuarum. vbi peractum eſt myſterium Aſcenſionis; vltima etiam veſtigia pedum Saluatoris obſeruauit, & ſuper ea ſe proſternens millies & millies deoſculatus eſt cum ſuſpirijs infiniti amoris. Hic cœpit omnes vires ſuarum affectionum ad ſe reuocare, ad inſtar periti alicuius Sagittarij, retrahentis ad ſe chordam ſui arcûs quando vult ſagittam mittere: deinde eleuans in cælum oculos & manus, O Iesu mi, inquit, mi dulcis Iesu, vbi te vlterius quæram, & ſequar, in terra non inuenio! O Iesu, Iesu mi, amor mi, concede ergo huic cordi meo, vt te ſequatur, & te ad ſuprema tendentem comitetur. Et vnà cum hiſce verbis amore ardentibus animam ſuam inſtar ſacræ cuiuſpiam ſagittæ ad cælum emiſit, inq; album beatiſsimi ſui obiecti vt diuinus Sagittarius eiaculatus eſt. Eius comites & famuli, qui ita ſubitò viderunt egregium hunc ſacrum amatorem cadere in terram, quaſi exanimem, obſtupeſcentes caſum tam inopinatum, celeri curſu vocatum iuerunt medicum: qui cum & ipſe celeriter aduolaſſet, eum inuenit omnino mortuum. Et, vt certius judicium formaret de cauſis tam inopinatæ mortis, inquiſiuit, qualis is fuiſſet complexionis, quos mores habuiſſet, quæ & aliæ defuncti fuiſſent circumſtantiæ: is, edoctus eum fuiſſe naturâ ſuaui, amabili, pietatiq; ad ſtuporē omnium, qui eum nôrant deditum, ardenterq; Deum amaſſe. Quo audito, dixit ipſe medicus, dubio procul eius cor ex exceſſu amoris ruptum eſt. &, vt firmioribus adhuc argumentis

ſuum ſtabiliret iudicium; voluit vt aperiretur, quod cùm factũ eſſet, egregium cor, ſed apertum cum his verbis in eo exculptis, inuentum eſt: Iesu Amor mi. Amor igitur in hoc corde functus eſt mortis officio, ſeparans animam à corpore, nullâ aliâ ad id concurrente cauſâ. Si huius hiſtoriæ auctorem requiris, adi S. Bernardinum Senenſem auctorem comprimis doctum & ſanctum, qui hanc hiſtoriam primo ſuorũ ſermonum de Aſcenſione Domini recenſet.

Alius quoque auctor fere eiuſdem ætatis, qui ex humilitate nomen ſuum reticuit, quod tamen omni iure nominari debuiſſet in libro, quem inſigniuit titulo ſpeculi ſpiritualis, narrat vnam aliam hiſtoriam, hac adhuc admirabiliorem. Dicit enim in diſtrictu Prouinciæ Regionis Galliæ, fuiſſe Dominum quendam magnopere deditum amori Dei, & deuotioni erga ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum; ei die quodam cùm magnis affligeretur corporis doloribus, qui continuò creabant vomitus: allata eſt ſacra Euchariſtia, quam non audens recipere propter periculum eiectionis, rogauit ſuum Curionem, vt minimùm ſuo applicaret pectori & ſignaret ſe crucis ſigno, quod cùm factum eſſet, temporis momento inflammatum pectus ſancto amore ſe medio diffindens intra ſe alimentum cæleſte, cui inerat dilectus, attraxit, eodemque tempore animam emiſit. Aduerto equidem hanc hiſtoriam, multùm eſſe extraordinariam, & quæ proinde mereretur teſtimonium maioris ponderis: verùm poſt veriſſimam hiſtoriam fiſsi cordis S. Claræ de Monte Falconis, quæ etiam hodie à quouis mortali videri poteſt; & quæ eſt de Stigmatibus S. Franciſco impreſsis, quæ veriſsima eſt, nihil creditu difficile inuenio inter effectus diuini amoris.

Beatiſsimam Virginem DEI Matrem mortuam eſſe ex amore in filium.

Capvt XIII.

NOn facile dubitari poteſt quin eximius S Joſeph fuerit mortuus ante paſsionem & mortem Saluatoris: ſi enim adhuc vixiſſet, tempore paſsionis minimè Matrem ſuam illo viuo, Joanni commendaſſet. Quis autem cogitare poterit, quàm fideliter, quàm ſtudioſè, quàm amanter charus hic filius & dilectus Alumnus patri ſuo nutritio

ex hoc

Digitized by Google

ex hoc mundo ad alium abeunti adſtiterit ac ſeruierit? *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Ah! quis nobis enarrabit, quæ & quanta ſuauitatis, charitatis,& miſericordiæ,non ſpecietenus, ſed re ipsâ argumenta & teſtimonia bonus hic Pater Nutritius aduerſus Saluatorem, Alumnum ſuum amantiſſimum exhibuerit & ediderit, maximè autem dum puſio in hoc miſeri mundi domicilium ingredi, inque eo commorari dignatus eſt? Et quis igitur non crederet quod Ioſepho è mundo hoc diſcedenti diuinus filius non reddiderit centuplum, eum cumulans omni ſuauitatum cæleſtium genere? Ciconiæ ſunt vera effigies & forma mutuæ pietatis filiorum aduerſus parentes, & viciſſim parentum aduerſus filios. Sicut commeando (ſunt enim aues migrantes) ex vna Regione in aliam portant parentes ſuos, vbi ſenuerint, ita dum paruæ erant portabantur eâdem occaſione à parentibus. Dùm Saluator eſſet adhuc tenellus infans, magnus Joſeph Pater eius Nutritius, & glorioſiſſima Virgo eius Mater ſæpius eum geſtârunt, in ſpecie autem eundo in Ægyptum ex Iudæa,& viciſsim ex Ægypto in Iudæam. Quis igitur dubitab it, quin Sanctus hic Pater, poſtquam attigit finem commorationis ſuæ in hac vita, fuerit reciprocè, ſuo modo, geſtatus ac portatus ab Alumno ſuo,maximè dũ ex hoc mundo tranſitur' erat in alium, ſeu in ſinũ Abrahæ,vt inde eum transferret in ſuum, id eſt,in gloriam ſuam,in quam die ſuum Aſcenſionis plenè peruenit? Sanctus iſte Ioſeph, qui tantopere in vita ſua Deum Deiq; filium amârat,aliâ morte nequibat mori, quàm amoris. Nam dum charum ſuum Iesum inter diſtractiones huius vitæ, iuxta ſuum votum amare non poſſet, & iam abſoluiſſet obſequia, quæ in illius tenera ætate ab eo requirebantur, quid ſupererat, niſi, vt diceret Patri æterno, ò Pater opus quod dediſti mihi abſolui; & deinde Filio, ò Fili mi, vti Pater tuus cæleſtis corpus tuum, quando in mundum veniſti in manus meas poſuit: ita die hoc mei è mundo diſceſsûs *in tuas commendo ſpiritum meum?*

Talis, vt exiſtimo, fuit mors magni Patriarchæ, hominis electi præ omnibus alijs ad exhibenda omnium tenerrima & maximè amoroſa officia, quæ aliquando fuerunt exhibita, & nunquam ſimilia exhibenda ſunt Dei filio; excipio tamen ea, quæ exhibuit cæleſtis eius ſponſa, vera & naturalis mater eiuſdem filij; quæ ſatis oſtendunt eam mori non potuiſſe aliâ morte, quàm morte amoris, quæ eſt mors omnium nobiliſſima, &

ma, &

Digitized by Google

ma & conſequenter debita nobiliſsimæ vitæ, quæ vnquam fuit inter creaturas rationales; mors inquam, quâ ipſi Angeli mori deſiderarent, ſi mortis eſſent capaces. Si dictum fuit primos Chriſtianos ſolùm vnum cor & vnam animam habuiſſe propter perfectionem mutuæ dilectionis; ſi S. Paulus ſcripſit ſe non amplius viuere; viuere autem in ſe Chriſtum, ratione arctiſsimæ Vnionis cordis ſui cum corde Domini & Magiſtri ſui, per quam Vnionem eius anima, quâ animabatur in ſuo corde, erat velut mortua, vt viueret in corde Saluatoris, quem vnicè diligebat. Deus bone! quantò eſt verius ſacram hanc Virginem, vnà cum filio ſuo vnam tantùm habuiſſe animam, vnum cor, & vnam vitam, ita vt hæc cæleſtis mater, viuens, non viueret illa, ſed filius in illa. Erat enim mater amantior, & magis amata, quàm vnquam vlla fuerit, & amans & amata: & non quocunq; amore, ſed amore incomparabiliter eminentiore, quàm omnium Angelorum & hominum eſſe potuerit, tantò ſcilicet eminentiore amore, quantò nomina vnicæ matris, & vnici filij, ſunt nomina ſuper alia omnia nomina in genere & materia amoris: dico Matrem vnicam vnici filij, quia omnes filij alij hominum participantes carnem & ſanguinem, recolunt ſuam productionem procedere à Patre & matre; ſed in hoc, vt tota eius Natiuitas humana dependebat à ſola matre, quæ ſola & vnica materiam contribuit, quam Spiritus Sanctus in eo genere ad conceptionem huius diuini infantis tribuere non poterat; ita etiam illi ſoli debebatur, & verò etiam attributus eſt omnis amor, qui proueniebat ex productione tali. Ita, vt filius hic, & Mater hæc fuerint vniti vnione tantò excellentiori, quantò illa habet nomen differentius in amore ſuper omnia alia nomina. Quis enim vnquam inter omnes Seraphinos potuit dicere Saluatori: Tu meus verus es filius, et te amo vt verum meum filium; & cui vnquam ex omnibus creaturis per Saluatorem fuit dictum: Tu vera mea es mater, et te amo vt veram meam matrem: Tu es vera mater mea tota, et ego sum verus filius tuus totus. Si igitur ſeruus, qui amat, auſus eſt dicere, & dixit in veritate, non habere ſe aliam vitam, quàm vitam ſui Domini; ô quantò confidentius & ardentius Mater hæc potuit & debuit exclamare? Non habeo ego vitam aliam, quàm vitam filij mei, vita mea tota eſt in vita illius, & viciſsim illius tota eſt in mea: Non enim amplius erat vnio, ſed vnitas animæ & vitæ inter matrem & filium.

Porrò,

Porrò, ſi mater hæc viuebat vitâ filij ſui, quis dubitet etiam mortuam eſſe morte filij ſui? Nam qualis eſt vita, talis eſt mors. Phœnix vt refertur, poſtquam valdè ſenuit, ſupra altùm aliquem montium ligna aromatica in magna quantitate colligit, ſeq; ſuper illa, vt ſuper lectum honoris collocat, & vitam ſuam finit: eo enim tempore, quo ſol in meridie ardentiores iacit radios, vnica hæc auis vt promoueat, ac adijciat ad ſolis ardorem aliquid incrementi, non intermittit etiam ſuper lignile iacens, alas adinuicem percutere, quoaduſq; illud ignem concipiat, & conflagrans cum illa lignorum ſtrue, ſe conſumat, & inter odoriferas flammas moriatur: eodem modo, Theotime, poſtquam beata Virgo per continuam & maximè vnicam memoriam omnia amore digniora vitæ & mortis filij ſui myſteria in animo ſuo collegiſſet, & rectè ſemper inter iſta omnia ardentiores inſpirationes (quas eius filius, ſol iuſtitiæ, ſuper mortales in ardentiſsimo charitatis meridie iacere conſueuit) recepiſſet, ac deinde etiam feciſſet ſua ex parte perpetuum contemplationis motum, tandem ſacer ignis diuini iſtius amoris eam totam vt gratiſsimum ſuauitatis holocauſtum abſumpſit: & ita abſumpſit, vt hoc igne mortua ſit, eius autem anima, velut rapta, transportata eſt inter brachia dilectionis filij ſui. O mors amoroſè vitalis, ò amor vitaliter mortalis!

Complures Sacri Amatores coràm præſentes adfuerunt Chriſto in cruce morienti. Inter quos, qui plus habuêre amoris, etiam plus doloris. Amor enim erat contemperatus, & velut maceratus in dolore, & dolor viciſsim in amore; & omnes illi, qui propter patientem Saluatorem magno afficiebantur amore, magnâ quoq; compaſsione & dolore mouebantur. At dulcis matris cor, quæ ſuper omnes amabat, profundius, quàm in cuiuſqnam aliûs, tranſiuit doloris gladius; tunc dolor filij fuit prçacutus ille à Simeone prædictus gladius, qui cor matris pertranſiuit tantò vehementius, quantò ſcilicet cor hoc maternum magis erat conglutinatum, iunctum & vnitum vnione filij ita perfectâ, vt nihil vulnerare potuerit vnius cor, quin & alterius ad viuum ſauciaret. Cæterum cùm pectus hoc maternum ita amore eſſet ſauciatum, non ſolùm non requiſiuit ſanitatem ſui vulneris, ſed plagam illam magis amauit, quàm vllam ſanitatem. habens maximo in pretio iacula doloris, quæ receperat ex amore, qui amor eiaculatus fuerat illa in eius cor. vnde

deſiderabat continuè mori ex illis, quia ex ijs filius iam mortuus fuerat. Qui filius, vt dicit vniuerſa ſcriptura,& omnes Doctores, inter flammas charitatis, peracto & conſummato holocauſto, pro totius mundi peccatis exſpirauit.

Mortuam fuiſſe Glorioſam Virginem amore ſummè ſuaui & tranquillo.

Capvt XIV.

VNa ex parte dicitur beatam Virginem ſanctæ Mathildi reuelaſſe, ſe alia ex infirmitate non eſſe mortuam, quàm ex impetuoſo quodam diuini amoris aſſultu; ex altera autem parte S. Brigitta & S. Joannes Damaſcenus teſtantur eam mortuam eſſe morte comprimis placidâ. Vtrumq;, Theotime, verum eſt. Stellæ admodum ſunt pulchræ viſu, & iaciunt in oculos aſpicientium clariſsima lumina. verùm, ſi aduertiſti, per radiationem, ſcintillationem & luminis eiaculationem, ſic ſuos producunt radios, ac ſi generarent lumen diuerſis ac iteratis niſibus: ſiue quòd eorum claritas debilis & ſubobſcura, non poſsit agere continuè & æqualiter, ſiue quòd oculi noſtri imbecilles non habeant viſum conſtantem & firmum propter magnam diſtantiam, quæ eſt inter aſtra & illos. Ita ordinariè Sancti, qui mortui ſunt amore, ſenſerunt magnam varietatem accidentium & dilectionis ſymptomatum antequam morerentur; ſenſerunt & magnas aſpirationes, magnos aſſultus, magnas ecſtaſes, magnos languores, magnas denique agonias; vnde eorum amor videbatur per diuerſos conatus, & per plures aſſultus iteratò reſumptos, beatam eorum mortem parere. Quod fiebat ratione debilioris eorum amoris, nondum penitus conſummati. Vnde non poterat continuare dilectionem in æquabili intenſione.

At verò aliter res agebatur in ſanctiſsima Virgine; nam quemadmodum creſcere videmus auroram non iteratis & diuerſis conatibus,& ſuccuſsibus, ſed certa dilatatione, & continuo augmento, quod propemodum inſenſibiliter eſt ſenſibile; ſic, vt verè videatur creſcere in claritate, ſed ita æquabiliter, vt nemo notare poſsit aliquam interruptionem,

ptionem, ſeparationem aut diſcontinuationem eius incrementorum: hoc modo diuinus amor quouis momento creſcebat in corde Virginali glorioſæ matris, ſed illa augmenta erant ſuauia, continua, ſine agitatione, ſine ſuccuſſu & ſine vlla violentia. Non, non Theotime, admittenda eſt impetuoſa agitatio in cæleſti hoc amore materni cordis glorioſiſſimæ Virginis. amor enim ex ſe ipſo ſuauis eſt, gratioſus, placidus & tranquillus. Quodſi nonnunquam ciet impetus aliquos vel paruos aſſultus, quibus nonnihil ſuccutiat mentem, hoc ideò fit, quia reniſum deprehendit. At quando ei patent aditus ad animam, nec vllæ adſunt oppoſitiones, aut contrarietates incomparabili cum ſuauitate & tranquillitate pergit in ſuis progreſſibus. Ita igitur ſancta dilectio vires ſuas impendebat exercebatque in virginali corde ſacratiſsimæ matris ſine violento impetu, quia non inueniebat quicquam, quod ſibi reſiſteret, aut progreſſum ſuum impediret: nam quemadmodum conſpiciuntur magni fluuij iacere bullas, & excitare fluctus & reſultationes magno cum rumore & ſtrepitu circa loca ſcabroſa, in quibus rupes exhibent ſcopulos & oblongos arenarum cumulos, qui ſe opponunt & impediunt aquæ fluxum; vel contrà, quando ſunt in locis planis, labuntur, & fluunt ſuauiter ſine vllo reniſu: ita omnino amor diuinus deprehendens in animabus humanis complura impedimenta & renixus (vti reuera in omnibus reperiuntur, licet cum diſcrimine) exercet violentias, impugnans, & expugnans prauas animi inclinationes, percutiens cor, impellens voluntatem per diuerſas agitationes & conatus differentes, vt ſibi paret aditum, vel minimùm pertranſeat obſtacula. At in Virgine ſacra omnia fauebant, & promouebant curſum amoris cæleſtis; ſed & progreſſus & incrementa illius amoris incomparabiliter magis ſe in illa dilatabant & augebant, quàm in omnibus alijs creaturis. Erant tamen progreſſus illi infinitè ſuaues, placidi & tranquilli. Non; non inquam paſſa eſt deliquium vel ex amore, vel ex compaſsione apud crucem filij, licet tunc vtriuſque acceſſum ardentiſsimum & doloroſiſsimum, qui vix excogitari poteſt, habuerit; nam quamuis (negari non poteſt) acceſſus ille fuerit maximus, ſimul etiam fuit fortis & ſuauis, potens & tranquillus, actiuus & placidus, compoſitus ex calore, acuto quidem, ſed ſimul ſuaui.

Non dico, Theotime, in anima Beatiſſimæ Virginis non fuiſſe duas

portiones, & ex conſequenti, duos appetitus, vnum iuxta mentem & rationem ſuperiorem, alterum ſecundum ſenſus & rationem inferiorem; quo fiebat, vt illa repugnantias & contrarietates in vno & in altero appetitu ſentire potuerit; nam pugna illa etiam fuit in Dei filio ſeruatore noſtro. Sed nego in hac cæleſti matre vllas fuiſſe affectiones, quæ non fuerint quàm optimè ſanctiſſimeque ordinatæ. Vnde diuinus amor in illa exercebat ſuum imperium & dominatum placidiſsimè, abſq; eo quòd turbari potuiſſet aliqua diuerſitate voluntatum aut appetituũ, vel etiam contrarietate ſenſuum, eò quòd neque repugnantiæ appetitus naturalis, neque etiam motus ſenſuum vſque ad peccatum, non dico vſq; ad mortale, ſed ne vſque ad veniale quidem pertingebant. Verùm è contrario, omnia iſta ſanctiſsimè & fideliſsimè impendebantur obſequio ſancti amoris pro exercitio aliarum virtutum, quarum pleræque exerceri non poſſunt, niſi inter difficultates, oppoſitiones & contradictiones.

Spinæ ſecundum opinionem vulgi non ſolùm ſunt aduerſæ, ſed etiam contrariæ floribus: quin & videtur, quòd ſi in mundo non eſſent, omnia melius ſuccederent. Quod induxit S. Ambroſium ad cogitandum, quòd ſi peccatum non fuiſſet commiſſum à noſtris protoplaſtis, non fuiſſent productæ: ſed tamen quandoquidem ſunt, bonus & ſolers agricola eas efficit vtiles, dum ex ijs conſtruit ſepes, & clauſuras circa campos, & tenellas arbores; quibus ſpinæ ſunt loco defenſionis, & munitionis contra animalia. Ita glorioſa Virgo, cùm participaſſet omnes miſerias generis humani (exceptis illis, quæ directè tendunt ad peccatum) eas vtiliſsimè adhibuit ad exercitium & incrementum ſanctarum virtutum, fortitudinis, temperantiæ, iuſtitiæ & prudentiæ; paupertatis, humilitatis, tolerantiæ, miſerationis, &c. Ita vt non exhiberent ei vllum impedimentũ, ſed poti' eſſent occaſiones cæleſti amori ad ſe fortificandum per continua exercitia & ſpirituales progreſſus; nec apud illam Magdalena, id eſt vita contemplatiua, turbabatur, nec dimouebatur ab attentione debita (quâ amoroſas Saluatoris impreſsiones recipiebat) ob vllum laborem & ſolicitudinem, à qua Martha turbabatur in Chriſto excipiendo: elegerat enim illa amorem filij ſui, qui ab ea nunquam erat auferendus.

Magnes

Digitized by Google

Magnes vt omnibus notum eſt, Theotime, naturaliter trahit ad ſe ferrum per virtutem maximè ſecretam, maximeque admirandam: tamen quinque ſunt, quæ eius operationem impediunt. I. Nimia ab inuicem diſtantia, II. Si adamas inter illa ponatur. III. Si ferrum impinguatum ſit, IV. Si idem ferrum ſit illitum allio. V. Si ferrum plus æquo ſit ponderoſum. Cor noſtrum ad Deum, qui illud continuè attrahit, factum eſt, & non ceſſat in illud eiaculari cæleſtis amoris ſpicula. Verùm quinque res, obſtaculo ſunt ſanctæ huius attractionis operi. I. Peccatum quod nos elongat à Deo. II. Affectio ad diuitias. III. Voluptates carnales. IV. Superbia & vanitas. V. Amor proprius, vnà cum multitudine paſsionum inordinatarum, quas ille producit, & in nobis ſunt pondus, nimium quàntum graue, à quo opprimimur: nullum autem iſtorum impedimentorum locum habuit in corde glorioſæ Virginis. I. Quia ſemper præſeruata fuit à peccato. II. Semper fuit pauper corde & ſpiritu. III. Semper immaculata. IV. Semper humillima. V. Semper placidiſsima fuit Domina omnium ſuarum paſsionum, & exempta à rebellione, quam amor proprius excitat contra amorem Dei. Vnde ſicut ferrum, ſi liberum eſſet ab omnibus impedimentis, & etiam à ſua grauitate, fortiter, ſed ſimul ſuauiter, & æquali attractione per magnetem traheretur, ſic tamen, vt attractio eſſet ſemper magis actiua, magiſque potens, eâ ſcilicet menſurâ, quâ vnum eſſet vicinius alteri, & quâ motus eſſet propior fini: Ita Sanctiſsima Mater, cùm nihil in ſe haberet, quod impediret operationem amoris ſui filij, ſe vniebat illi vnione incomparabili, per ſuaues & placidas ecſtaſes, quæ erant abſq; vlla vi: ecſtaſes inquam, in quibus pars ſenſibilis non intermittebat facere ſuas actiones, nullâ tamen per hoc creatâ vnioni ſpiritûs incommoditate: ſicut & reciprocè perfecta eius mentis applicatio, non multum incommodi pariebat ſenſibus. Atq; ita mors huius Virginis ſuauior fuit, quàm quis ſibi imaginari poſsit: Filius enim ſuauiter eam in odorem ſuorum vnguentorum trahebat, illa verò percepto eorum odore, currebat & ſuauiter illabebatur in ſinum bonitatis filij ſui. Et quamuis ſancta eius anima ſummè amaret ſanctiſsimum, puriſsimum & amabiliſsimum ſuum corpus, illud tamen abſque vllo dolore & reniſu aliquo deſeruit. Sicut Iudith, licet amaret magnopere habitum pœnitentiæ & Viduitatis, eo tamen ſe cum gaudio

expoliauit, vti reſumptis veſtibus nuptialibus ſe indueret, quando adHolofernem reportatura de eo victoriam ſe contulit; vel ſicut Ionathas, quando amore Dauidis, ſuis ſe veſtibus priuauit. Amor Diuinæ huic Sponſæ, maximos mortis dolores apud crucem creârat; vnde conſentaneum erat rationi, vt in fine mors ei adferret maximas, quæ excogitari poſſunt, delicias.

LIBER VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS.

De

AMORE CONFOR-MITATIS, PER QVEM VO-VNTATEM NOSTRAM VNIMVS DEI voluntati, quæ nobis eius præceptis, conſilijs & inſpirationibus indicatur.

De amore conformitatis prouenientis ex ſacra complacentia.

CAPVT I.

SICVT bona terra, recepto bono ſemine, ſuo tempore reddit centuplum: ita cor quod in DEO ſibi complacuit, non poteſt non reciprocè velle DEO placere. Nemo autem nobis placet, cui non deſideremus placere. Vinum frigidum pro aliquo tempore refrigerat eos, qui illud bibunt, at ſimul atque illud incaluit ex calore ſtomachi, in quem

Digitized by Google

receptum eſt, ſtomachum viciſsim calefacit: & quò maiorem calorem ſtomachus ei exhibet, eò hoc maiorem viciſsim in ipſo ſtomacho producit calorem. Verus & ſincerus amor, nunquam eſt ingratus & conatur ijs placere, in quibus ille ſibi complacet. Et inde profluit conformitas amantium. Deuotiſsimus ſapientiſsimuſque Rex Salomon, factus eſt idololatra & fatuus, quando adamauit fœminas idolorum cultrices & fatuas: quo factum eſt, vt tot habuerit ipſe idola, quot eius colebant vxores. Hinc ſacra Scriptura, viros vocat effœminatos, qui perditè fœminas, ob earum ſexum, amant: quia ſcilicet ex viris facit, & transformat in fœminas, quantùm ad mores & propenſiones attinet.

Hæc autem transformatio fit inſenſibiliter per complacentiam, quæ, poſtquam ſe in noſtra immiſerit corda, aliam progenerat exhibendam illi, à quo eam recepimus. Dicitur in Indijs reperiri paruum quoddam animal terreſtre, cui volupe eſt eſſe in mari cum piſcibus. Hoc ob frequentatam cum piſcibus natationem, tandem fit piſcis, & ex animali terreſtri, efficitur marinum. Ita qui ſibi placet in Deo, fit conformis Deo, ſed & eius voluntas ſe transformat in formam Diuinæ Maieſtatis per complacentiam, quam ex illa conſequitur. Amor, inquit S. Chryſoſtom⁹, vel inuenit, vel facit ſimilitudinē & ſimulacrum: hinc fit, vt exemplum eorū, quos amamus, habeat ſuaue & imperceptibile imperium & auctoritatem inſenſibilem in nos, dum vel eos derelinquere, vel imitari nos cogit. Ille, qui attractus ſuauitate vnguentorum intrat officinam alicuius vnguentarij, inter recipiendum gaudium, quod accipit ex illius odoribus, ſe ipſum efficit velut vnguentum, inde enim egrediens impertitur alijs partem gaudij, quod recepit, diſpergens inter illos odorem vnguentorum, quem inde contraxit cum delectatione, quam capit noſter animus ex re amata, ſimulq; ad ſe ipſum trahit qualitates illius rei amatæ: delectatio enim cor aperit, ſicut triſtitia claudit. Vnde ſacra Scriptura ſæpe vtitur verbo DILATARE, loco lætari & gaudio exultare. Corde autem aperto, & dilatato per delectationem, impreſsiones qualitatum, ex quibus ea delectatio dependet, facile intrant in animum, & inſuper cum illis aliæ, quæ ſunt in eodem ſubiecto; quæ quamuis nobis diſpliceant, non ideo non intrant in nos inter compreſsiones delectationum. Et hoc fere ad eum modum, quo ad conuiuium nuptiale ille

intrauit

intrauit inter alios non veſtitus veſte nuptiali. Sic etiam Ariſtotelis diſcipuli ſibi complacebant, dum loquendo balbutiebant, ſicut & ille balbutiebat; Platonis verò auditores incuruos tenebant humeros ad imitationem ſui magiſtri. Talis aliquando inuenta eſt fœmina, auctore Plutarcho, cuius apprehenſio & imaginatio ita patebat rebus omnibus, quæ coniunctæ erant cum voluptate aliqua, vt reſpiciens aliquando imaginem Mauri, ſeu Æthiopis, nigrum infantem conceperit ex Patre maximè albo & candido. Oues Iacobi Patriarchæ rei huic probandæ exhibent argumentum. Paucis; gaudium, quod habetur in re, eſt certus quidam prodromus, & velut deſignator hoſpitij, qui intrudit in cor amans qualitates, & circumſtantias rei, quæ illi placet. Ac propterea ſacra complacentia nos transformat in DEUM, quem amamus, & quò ea complacentia eſt maior, eò transformatio, (amore tranſportante & tranſmittente mores & cæteras circumſtantias ex vno corde in aliud) eſt perfectior.

Res mira, ſed vera: ſi ſint duæ lyræ, ſeu duæ fides vniſonæ, id eſt eiuſdem ſoni & concentûs prope ſe inuicem, & earum vnâ ludatur, altera, eſto nullo modo attingatur, non intermittet edere ſonum ſimilem illius, quâ luditur; conuenientiâ vnius ad alteram, velut amore naturali, faciente iſtam conformitatem. Experimur difficultatem & repugnantiam imitandi eos, quos odio proſequimur, & hoc etiam in rebus, quæ bonæ ſunt. Hinc Lacedæmonij, nolebant ſequi bonum conſilium mali hominis, niſi priùs pronunciatum eſſet à bono viro; contrà non poteſt obex poni, quo minùs quis ſe conformet rei, quam amat. Apoſtolus dicit (vt exiſtimo) hunc in ſenſum, *quòd lex non ſit poſita iuſto.* Verè enim iuſtus, non eſt iuſtus, niſi quia habet ſanctum amorem: & ſi amorem habet non eget, vt vrgeatur rigore legis: amor ſiquidem eſt Doctor & ſolicitator, qui maximè premit & ſuadet cordi, (quod poſsidet) vt præſtet obedientiam voluntati & intentioni Dilecti. Amor eſt Magiſtratus, qui ſine ſtrepitu, ſine apparitore & rerum capitalium præfecto exercet ſuam potentiam per mutuam complacentiam, per quam, ſicuti nobis placemus in DEO, ita etiam reciprocè deſideramus illi placere. Amor eſt compendium totius Theologiæ, qui ignorantiam Paulorum, Antoniorum, Hilariorum, Simeonum, Franciſcorum, ſanctiſsimè doctam efficit. In virtute iſtius amoris, DILECTA certò dicere po-

Digitized by Google

teſt: Dilectvs mevs totvs est mevs per complacentiam, quâ ille mihi placet, & me paſcit; & ego tota illius per beneuolentiam, quâ ego illi placeo, & illum paſco. Cor meum ſe paſcit complacendo ſibi in illo; & illius ſe paſcit ex hoc, quod ego illi, & propter illum placeo. Ille ſicuti ſacer Ouium cuſtos me paſcit vt charam ſuam ouem inter lilia ſuarum perfectionum, in quibus mihi placeo; ad me quod attinet, ſicut chara eius ouis eum paſco lacte mearum affectionum, per quas ei placere diſcupio. Quicunque autem verè ſibi placet in Deo, deſideret etiam fideliter placere Deo, vt verò illi placeat, ſe illi conformet neceſſe eſt.

De conformitate ſubmiſſionis, quæ procedit ex amore beneuolentiæ.

Capvt II.

Complacentia igitur, in nos attrahit lineamenta diuinarum perfectionum, ſecundum quod capaces & diſpoſiti ſumus, ad ea recipienda: ſicut ſpeculum recipit ſimulacrum, ſeu effigiem ſolis, non ſecundùm excellentiam & magnitudinem magni iſtius & admirabilis luminaris, ſed ſecundùm capacitatem & circumferentiam vitri, quo conſtat: & ita nos efficimur conformes Deo.

Sed vltra hoc, amor beneuolentiæ nobis exhibet ſanctam iſtam conformitatem per aliam viam. Amor complacentiæ trahit Devm in noſtra corda: at amor beneuolentiæ iacit corda noſtra in ipſum Devm; & conſequenter omnes noſtras actiones, affectionesq; illi dedicans conſecrat perquam amoroſè. Beneuolentia enim cupit, & deſiderat Deo omnem honorem, omnem gloriam, omnemq; recognitionem & gratitudinem poſsibilem tanquam bonum quoddam æternum, quod eius debetur bonitati.

Porrò deſiderium hoc exercetur ſecundum complacentiam, quâ in Deo habemus, eo, qui ſequitur modo. Maxima nobis ineſt complacentia videndo Devm ſummè bonum, ideoq; per amorem beneuo-

lentiæ

Digitized by Google

lentiæ deſideramus omnes noſtros amores imaginabiles impendere ad benè amandam iſtam bonitatem. Nobis complacemus in ſuprema excellentia perfectionis Dei, & ex conſequenti deſideramus, vt ſummè laudetur, honoretur & adoretur. Gauiſi ſumus conſiderando, quomodo Deus non ſolùm ſit primũ Principium, ſed etiam vltimus Finis, auctor, conſeruator, Dominus ac Monarcha omnium rerum. Vnde optamus, vt omnia illi ſubſint per exactiſsimam obedientiam; vidimus Dei voluntatem ſummè perfectam, rectam, iuſtam, & æquam, & hac conſideratione cupimus eam eſſe regulam & legem ſupremam rerum omnium, & vt omnes aliæ voluntates eam ſequantur, ei ſeruiant & obtemperent.

Sed nota, Theotime, me non loqui de obedientia, quæ Deo debetur, eò quòd ſit noſter Dominus, noſter Magiſter, noſter Pater & Benefactor; nam hoc genus obedientiæ ſpectat ad virtutem iuſtitiæ, non autem ad amorem. Non, non hoc tracto in præſenti, nam licet nullus eſſet infernus, in quo punirentur rebelles, neq; paradiſus, vbi boni præmijs afficerentur, & nos nullâ obligaremur lege ad ſeruiendum Deo, (& hoc dictum ſit per imaginationem de re impoſſibili, & quæ vix eſt imaginabilis) tamen amor beneuolentiæ nos induceret ad præſtandam omnem obedientiam & ſubmiſsionem Deo per electionem & inclinationem, imò & per ipſammet ſuauem & amabilem violentiam, intuitu & conſideratione ſupremæ bonitatis, iuſtitiæ & rectitudinis Diuinæ voluntatis.

Nonnè videmus, Theotime, puellam quampiam, per liberam electionẽ, quæ procedit ex amore beneuolentiæ, ſe ſubmittere ſuo Sponſo, cui alias nullo penitus modo obligabatur? vel Nobilem principi cuipiam externo ſua ſeruitia dicentem? vel Religioſum aliquem tradentem voluntatem ſuam in manus Superioris, vt poſthac ab eo pro libitu regatur?

Hoc igitur modo fit conformitas cordis noſtri cum Diuino, quando per ſanctam beneuolentiam ponimus omnes noſtras affectiones in manibus Diuinæ voluntatis, vt eæ formatæ & effictæ iuxta eius beneplacitum, flectantur & tractentur iuxta eius nutum. Et hoc in puncto conſiſtit profundiſsima obedientia amoris, quæ non opus habet, vt excitetur minis aut compenſationibus, neq; lege aliquâ, aut mandato quopiam. Nam omnia iſta præuênit dum ſe ſubmiſit Deo propter

ſolam & ſummè perfectam bonitatem, quæ eſt in illo, cuius intuitu meretur, vt omnis voluntas ei obediat, ſe ſubijciat ac ſubmittat, conformando & vniendo ſe in perpetuum in omnibus & per omnia eius diuinis intentionibus.

Quomodo nos conformare debeamus Diuinæ voluntati, quæ vocatur voluntas ſignificata.

CAPVT III.

ALiquando Voluntatem Dei in ſe ipſa conſideramus, eamque totam quantam bonam, & ſanctam deprehendentes, ſat nobis eſt facile eam laudare, benedicere & adorare, noſtramq; & omnium aliarum creaturarum voluntatem conſecrare eius obedientiæ per hanc diuinam exclamationem: FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ET IN TERRA. Aliàs eandem per particulares effectus conſideramus, vt in euentis, quæ nos tangunt, & in occaſionibus, quæ nobis eueniunt: & tandem in declaratione & manifeſtatione eius intentionum. Et quamuis iuxta rei veritatem Maieſtas Diuina non niſi vnam vnicè vnicam, & vnicè ſimplicem voluntatem habeat, tamen certis quibuſdam notis, ſequentes varietatem mediorum, per quæ eam cognoſcimus, &, iuxta veritatem, ſecundùm quam etiam diuerſimodè obligamur nos ei conformare, eam diſtinguimus & diſcriminamus.

Doctrina Chriſtiana clarè nobis proponit veritates, quas Deus vult nos credere; bona, quæ vult nos ſperare; pœnas, quas vult nos timere, bonum, quod vult nos amare; præcepta, quæ vult nos adimplere, & tandem conſilia, quæ deſiderat nos ſequi & capeſſere. Et iſta omnia vocantur Dei Voluntas ſignificata eo quòd nobis ſignificârit & manifeſtarit, quod vult, & intendit, vt omne illud credatur, ſperetur, timeatur, ametur & exerceatur.

Porrò quà Voluntas Dei ſignificata procedit per modum deſiderij, & non per modum voluntatis abſolutæ, poſſumus vel eam ſequi per obedientiam, vel per inobedientiam ei reſiſtere: Deus enim eo intuitu facit tres actus voluntatis. I. Vult vt nos poſsimus reſiſtere. II. Deſiderat vt non reſiſtamus. III. Nihilominus ſinit vt nos reſiſtamus, ſi veli-

Digitized by Google

velimus. Quod autem poſsimus reſiſtere, dependet ex naturali noſtra conditione & libertate: quod vero reſiſtimus, prouenit ex pura puta malitia noſtra: quod autem non reſiſtimus, eſt iuxta deſiderium Diuinæ bonitatis. Quando igitur reſiſtimus, Deus non concurrit (intellige moraliter) ad noſtram inobedientiam, ſed relinquens voluntatem noſtram in manu liberi arbitrij, ſinit vt ea malum eligat. Verum quando obtemperamus, Deus tribuit ſuum concurſum, ſuam inſpirationem & gratiam. Permiſsio enim eſt actio voluntatis, quæ ex ſe ipſa eſt ſterilis, infœcunda, & actio quædam paſsiua, quæ nihil facit, ſed ſinit vt fiat, quod fit.

Contrà, deſiderium eſt actio actiua, fœcunda fertilis, quæ excitat, inuitat & vrget. Hinc eſt quod Devs, deſiderans, vt ſuam voluntatem ſignificatam ſequamur, nos ſolicitat, monet, incitat, inſpirat, iuuat & ſuccurrit; at verò ſinens vt reſiſtamus, non aliud facit, quàm quòd ſimpliciter nos permittat facere, quod nobis lubitum eſt iuxta liberam noſtram electionem contra ſuum deſiderium & intentionem. Et tamen deſiderium hoc eſt verum deſiderium. Quomodo enim naturalius & magis genuinè exprimi poteſt deſiderium, quo deſideramus, vt amicus ad conuiuium inuitatus, comedat & bibat lætus & hilaris, quàm ſi bonam & peropiparam ei cœnam (ſicuti fecit Rex Parabolæ Euangelicæ) præparemus, deinde inuitemus, vrgeamus, & penè etiam precibus & exhortationibus, iterum iterumque repetitis, cogamus, vt veniat, menſæ accumbat, & genio, remotis curis moleſtis, cum Dei timore indulgeat? Certè is, qui vi amico ſuo buccam aperiret, cibumque in os ingereret deglutireque faceret, non ei conuiuium comitatis & amicitiæ præberet, ſed beſtiarum inſtar tractaret, & velut caponem, qui impinguandus eſt, haberet. Genus hoc beneficij exigit, vt precibus & ſuauibus verbis ac ſolicitationibus humanis exhibeatur, non autem vi & violentiâ exerceatur. Ideoque fit per modum deſiderij, & non abſolutæ voluntatis.

Porrò, idem eſt de ſignificata Dei voluntate; per illam enim Devs deſiderat vero deſiderio, vt faciamus, quod declarat. Et eâ occaſione nobis ſuppeditat quicquid ad illud exequendum requiritur, partim nos hortando, partim etiam premendo, & vrgendo vt à ſe petamus. In hoc fauoris genere nihil amplius poteſt deſiderari. Quemadmodum

Digitized by Google

dum autem radij ſolares non deſinunt eſſe veri radij, quando oppoſitis aliquibus obſtaculis obſcurantur & propulſantur: ita voluntas Dei ſignificata, non ceſſat eſſe vera Dei Voluntas, eſto ob reniſum ei factum nequeat producere tot effectus, quot produceret, ſi reniſus emaneret, & obſequendi ſtudium accederet. Conformitas igitur noſtri cordis cum ſignificata Dei voluntate conſiſtit in eo, vt velimus omnia, quæ Diuina bonitas nobis ſignificat ex ſua intentione eſſe, credentes ſecundùm eius doctrinam, ſperantes iuxta eius promiſſa, timentes eius minas, amantes & viuentes ſecundùm eius leges & monita. Quò ſpectant proteſtationes, quas ſæpè facimus in ſacris Eccleſiæ cæremonijs. Nam ea de cauſa ſtamus erecti, dum in ſacro miſſæ officio recitatur Euangelium, vt prompti & parati ad obtemperandum, etiam ad minimũ nutum Dei Voluntatis, quam continet Euangelium. Ea de cauſa oſculamur librum in fine Euangelij, tanquam adorantes S Verbum, quo nobis voluntas cæleſtis declaratur. Propter hoc etiam complures ſancti & ſanctæ portabant antiquitùs ſupra pectora ſacrum Dei Euangulium litteris expreſſum, velut Epithema amoris; ſicut dicitur de Sancta Cæcilia, & re ipſa habetur inuentum eſſe Euangelium ſancti Matthæi ſuper pectus defuncti & ſepulti Diui Barnabæ, propriâ eius manu exaratum. In cuius rei memoriam & teſtimonium in antiquis Eccleſiæ Concilijs in medio totius Congregationis Epiſcoporum, & Eccleſiæ Prælatorum collocabatur magnus thronus, & ſupra illum liber Sanctorum Euangeliorum, qui Perſonam Saluatoris, Regis, Doctoris, Directoris, Spiritûs, & vnici cordis Conciliorum & totius Eccleſiæ repræſentabat. Tantopere ſignificatio Voluntatis Dei expreſſæ in illo diuino corde honorabatur! Certè magnum illud ſpeculum ordinis Paſtoralis, Sanctus Carolus Boromæus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, nunquam ſtudebat in ſacra Scriptura, quin nudo capite, ſe proſterneret in genua, ad teſtificandum reſpectum & reuerentiã quâ audiri, legi & intelligi oporteat ſignificatam Dei Voluntatem.

De con-

De conformitate noſtra voluntatis cum illa, quam DEVS habet ad nos ſaluandos.

CAPVT IV.

DEVS tot modis, totque medijs oſtendit velle ſe nos omnes ſaluos fieri, nemo vt poſsit id ignorare. Hac intentione per creationem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit nos; & ipſe ſe hominem ad noſtram vicisſim imaginem & ſimilitudinem fecit per Incarnationem, ſecundum quam mortem paſſus eſt, vt vnierſum genus humanum redimeret, ſaluaretque. Quod præſtitit tanto um amore, vt, referente Magno Galliæ Apoſtolo, S. Dionyſio, dixet die quodam ſancto homini Carpo, ſe promptum & paratum eſſe ad atiendum ſecundò pro hominum ſalute, imò & hoc futurum ſibi ratum, ſi id ipſe præſtare poſſet abſque vllius hominis peccato.

Ex eo autem quòd non omnes ſalutem conſequantur, non ideò DEI voluntas ceſſat eſſe vera voluntas, quæ in nobis ſecundum condionem naturæ ſuæ,& noſtræ agit. Innatū enim eſt eius bonitati ita libeli manu ſuccurſus gratiæ nobis communicare, vt ijs adiuti felicitatem us gloriæ conſequi valeamus; noſtra autem natura poſtulat,vt in liberate nos relinquat, quò vel ea bene vtendo ſalutem conſequamur; vel utendo,in barathrum nos ipſos præcipitemus.

Vnam petij à Domino, dicit Propheta, & hanc requiram,vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluptatem Domini,& viſitem templum ſanctum eius. Pſal. 26. 4.

erùm, quæ & qualis eſt voluptas ſupremæ bonitatis, niſi diſpergere & ommunicare ſuas perfectiones? Quid enim agat aliud, cùm eius deliæ ſint eſſe cum filijs hominum, vt ijs copioſè ſuas infundat gratias? ihil eſt ita gratum & delicioſum hominibus liberis, quàm propriam cere voluntatem; noſtra autem ſanctificatio eſt voluntas DEI; & nora ſalus, eius beneplacitum: nullum autem eſt diſcrimen inter beneacitum & bonam voluptatem: neque igitur, conſequenter loquendo, iter bonam voluptatem & bonam voluntatem DEI: Imò voluntas, uam habet DEus pro mortalium bono, vocata eſt bona, quia eſt amailis, propitia, fauorabilis, grata, delicioſa, & vt Græci, ſecuti S. Paulum,

lum, dixerunt: eſt vera Phylantropia id eſt, beneuolentia, vel voluntas tota quanta amabilis,& propenſa in humanum genus.

Totum cæleſte templum, triumphantis ſcilicet, & militantis Eccleſiæ, omni ex parte reſonat canticis amoris Dei aduerſum nos. Et corpus ſacratiſsimum Saluatoris, velut templum ſanctiſsimæ eius diuinitatis, totum eſt adornatum eximijs notis & inſignibus iſtius beneuolentiæ. Inde eſt, quod viſitando diuinum hoc templum, videmus has amabiles delicias, quas eius cor percipit, dum nobis benefacit.

Intueamur igitur centies & ſæpius hanc amabilem & amoroſam Dei voluntatem, noſtramque in ea fundemus, piè & deuotè clamantes: O bonitas dulcedinis infinitæ, quàm amabilis eſt tua voluntas! quàm deſiderabiles ſunt tui fauores? creaſti nos pro,& ad æternam vitam: & maternum tuum pectus turgefactum ſacris vberibus incomparabilis amoris, abundat lacte miſericordiæ, ſiue ad parcendum pœnitentibus, ſiue ad conſummandos iuſtos in omni perfectionis genere. Quare igitur non conglutinamus noſtras voluntates cum tua, & paruulorum inſtar applicatorum mammillis matrum, lac benedictionum æternarum famelici non ſugimus?

Theotime, ita debemus velle noſtram ſalutem, ſicuti Devs ipſam vult; vult autem ipſe Saluator eam per modum deſiderij; & nos igitur debemus eam inceſſanter inhærendo eius deſiderio, ſic deſiderare: non ſimpliciter autem eā ille vult; at re ipſa nobis exhibet & ſuppeditat quæ ad eam conſequendā neceſſaria ſunt media. Et nos ergo conformantes deſiderio, quo tenemur ſalutis acquirendæ, debemus non ſolùm velle, ſed etiam effectu ipſo acceptare omnes gratias & fauores, quos nobis parauit, & paratos nobis offert. Sufficit quidem dicere, deſidero ſaluus eſſe; ſed non ſufficit dicere, deſidero amplecti, complectiq; media conuenientia ad ſalutem conſequendam; ſed voluntate abſolutâ & deliberatâ oportet in manus accipere gratias & media, quæ Devs nobis impertitur. Debet enim voluntas noſtra cum Dei voluntate conuenire, &, claritatis causâ, illi correspondere. Et quia illa nobis dat media, vt ſaluemur, ea nos recipere conuenit: prout & ſalutem deſiderare debemus taliter, qualiter illa nobis eam deſiderat, & quia illam nobis deſiderat.

Verum enimuero contingit perſæpe, vt media ad ſalutem præſcripta

ta ſummatim, & in genere conſiderata ſint cordi noſtro pergrata: at ſeparatim & in particulari ponderata, appareant horrida. Nonné vidimus S. Petrum, imminente paſsione perquàm diſpoſitum & promptū ad ſubeundas omnes in genere pœnas, quin & ipſam mortem, ad ſequendum ſuum Magiſtrum? & nihilominus vbi ventum eſt ad rem, eundem intuiti ſumus pallentem, trementem, imò & Magiſtrum, ad vocem vnius ſimplicis Ancillæ negantem & pernegantem. Quilibet cogitat cum Domino poſſe ſe bibere calicem: verùm quando nobis reipſa offertur, fugam capimus, & omnia derelinquimus. Res ſeparatim & in ſpecie repræſentatæ maiorem ac fortiorem faciunt impreſsionem, læduntque ſenſibilius imaginationem. Ea de cauſa in Introdvctione monuimus, poſt affectiones generales, in ſancta oratione facienda eſſe propoſita, ſtatuta, & decreta particularia. Dauid in particulari acceptabat afflictiones; vt viā expeditam ad perfectionē conſequendā, quando ſic cantabat: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Sic Apoſtoli Pſ. 118 71. gaudebant in tribulationibus, *quòd digni haberentur pro nomine IESV contumelias pati.*

De conformitate noſtræ voluntatis cum voluntate DEI, quæ nobis ſignificata eſt per eius mandata.

Capvt V.

Deſiderium, quod habet Devs, vt ſua obſeruemus mandata, maximum eſt, vti paſsim ſacra Scriptura teſtatur. Quomodo autem poterat melius id exprimere, quàm per eximias compenſationes & præmia, quæ proponit Legis obſeruatoribus; & enormia ſupplicia, quæ eiuſdem legis violatoribus minatur? Hinc eſt quod Dauid exclamet dicens: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

Porrò, amor complacentiæ reſpiciens diuinum hoc deſiderium, vult illud obſeruando Deo complacere: at amor beneuolentiæ, qui vult omnia Deo ſubmittere, ex conſequenti ſubmittit noſtra deſideria & voluntates huicce voluntati, quam Devs nobis ſignificauit. Et inde prouenit non ſolùm obſeruatio, ſed etiam amor mandatorum, quem Da-

uid Pſal. 118. ſtylo ita ſublimi & raro exaltat, vt hac vna de cauſa videatur eum ſcribendum ſuſcepiſſe. *Quomodo dilexi legem tuam Domine: totâ die*
Pſ. 118 37. *meditatio mea eſt!*

Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!

Verùm ad excitandum in animis ſanctum & ſalutarem amorem mandatorum, eorum pulchritudo contemplanda & conſideranda eſt; eſt enim admirabilis: nam quemadmodum ſunt opera aliqua, quæ ideo mala ſunt, quia prohibita; & alia item prohibita, quia mala ſunt; ita etiam ſunt nonnulla, quæ bona ſunt, quia ſunt præcepta; & alia, quæ ſunt præcepta, quia ſunt valde bona, & valde amabilia, eò quòd eorum præceptio det bonitatem nonnullis, quæ alioquin nullam haberent; alijs autem dat incrementum bonitatis, quæ, nulla factâ præceptione, eſſent & manerent bona. Non accipimus bonum, in bonam partem quando nobis manu inimicâ exhibetur. Lacedæmonij noluerunt ſequi bonum conſilium & ſalutare, quod ijs ſuggerebatur ab homine malo, quem proinde oderant, vſque dum vir bonus ijs repetendo illud iteraſſet. Contra, donum exhibitum ab amico nunquam non eſt gratum: ſuauiſſima quæque mandata, fiunt aſpera, ſi cor Tyrannicum & crudele ea imponat. Fiunt autem amabiliſſima, quando proficiſcuntur ab amore. Seruitium Iacobi Patriarchæ videbatur regnum, quia illud exhibebatur ex amore. O quàm dulce & deſiderabile eſt iugum cæleſtis Regis, eò quòd rex tam amabilis illud noſtris imponat humeris!

Complures obſeruant mandata, ſicut multi deglutiunt medicinas, magis, dubio procul, ex timore, ne moriantur & damnentur, quàm ex ſtudio placendi Deo, & viuendi iuxta diuinam eius voluntatem. At ſicut ſunt nonnulli, qui, quamuis gratum ſit medicamentum, tamen magnam ſentiunt repugnantiam, ea ſolùm de cauſa, quòd porrigatur nomine medicamenti; ita etiam ſunt nonnulli, qui opera præcepta horrent, eo ſolùm nomine quia præcepta ſunt. Et talis vir, vt aiunt Pariſijs inuentus eſt, qui cùm ea in vrbe ſpatio 80. annorum ſuauiter vixiſſet, nec vnquam illâ egreſſus fuiſſet, quam primùm ei iniunctum fuit mandato Regis, vt in eadem ciuitate quod ſupererat vitæ, tranſigeret, nec inde exiret: exiuit ſtatim, (nitens in vetitum, cupienſque negata) luſtraturus campos, quod totius vitæ ſuæ decurſu nunquam fecerat, imò ne in mentem quidem ei venerat.

E contra-

Digitized by Google

E contrario cor amoroſum diligit mandata,& quò ſunt de rebus difficilioribus, eò ei ſunt ſuauiora & acceptiora, eò quòd ſciat magis ex hoc ſuo ſe dilecto placere,maioremq; eidem exhibere honorem. Exultat & cantat hymnos & cordis gaudia, dum Deus eum ſua docet *præcepta & iuſtificationes:* non diſsimilis in hoc peregrino cuipiam, qui pergens ſuo in itinere cantat alacriter: adiungit quidem laborem cantando difficultati ambulandi: attamen ipſo augmento laboris tædium propellit, & laborem minuit: ita ſacer amator tantam in mandatis Dei ſeruandis reperit ſuauitatem,vt nihil ita eum ſubleuet,recreet & ſoletur in hac mortali vita,quàm ſuaue iugum præceptorum Dei ſui, humeris ſuis impoſitum; vnde ſacer Pſaltes clamat *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ,* ſeu mandata, *in loco peregrinationis meæ.* Dicuntur muli & equi onerati ficubus ſuccumbere ſtatim ſub onere, & omne ſuum robur perdere (ſuauior certe eſt lex Domini ficubus) at homo ſocors, & bruto ſimilis, qui factus eſt, *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus,* perdit animum, & nequit vires adinuenire,quæ ferendo ſint amabili huic oneri: contrà, ſicut ramus ex arbuſculæ quæ dicta eſt Agnus castus, portatus in itinere, viatorem conſeruat & liberat à laſsitudine;ita crux,mortificatio,iugum, & lex Saluatoris,qui eſt verus Agnvs castvs, eſt onus, quod tollit laſsitudinem,quod ſolatur & recreat corda, quæ diuinam eius maieſtatem diligunt. In re amata nullus labor, nulla difficultas reperitur; ſi quis tamen ei ineſt,comprimis eſt amabilis,& mixtus ſancto amori,qui ponit in Amante quoddam acre dulce, quod eſt gratius guſtui, quàm pura dulcedo.

Pſ. 118 v. 54.

Hoc igitur modo diuinus amor nos efficit conformes voluntati Dei, & reddit ſolicitos ad obſeruanda eius mandata, & hoc, non languido & tepido,ſed ardenti & abſoluto deſiderio placendi diuinæ eius maieſtati. Sic vt complacentia hæc per ſuam ſuauem & amabilem violentiam præueniens neceſsitatem obediendi, quam nobis lex imponit, conuertat eam in inſignem dilectionis virtutem, difficultatem autem in ipſammet dilectionem.

De Conformitate noſtræ voluntatis cum illa quam DEVS nobis ſignificauit per ſua conſilia.

CAPVT VI.

MAndatum deſignat voluntatem quandam, quæ ſit integra & ſine diminutione in eo, qui mandat: at conſilium aliud non indicat, quàm voluntatem voti & deſiderij. Mandatum nos obligat, conſilium ſolùm incitat: mandatum efficit tranſgreſſores culpabiles, conſilium ſolùm minus laudabiles reddit eos, qui illud non ſequuntur. Violatores mandatorum merentur damnationem, qui autem conſilia negligunt, ſolùm mererentur, vt minori gloriâ condecorentur. Eſt differentia inter mandare, & commendare. Quando mandatur, adeſt auctoritas, quæ obligat: quando autem commendatur, adhibentur tituli amicitiæ ad inducendum & prouocandum ad id, quod commendando petitur, vel inſinuatur. Mandatum neceſsitatem imponit: conſilium & commendatio nos incitant ad id, quod maiorem adfert vtilitatem. Mandato reſpondet obedientia, conſilio autem fides: conſilium ſuſcipitur ad placendum, mandatum autem ad non diſplicendum. Et inde eſt, quòd amor complacentiæ, qui nos obligat ad placendum Dilecto, inducit conſequenter nos ad capienda & ſequenda præcepta; amor verò beneuolentiæ, qui vult & deſiderat omnes voluntates & affectiones ſibi ſubmitti: facit vt non ſolùm velimus, quod ordinat, ſed vel maximè quod ſuadet, & ad quod adhortatur. Sicut amor & reuerentialis reſpectus, quem probæ frugis filius habet erga bonum Patrem, efficit, vt ſtatuat viuere non ſolùm iuxta mandata, quæ iniungit, ſed etiam iuxta deſideria & propenſiones animi, quas manifeſtat.

Conſilium equidem datur in fauorem eius, cui ſuadetur, & conſulitur, vt ſit ipſe perfectus: (*ſi vis perfectus eſſe,* inquit Saluator, *vade, vende omnia, quæ poſsides, & da pauperibus, & veni ſequere me.*) Verumenimuerò cor amoris igne inflammatum non recipit conſilia ob ſuam vtilitatem, ſed vt ſe conformet deſiderio eius, qui ſuadet; & obedientiam, ſeu, vt vocant, homagium præſtet voluntati eius, cui id debetur. Ac proinde non

recipit

Digitized by Google

recipit conſilia aliter, quàm Deus velit: Deus autem non vult, vt quilibet omnia obſeruet conſilia, ſed ea ſolùm, quæ huic & illi conueniunt, iuxta diuerſitatem hominum, temporum, occaſionum & animi virium, & hoc iuxta charitatis regulam.

Si parentes tui indigent verè operâ & auxilio tuo ad vitam traducendam, non eſt tempus tunc tractare de conſilio ſuſcipiendo, & receſſu è mundo ad quodpiam Monaſterium: charitas enim iubet, vt te conferas ad exequendum mandatum, quod eſt de parentibus honorandis, de obſequio eis præſtando, deque ijs pro viribus adiuuandis. Fac te eſſe principem, Regem &c. per cuius poſteritatem ſubditi Coronæ Regiæ, quæ ad te ſpectat, debent in pace conſeruari, & tuti eſſe contra Tyrannidem, contra ſeditionem & quoduis bellum ciuile; occaſio igitur tanti boni te obligat ad gignendos in ſancto Matrimonio legitimos ſucceſſores. Hoc non eſt perdere caſtitatem, vel ſi re ipſa perdatur, caſtè perditur, dum ea ſacrificatur bono publico, in fauorem charitatis.

Es tu naturâ debili, & inconſtanti valetudine, quæ eget multis fomentis? ne te igitur voluntariè oneres reali paupertate: charitas enim id tibi prohibet. Charitas non ſolùm non permittit patres familias omnia vendere, vt dent pauperibus, ſed iubet eos honeſtè congregare ea, quæ ad educationem & ſuſtentationem vxoris, prolis & famulitij neceſſaria ſunt: ſicut etiam Reges & Principes ſinit habere theſauros, qui iuſtè, ſecundùm regulam parſimoniæ, & non per Tyrannicas inuentiones collecti ſeruiant velut quædam ſalutaria antidota, & præſeruatiua contra hoſtes viſibiles. Sanctus Paulus nónne ſuadet iunctis matrimonio, vt elapſo tempore orationis, redeant in id ipſum iuxta regulam Matrimonij?

Conſilia omnia data ſunt propter perfectionem populi Chriſtiani, non autem propter vnumquemque Chriſtianum in particulari. Sunt circumſtantiæ, quæ ſubinde ea faciunt impoſsibilia, ſubinde inutilia, ſubinde periculoſa, quandoque etiam nociua aliquibus; quæ eſt vna ex ordinationibus, propter quas Chriſtus dicit de vno eorum (quod dictum vult de omnibus) *qui poteſt capere capiat.* Quaſi diceret, ſicut exponit S. Hieronymus (*qui poteſt lucrari & tollere honorem caſtitatis, velut brauium reputationis, ſeu exiſtimationis, eum tollat: eſt enim propoſitus iis, qui ſtrennè*

ſtrenuè currunt. Omnes igitur non poſſunt, id eſt non expedit omnibus ſemper omnia obſeruare conſilia, quæ, cùm data ſint in fauorem charitatis, illa ijs eſt loco regulæ, loco menſuræ, eorumque vrget executionem.

Quando igitur charitas ita ordinat ac diſponit, monachi ac Religioſi extrahuntur ex Monaſterijs & cœnobijs, vt fiant Cardinales, Prælati, Parochi: quinimò, etiam aliquando educuntur, vt Matrimonium ineant pro tranquillitate regnorum, ſicuti paulò ante dixi. Quodſi charitas educit è Monaſterijs eos, qui ſolenni voto in ijs ſe Deo conſecrârant, à fortiori, vt loquuntur in ſcholis, & propter minorem cauſam poteſt eiuſdem charitatis auctoritate ſuaderi pluribus, vt maneant in mundo, ſeruent ſuas diuitias, matrimonium ineant, imò arma capiant, bellum ſuſcipiant, ſuſceptumq; proſequantur; quod tamen non nego eſſe profeſsionem perquam periculoſam.

Quando autem charitas velut manu ducit aliquos ad paupertatem, & alios retrahit; quando impellit aliquos ad Matrimonia, aliquos ad continentiam; includit in Monaſterijs aliquos, & alios egredi facit; non obligatur vlli mortalium facti ſui reddere rationem. Habet enim abſolutam poteſtatem in legem Chriſtianam, ſicut ſcriptum eſt: *Charitas omnia poteſt;* habet omnem plenitudinem potentiæ, vt dictum eſt: *charitas non agit perperam*: quod ſi quiſpiam velit ei litem indicere, & proteſtari, quare ſic faciat? Reſpondebit audacter: quia *Dominus his opus habet;* Omnia facta ſunt propter charitatem, & charitas propter Devm. Omnia ſeruire debent charitati, illa autem nulli: & ne ipſimet quidem ſuo dilecto, cuius illa non eſt ancilla, ſed ſponſa, cui non exhibet ſeruitia, ſed amore illum demulcet. Propter hæc accipiendus eſt ab illa ordo exercitij conſiliorum: illa enim aliquibus iniunget & ordinabit caſtitatem, & non paupertatem, alijs obedientiam, & non caſtitatem. Alios iubebit ieiunare, & non eleemoſynam porrigere, alios eleemoſynam tribuere egenis, & non ieiunare: ſed & aliquibus ſolitudinem decernet, non autem onus paſtorale: aliquos etiam volet inter homines conuerſari, & non in locis deſertis latitare Paucis, eſt aqua quædam ſacra, per quam hortus Eccleſiæ irrigatur & fœcundatur. Et quamuis vnicum habeat colorem ſine colore, flores nihilominus, quos producit, non carent ſuo colore, differente tamen. Facit enim illa

Marty-

Digitized by Google

Martyres rubicundiores roſâ, virgines albiores & candidiores lilijs. Aliquibus impertit conſummatum amethyſti colorem egregiæ mortificationis, alijs luteum calendulæ, ſeu coniugalis curæ colorem; exponens & diſtribuens diuerſimodè conſilia, propter perfectionem animarum, quæ tam felices ſunt, vt vitam ſub eius ductu agant.

Quod amor voluntatis DEI ſignificata in mandatis, nos inducat ad amorem conſiliorum.

CAPVT VII.

O Theotime, quàm amanda eſt diuina voluntas! ò quàm amabilis eadem! ò lex tota quanta amoris, & pro amore! Hebræi per verbum PAX, intelligunt aggregationem & cumulum omnium bonorum, id eſt felicitatem. Sacer Pſaltes exclamat: *Pax multa diligentibus* Pſ. 118.
legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Quaſi vellet dice- v. 165.
re; ò Domine, amori ſacrorum tuorum mandatorum quanta ineſt ſuauitas! quidni omnis delicioſa dulcedo occupet cor illud, quod plenum & occupatum eſt dilectione tuæ legis? Certè magnus iſte Rex, cuius cor erat ſecundùm cor DEI, ita perfectè & efficaciter deguſtârat excellentiam diuinorum mandatorum, vt non immeritò haberi poſſet amator ſpiritualis illius legis, tanquam caſtæ ſponſæ & Reginæ cordis ſui: prout clarè colligitur ex continuis laudibus, quas in eam conijcit & accumulat.

Quando ſponſa cæleſtis vult exprimere ſuauitatem vnguentorum & ſuffimentorum diuini ſui ſponſi, *Vnguentum effuſum nomen tuum*, inquit illa: ac ſi diceret: ita excellentibus vnguentis es delibutus, vt videaris potius ſuaue vnguentũ, ſeu ipſum thymiama, quàm inunctus & ſuffumigatus. Ita anima, quæ DEVM amat, transformatur in voluntatem diuinam, vt mereatur vocari potius voluntas DEI, quàm obediens aut ſubiecta diuinæ voluntati. Vnde dicit DEVS per Iſaiam; quòd Eccleſiam Chriſtianorum vocabit *nomine nouo, quod os Domini nominabit*, quod eſt dicere, notabit & inſculpet in cordibus ſuorum fidelium. Deinde ex-

plicans nomen hoc: *erit* inquit, *Voluntas mea in ea.* Quaſi diceret, inter eos, qui non ſunt Chriſtiani, quilibet habet ſuam propriā voluntatem in medio cordis ſui; ſed inter veros Saluatoris filios, quilibet deſeret ſuam voluntatem, & non erit amplius niſi vna voluntas, Domina, Magiſtra, gubernans, & vniuerſalis, quæ animabit, gubernabit & diriget omnes animas, omnia corda, omneſque voluntates: & nomen honoris Chriſtianorum non erit aliud, quàm voluntas Dei in ijs: voluntas, inquam, quæ regnabit ſuper omnes voluntates, & omnes in ſe transformabit: ita vt voluntates Chriſtianorum, & voluntas Domini noſtri non ſint niſi vna & ſola voluntas futura. Quod perfectè verificatum fuit in primitiua Eccleſia, tunc enim vt dicit glorioſus Sanctus Lucas: *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Non enim intendit loqui ibi S. Euangeliſta de corde, quod facit viuere noſtra corpora, neque de anima, quæ corda animat vitâ humanâ; ſed loquitur de corde quod animabus noſtris dat cæleſtem vitam; & de anima, quæ corda noſtra animat vitâ ſupernaturali. Cor & anima maximè vnica fidelium, verorumq;
Pſ. 29. 6 Chriſtianorum, aliud non ſunt, quàm Dei voluntas. *Vita*, inquit Pſalmiſta, *eſt in voluntate Dei:* non ideò tantùm, quòd vita noſtra temporalis dependet à voluntate diuina; ſed etiam, quia vita noſtra ſpiritualis conſiſtit in executione illius vitæ, per quam Deus viuit & regnat in nobis, & nos viuere & ſubſiſtere facit in ſe. Contra, nequam à ſæculo, id eſt
Ier. 48. ſemper, *confregit iugum legis Dei, rupit vincula, & dixit: non ſeruiam.* Hinc
v. 8. eſt, quod Deus dicit: *transgreſſorem ex vtero vocaui te,* & loquens Regi Tyriorum, illi exprobrat quòd cor ſuum poſuerit, ſicuti cor Dei. Nam homo rebellis & Apoſtata, vult cor ſuum ſui ipſius eſſe Dominum, & propriam voluntatem vult eſſe ſupremam omnium, ſicuti eſt Dei voluntas: non patitur diuinam voluntatem regnare ſupra ſuam, ſed vult ille eſſe abſolutus, & à nemine dependere. O æterne Deus, ne id mihi permitte! at effice, vt mea nunquam fiat voluntas, ſed tua. Eheu! nos ſumus in hoc mundo, non ad noſtras, ſed tuæ bonitatis voluntates,
Pſ. 39. quæ in eo nos collocauit, faciendas. *In capite libri ſcriptum eſt de te,* ò Deus
v. 9. vitæ meæ, vt faceres voluntatem Patris æterni: & per primam animæ tuæ voluntatem humanam, in inſtanti, tuæ conceptionis complectereris amabilem legem illius, eamque poneres in medio cordis tui, ad regnan-
dum

ſum & dominandum ibidem in æternum. O! quis animæ meæ eam exhibebit gratiam, vt non ſuam, ſed Dei faciat voluntatem?

Porrò, quando amor noſter totus quantus ſtat à parte diuinæ voluntatis, non ſatis eſt nobis facere voluntatem diuinam, quæ nobis præceptis ſignificata eſt, ſed & ſubijcimus nos obedientiæ conſiliorum, quæ hoc fine data ſunt, vt perfectiùs obſeruemus mandata, ad quæ etiam, vti excellenter dicit S. Thomas, reſpiciunt. O quàm excellens eſt obſeruatio prohibitionis iniuſtarum voluptatum in eo, qui nuncium remiſit etiam iuſtiſsimis & legitimis delicijs! O quàm is remotus eſt à concupiſcentia bonorum alienorum, qui omnes reijcit diuitias, etiam illas, quas ſanctiſsimè ſibi poſſet ſeruare! Quàm parum timendum eſt, ne is præferat voluntatem ſuam diuinæ, qui vt eam faceret, ſe ſubiecit voluntati hominis!

Dauid Rex die quodam cùm eſſet in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum maneret in Bethlehẽ, deſiderauit aquam ex ciſterna Bethlehem, dicens: *O ſi quis mihi daret potum aqua de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam!* Et ecce, vix verbum hoc protulerat, cùm tres fortiſsimi & nobiliſsimi iuuenes caſtra Philiſthinorũ pertranſeuntes hauſerunt aquã de ciſterna Bethlehẽ, *quæ erat iuxta portam*, & attulerunt ad Dauid; at ille cõſiderãs pericula, quib' ſe expoſuerãt nobiles illi iuuenes, ei' vt appetitui ſatisfacerẽt, *noluit bibere, ſed libauit eam Domino, dicens: propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc: num ſanguinem hominum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Aduerte amabò, Theotime, ardorem animorum iſtorum iuuenum, qui vt Domini ſui deſiderio, vel tenuiter inſinuato, ſatisfacerent, idq; in effectum darent, irruperunt in caſtra hoſtilia, & per confertam multitudinem, perque mille pericula tranſierunt, vt ſimplex Regis ſui votum adimplerent. Saluator noſter hoc in mundo commorans, voluntatem ſuam pluribus in rebus per modum mandatorum declarauit, in pluribus autem alijs ſolùm per modum voti eandem ſignificauit. Permultùm enim caſtitatem, paupertatem, obedientiam, & perfectam reſignationem, & propriæ voluntatis abnegationem, viduitatem, item ieiuniũ, nec non orationem continuam laudauit. Et quod dixit de caſtitate: *qui poteſt capere capiat*, idem dictum voluit de omnibus alijs conſilijs. Votum hoc ſtrenuiſsimi quique Chriſtianorum magnis paſsibus ſecuti, apprehenderunt: & ſuperatis omnibus repugnantijs, concupiſcentijs & difficul-

2. Reg. 23. v. 14.

difficultatibus ad portum ſanctæ perfectionis pertigerunt, arctéque ſe adſtringentes obſeruationi deſideriorum ſui Regis, hoc medio coronam gloriæ adepti ſunt.

Certè, vt teſtatur diuinus Pſalmiſta, Deus non ſolùm exaudit orationem fidelium, ſed vel ſola eorum deſideria, quin & ſolam præparationem, quam in animis ſuis faciunt ad orandum. Tam ille propenſus & inclinatus eſt ad faciendam voluntatem timentium ſe! Quare igitur nos non reciprocè inſigni zelo incitamur ad ſequendam & imitandam voluntatem noſtri Seruatoris, vt non ſolùm faciamus id, quod mandat, ſed etiam, quod fatetur ſibi eſſe gratum & acceptum? Nobiles & Generoſæ animæ non egent efficacioribus motiuis ad complectendum id, quod ſciunt eſſe ſecundùm deſiderium & votum ſui Dilecti. Anima mea, inquit vna ex illis animabus, liquefacta eſt, *vt amicus meus locutus eſt.*

Contemptum conſiliorum Euangelicorum eſſe magnum peccatum.

Capvt VIII.

Apoc. 22. v. 11. Matt. 5 48. VErba, quibus Dominus nos hortatur ad ſectandam perfectionem, tanti ſunt roboris & efficaciæ, vt obligationem, quam ad eam habemus, diſsimulare nequaquam poſsimus. *Sancti eſtote*, dicit ille, *quia ego ſanctus ſum. Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: & qui iuſtus, iuſtificetur adhuc: eſtote perfecti, ſicut & pater veſter caleſtis perfectus eſt.* Propter hoc eximius ſanctus Bernardus ſcribens ad glorioſum Sanctum Guarinum Abbatem Aquenſem, cuius vita & miracula bonum admodum odorem ſparſerunt in illa diœceſi: *homo iuſtus, inquit ille, nunquam dicit, ſatis eſt, quia ſemper eſurit & ſitit iuſtitiam.*

Certè, Theotime, quantum ad bona temporalia attinet, nihil vnquam ſufficit illi, cui quod ſatis eſt, non ſufficit: nam quid eſt quod ſufficere poſſet animo, cui ſufficientia ipſa non eſt ſufficiens? Sed quantum ad bona ſpiritualia, is non habet id, quod illi ſufficit, cui ſufficit habere id, quod illi ſufficit, & ſufficientia non eſt ſufficientia; quia vera ſufficientia in rebus diuinis ex parte conſiſtit in deſiderio affluentiæ.

Deus

Deus in mundi principio præcepit terræ, *vt germinaret herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen eſſet in ſemetipſo ſuper terram.* Gen. 1. v.11.

Videmus & experientiâ diſcimus plantas & fruges non habere iuſtam ſtaturam & maturitatem, niſi quando geruntſua grana & ſemina, quæ ſeruiunt loco geniture ad productionem plantarum & arborum eiuſdem generis. Nunquam noſtræ virtutes iuſtam habent ſtaturam & maturitatem, niſi producant in nobis deſideria in eis progrediendi & proficiendi, quæ,velut ſemina ſpiritualia, ſeruiunt in productione virtutis nouorum graduum. Et videtur mihi quòd terra noſtri cordis habeat mandatum ad germinandas plantas virtutum, quæ ferant fructus ſanctorum operum, vnaquæque ſecundùm genus ſuum, & ſemen deſideriorum & propoſitorum ſemper multiplicandi & progrediendi in via perfectionis. Virtus enim, quæ caret grano & ſemine iſtorum deſideriorum, non pertingit ad iuſtam maturitatem. Tepidum & ſegneſcentem Religioſum, ſic alloquitur & arguit S. Bernardus: *O Monache, non vis proficere? non: vis ergo deficere? nihil minus. Quid ergo vis? Eſſe & manere volo, qui ſum, nolo eſſe melior, neque etiam deterior. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt; quid enim ſtat in hoc ſæculo? nihil omnino, cùm nihil in eodem ſtatu permaneat præter DEVM: de homine adhuc magis ſpecialiter quàm de aliis rebus, dictum eſt, quòd nunquam in eodem ſtatu permaneat. Oportet igitur progredi, vel retrogredi, proficere vel deficere.* Epiſto. 133. & 34.

Porrò, non dico ego, ſicut nec S. Bernardus, eſſe peccatum non amplecti & exercere conſilia Euangelica: non certè, Theotime. Hæc enim eſt differentia inter mandatum & conſilium, quod mandatum ſub pœna peccati nos obliget ad ſui obſeruationem; conſilium autem nos inuitet, nullâ propoſitâ pœnâ, ſi non obſeruetur. Nihilominus dico eſſe magnum peccatum contemnere animum tendentem ad perfectionem Chriſtianam, adhuc autem maius eſſe dico, ſi inuitatio ad eam contemnatur: per illam enim Chriſtus nos ad dictam perfectionem Chriſtianam vocat; impietatem autem eſſe pronuncio intolerabilem, contemnere conſilia & media, quæ Chriſtus ad eam perueniendi proponit; Hæreſin verò enuncio eſſe, ſi dicatur Chriſtus nobis non rectè ſuaſiſſe & conſuluiſſe; at blaſphemiam eſſe apertiſsimam dicere DEO: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus;* Verumenimuero horribiliorem ir-

Digitized by Google

reuerentiam longè eſſe, ſi quis ei, qui tanto cum amore & ſuauitate nos inuitat ad perfectionem, dicat: nolo eſſe ſanctus, neque perfectus, neque magis participare de tua beneuolentia, neque ſequi conſilia, quæ tu mihi ingeris & obtrudis, vt in illis progreſſum faciam.

Poteſt quidem ſine peccato quis non ſequi conſilia ob affectum, quo ad alia mouetur; exempli cauſa, poteſt non vendere quæ habet, & venditorum pauperibus non dare pretium, eò quòd nòn eò perfectionis aſſurgat, vt talem faciat renunciationem. Poteſt etiam inire Matrimonium, quia honeſtè amat fœminam aliquam; vel quia non tantum habet virium, vt continuum carni & ſanguini indicat bellum: At profiteri ſe nolle ſequi conſilia, imò ne vnum quidem eorum, id fieri non poteſt abſque notabili contemptu eius, qui ea dat. Non ſequi conſilium de virginitate ſeruanda, vt ineatur Matrimonium, id non male fit, ſed inire matrimonium, vt illud præferatur caſtitati, vti faciunt hæretici, magnus eſt contemptus tum ſuadentis, tum ipſiuſmet conſilij; bibere vinum contra monitum medici, quando potenter inualeſcit ſitis, vel bibendi phantaſia præualet, non eſt propriè loquendo, monitum & iudicium medici contemnere, at verò dicere nolo ſequi præſcriptum medici, id non poteſt non prouenire ex praua opinione, quam infirmus de eo habet.

Porrò quoad homines, eorum conſilia ſæpe poſſunt contemni, non contemptis ijs, qui illa dederunt; quia ſcilicet non eſt hominem contemnere, ſi æſtimetur erraſſe; ſed quantum ad Dei conſilium, ſi reijcitur & contemnitur, non poteſt prouenire niſi ex æſtimatione, quæ eſt, eum non bene ſuaſiſſe, non rectè conſuluiſſe, quod ab alio cogitari non poteſt, quàm à ſpiritu blaſphemiæ: quaſi Deus non eſſet ſatis ſapiens, vt ſciat, vel ſatis bonus, vt bonum det conſilium. Idem autem eſt de conſilijs Eccleſiæ, quæ ratione continuæ Spiritûs ſancti aſsiſtentiæ, (qui docet, & ducit in omnem veritatem) nunquam poteſt malè ſuadere.

Proſecutio

Digitized by Google

ſecutio diſcurſus incboati, quomodo debeat quilibet amare, licet ıon obligetur, & exercere omnia conſilia Euangelica; quomodo item ex ijs exercere debeat illa, quæ poteſt.

Capvt IX.

QVamuis omnia conſilia non poſsint, neque debeant exerceri à quolibet Chriſtiano in particulari, tamen quilibet tenetur ea omnia amare, quia omnia ſunt optima. Si laborares hemicraniâ, & odor Moſchi tibi noceret, ideóne negare velles odorem illum eſſe bonum & gratum? Si veſtis aurea non tibi conueniret, & fortè etiam te non deceret, diceréſne
us eam eſſe valoris? Si annulus non quadraret tuo digito, eáne de-
à tu eum in lutum abijceres? Laudato igitur Theotime, & chara-
to omnia conſilia, quæ Deus impertitur mortalibus. O benedi-
ſit in æternum *magni conſilij Angelus*, & vnà cum illo benedicta omnia-
ita, quæ dat, & quibus exhortatur homines! vnguento & varijs o-
b' delectatur cor: *& bonis amici conſilijs* dicit Salomon, *anima dulcoratur.* Pro. 27
de quo amico, & de quibus conſilijs loquimur nos? de quo alio, 9.
n de amico amicorum, cuius conſilia magis ſunt amanda, quàm
n mel? Amicus eſt Saluator, eius conſilia ſunt pro ſalute conſe-
nda. Gaudere nos oportet, Theotime, quandocunque videmus ali-
s ſequi & amplecti conſilia, quæ nos vel non poſſumus, vel non debe-
obſeruare; nec non etiam preces pro ijs fundere, gratos habere, &
edicere fauores eorum, qui ea amplectuntur, eóſque pro viribus in
bono opere adiuuare: charitas enim nos obligat, non ſolùm ad
ndum id, quod nobis bonum eſt, ſed etiam quod noſtris proxi-

it autem teſtificabimur nos amare omnia conſilia, quando ea, quæ
is conuenient, accuratè & ſolicitè obſeruabimus. Nam quemad-
um is, qui credit vnum articulum fidei, quia Deus eum reuelauit
ſuum verbum, annunciatum & declaratum per Eccleſiam, non po-

teſt

teſt alteri articulo denegare fidem; et is, qui ob verum Dei amorem mandatum vnum cuſtodit, paratus eſt ad alia cuſtodienda, oblatâ cuſtodiendi occaſione. Eodem modo is, qui vnum conſilium Euangelicum amat, & æſtimat, eò quòd Deus illud dederit, non poteſt non conſequẽter æſtimare omnia alia: ſiquidem etiam illa ex ore Dei profecta ſunt. Poſſumus autem nos complura eorum facilè exercere, licet non ſimul omnia: quia Deus plura dedit, vt quilibet eorum aliqua poſſet exercere; nullus autem præterit dies, quo non habeamus occaſionem aliqua exercendi.

Requirit charitas, vt, ad ſuccurrendum tuis parentibus, domi apud eos commoreris? retine nihilominus in domo amorem & affectum ſolitudinis, nec alia de cauſa cor tuum in domo moretur, quàm quantùm neceſſe eſt ad faciendum id, quod recta ordinat charitas. Non expedit propter perſonæ tuæ conditionem, vt perfectè ſerues caſtitatem? ſerues minimùm quantùm vales, ſine iniuria charitatis. Qui nequit totum aliquod opus facere, faciat partem aliquam illius. Tu non obligaris ad conueniendum eum, qui te offendit, quia illius eſt te conuenire, vt pro illata tibi iniuria ſatisfaciat, ille ſiquidem te præuenit in iniuria tibi inferenda: Sed vade nihilominus, Theotime, fac quod ſuadet Saluator, eum in bono præueni, redde ei bonum pro malo, congrega ſuper cor & caput eius ardentes carbones, qui ſunt teſtes charitatis, qui eum omnino inflamment, cogantque, vt te amet. Tu quidem, legis rigore, non teneris omnibus paſsim occurrentibus pauperibus eleemoſynam elargiri, ſed ſolummodo ijs, qui extremè egent. Non ideò tamen, ſequendo conſilium Chriſti, omittas elargiri libenter omnibus, qui egent, intellige iuxta tuam conditionem, & veras tuorum negotiorum neceſsitates, quarum habenda eſt ratio. Tu non teneris vllum facere votum, tamen aliqua, pro tuo in diuino amore progreſſu, iuxta Patris tui ſpiritualis iudicium poteris facere. Potes liberè vti vino, manens intra terminos decentiæ, & temperantiæ: at ſecundum conſilium D. Pauli ad Timotheum ſcribentis; tantùm (& non amplius) adhibendum eſt, quantum neceſſarium eſt ad conſeruandam ſtomachi integritatem.

Diuerſi ſunt perfectionis gradus in conſilijs: accommodatò dare pauperibus non in extrema neceſsitate poſitis, eſt primus gradus conſilij de eleemoſyna diſtribuenda: donare autem omnino illis, gradus altior eſt;

tior eſt; dare verò totum, adhuc eſt altior: Tandem omnium altiſsimus eſt, dare propriam perſonam, deuouendo ſe ſeruitio pauperum; hoſpitalitatem extra ſummam neceſsitatem exercere conſilium eſt; recipere extraneos eſt primus illius gradus, ſed ire ad ſepes viarum, ad eos inuitandos, vt faciebat Abraham, altior eſt gradus; & altior adhuc eſt habitare in locis periculoſis ad hoſpitio excipiendos, curandos, obſequijſque recreandos viatores & peregrinos. In quo excelluit magnus S. Bernardus de Menthone, qui oriundus in hac ipſa diœceſi Geneuenſi ex illuſtri admodum familia, compluribus annis inter iuga & ſummitates noſtrarum alpium habitauit: vbi & multos ſocios congregauit, qui opperirentur, exciperentq; hoſpitio tranſeuntes, alijſq; charitatis modis adiuuarent: ſed maximè ex periculis, temporumque iniurijs, quibus perſæpè malè excipiebantur viatores, eriperent: qui, dubitandum non eſt, inter tempeſtates, niues, & horrida frigora mortui fuiſſent, niſi hoſpitalia, quæ Magnus hic Dei amicus duobus in montibus fundauit & ſtabiliuit, ab interitu eos vindicaſſent, qui duo montes eius nomine Magni S. Bernardi in Diœceſi Sionis, & Parui S. Bernardi, in ea quæ dicitur Tharentæſia, nuncupati ſunt. Viſitare infirmos, qui non ſunt in extrema neceſsitate, laudabilis eſt charitas; eis ſeruire adhuc laudabilior, ſed ſe deuouere & addicere eorum ſeruitijs, eſt maxima excellentia huius conſilij. Quæ ſeruitia, Clerici viſitationis infirmorum iuxta proprium ſuum inſtitutum exercent; vti & complures Matronæ diuerſis in locis, ad imitationem Magni ſancti Samſonis Romani, nobilis & genere, & arte medendi, qui Conſtantinopoli, vbi factus eſt Sacerdos, ſe admiranda cum charitate ſeruitijs infirmorum dedicauit in hoſpitali, quod ille incepit, (Imperator autem Juſtinianus poſtea vlterius erexit & perfecit) item ad imitationem ſanctarum Catharinæ Senenſis, Genuenſis, ſanctæ Eliſabethæ Hungariæ Regis filiæ, & glorioſorum amicorum Dei, ſanctorum Franciſci, & Ignatij de Loyola: qui & in principio ſuorum ordinum, exercitium hoc magno cum ardore & incomparabili vtilitate mortalium præſtiterunt, & etiam præſtant.

Habent igitur virtutes certam perfectionis latitudinem: ordinariè autem eas exercere ſecundùm ſummam earum excellentiam non tenemur. Sufficit enim nos eatenus in earum exercitio progredi, quatenus re & effectu in eo permaneamus. Pergere autem vltra & proficere

in earum perfectione, conſilium eſt: quia actus Heroicarum virtutum, communiter non ſunt præcepti, ſed ſolummodo ſuaſi. Quod ſi aliquando ex occaſione aliqua nos obligant ad progrediendum in eorum exercitio, id accidit rariùs, & ex euentu aliquo extra ordinem communem, qui eos efficit neceſſarios ad conſeruationem gratiæ cæleſtis. Felix ille ianitor carceris Sebaſtæ, qui videns vnum è quadraginta (qui tunc ingenti frigore torquebantur, & paulò pòſt ipſo martyrio erant, afficiendi) animo cadere, & paratam Martyrij coronam amittere, eius ſe loco, nemine id ei perſuadente, collocauit: & ita quadrageſimus illorum glorioſorum & triumphantium Chriſti militum effectus eſt. Sanctus autem Adauctus videns ad Martyrium duci S. Felicem Papam, & ego, inquit, (à nemine inductus) tam ſum Chriſtianus, quàm hic, eundemque adoro Saluatorem: deinde dato S Felici oſculo perrexit cum eodem ad Martyrium, quod conſummauit capitis truncatione. Innumeri ex antiquis martyribus idem fecerunt; nam, cùm æquè facilè poſſent vel euitare, vel ſubire martyrium ſine peccato, elegêrunt tamen illud potius generosè ſubire, quàm licitè euitare. Horum igitur martyrium, fuit actus Heroicæ fortitudinis, & conſtantiæ, quem ſanctus amoris exceſſus illis contulit. Verùm quando adeſt neceſſitas ſuſtinendi martyrium vel nuncium remittendi fidei Chriſtianæ, martyrium quidem non ideò ceſſat eſſe martyrium, & excellens amoris & fortitudinis actus, neſcio tamen an actus ille indigitandus ſit Heroicus, cùm non ſit electus per aliquem amoris exceſſum, at per neceſsitatem legis, quæ eò in caſu id præcipit. Porrò in exercitio virtutis actuum Heroicorum, conſiſtit perfecta imitatio Chriſti Saluatoris. Qui, vt dicit eximius S. Thomas, habuit in inſtanti ſuæ conceptionis omnes virtutes in Heroico gradu. Et certè libenter dicerem ego eum illas habuiſſe in gradu pluſquàm Heroico, ſiquidem non ſimpliciter tantùm erat pluſquam homo, ſed infinito modo plus, id eſt verus Deus.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo ſe conformare oporteat voluntati diuinæ, quæ nobis per inſpirationes ſignificata eſt, & primò de varietate mediorum, per quæ DEVS nos afflat ſuis inſpirationibus.

CAPVT X.

RAdij ſolis illuminant calefaciendo, & calefaciunt illuminando; Inſpiratio eſt radius cæleſtis, qui impertitur cordibus noſtris lumen, quod in ſe vim habet calefaciendi, bonum patefaciendi, & nos ſtimulandi ad illud proſequendum. Quicquid viuum eſt ſuper terram, ſtupet & torpeſcit frigore hyemali; at reuertente vitali calore veris, omnia ſuum reſumunt motum. Animalia terreſtria citius currunt, aues altius volant, & alacrius cantant, plantæ maiori cum iucunditate ſua protrudunt folia & flores. Denegatâ animabus noſtris inſpiratione, eæ ſegnes, perculſæ ac inutiles fiunt, ſed aduentu inſpirationis diuinorum radiorum, ſentimus lumen miſtum calori viuificanti; quod noſtrum intellectum illuſtrat, voluntatem excitat, & animat, ei conferens vires volendi & faciendi ea omnia, quæ ſpectant ad ſalutem æternam. Cùm DEVS formaſſet corpus humanum de limo terræ, vt 1. Cor.
ſcribit Moyſes: *inſpirauit in illud ſpiraculum vitæ, fecitq; in animam viuentem*, 15. v.
id eſt in animam, quæ conferebat vitam, motum & operationem cor- 45.
pori. Et idem æternus DEVS inſpirauit, deditq; inſpirationes vitæ ſupernaturalis in animas noſtras, prout loquitur Apoſtolus, vt ſint factæ in ſpiritum viuificantem, id eſt in ſpiritum, qui nos viuere faciat, mouere, ſentire & operari opera gratiæ. Ita vt is, qui nobis dedit eſſe, det etiam operari. Halitus, ſeu ſpiritus hominis calefacit res, in quas recipitur, ſte Sunamitidis filio, *ſuper cuius os Eliſæus Propheta ſuum poſuit, & ſpirauit ſuper* 4. Reg.
um, vſque dum caro pueri calefacta eſt: & hoc apertè docet experientia. 4. v. 34.
erùm, quod ad DEI ſpiritum attinet, non ſolùm calefacit, ſed rfectè illuſtrat: quia ſpiritus diuinus eſt lumen infinitum, cuius ritus vitalis nuncupatur inſpiratio, quia per illum ſuprema bonitas rat & inſpirat nobis deſideria & propoſita ſui cordis.

Digitized by Google

Porrò, media inſpirandi, quibus vtitur ſunt propemodum infinita. Sanctus Antonius, Sanctus Franciſcus, Sanctus Anſelmus & alij, qui vix numero poſſunt comprehendi, ex viſione creaturarum perſæpe inſpirationes recipiebant. Modus quidem conſuetus eſt prædicatio, ſed quandoque ij, in quibus verbum prædicatum nullum producit fructum, per ſolam tribulationem inſtruuntur, iuxta dictum Prophetæ:
Iſa. 24. 20. *tantummodò vexatio dabit intellectum auditui*: id eſt, ijs, qui per auditum minarum cælitùs ſuper malos immiſſarum, non ſe corrigunt, diſcent veritatem per euenta & effectus, fientq; ſapientes per afflictionem. Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ inſpiratum fuit per intuitum imaginis beatæ Virginis; Sancto Antonio per auditum Euangelij, quod in Miſſa legebatur; Sancto Auguſtino per auſcultationem narrationis vitæ ſancti Antonij; Duci Gandiæ Franciſco Borgiæ, tertio Societatis Iesv Generali, per inſpectionem Imperatricis demortuæ; Sancto Pachomio per exemplum charitatis Chriſtianorum, dum ipſe adhuc infidelis eſſet; Sancto Ignatio de Loyola per lectionem vitæ beatorum; Sancto Cypriano (non illi magno Epiſcopo Carthaginenſi, ſed alij, qui erat Laicus, et ſimul Martyr glorioſus) per diabolum confitentem ſuam impotentiam ſuper eos, qui confidunt in Deo. Cùm eſſem Juuenis, exiſtens Pariſijs, duo ſtudioſi, (quorum alter erat hæreticus) noctem tranſigentes in Suburbijs ſancti Jacobi, loco parum honeſto, vbi capiuntur homines, & ad malum deducuntur, audierunt ſonum dari campanis apud Carthuſianos, & interroganti hæretico ſocium, quâ ex causâ nunc ſonus edatur ære campano? reſponſum eſt, quòd cum deuotione ſacra officia celebrarentur in ſancto illo monaſterio: O Deus, inquit ille, quàm diuerſum eſt exercitium horum Religioſorum à noſtro! Exercent illi officia Angelorum, nos autem beſtiarum. Et cùm vellet addiſcere per experientiam die inſequenti id, quod didicerat ex relatione ſui contubernalis, eò ſe contulit, vbi hos Patres in ſuis ſubſellijs & locis, velut ſtatuas quaſdam marmoreas, pulcherrimo ordine inuenit immobiles ad omnem aliam actionem, præterquàm ad Pſalmodiã; quam cum attentione & deuotione verè Angelica, ſecundum conſuetudinem ſancti iſtius ordinis, perſoluebant. Vnde Juuenis hic velut raptus admiratione, magnâ perfuſus fuit conſolatione, videns quòd tam bene Deus coleretur inter Catholicos. Quare decreuit, vti poſtea præſtitit, redire ad gremium Eccleſiæ, veræ & vnicæ ſponſæ

cæ ſponſæ

Digitized by Google

cæ ſponſæ illius, à quo ſanctâ hac inſpiratione in infami illo abominationis lecto fuerat viſitatus, & ad cor reuocatus, quando velut ſus in luto ſe volutabat.

O quàm beati illi ſunt, qui ſanctis inſpirationibus corda ſua patefaciunt! nunquam enim ijs deerunt inſpirationes, quæ neceſſariæ ſunt iuxta ſuum ſtatum & conditionem ad bene beateque viuendum, ſicut & ad ſanctè laudabiliterq; adminiſtrandas prouincias illis commiſſas. Nam quemadmodum Deus, naturâ interueniente, dat vnicuique animali inſtinctus, qui ad eius conſeruationem, & ad exercitia proprietatum naturalium requiruntur; ita vnicuique noſtrum, ſi gratiæ Dei obicem non ponamus, dat inſpirationes neceſſarias ad viuendũ, ad operandũ & conſeruandũ nos in vita ſpirituali: *Domine Deus,* (inquit Eliezer,) Gē. 24. *Domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum meo Domino* v. 12. & *Abraham. Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur* 13. ad hauriendam aquã: igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriã tuam, *vt bibam: & illa reſponderit, bibe, quin & Camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quã præparaſti* ſeruo tuo Iſaac. Theotime, Eliezer non oſtendit ſe deſiderare aquam, niſi pro ſe; ſed Rebecca obediens inſpirationi, quam ei Deus & ſua benignitas dabant, offert ſe inſuper ad dandum Camelis potum. Ea de cauſa effecta fuit ſponſa & vxor S. Iſaac, Nurus magni Abrahami, & Saluatoris noſtri Auia: Illæ, illæ magnæ animæ, quibus non eſt ſatis adimplere id, quod per mandata & conſilia ab ijs requirit diuinus ſponſus, ſed inſuper promptæ & expeditæ ſunt ad ſequendas ſacras inſpirationes, ſunt eæ, quas Pater æternus præparauit, vt ſint ſponſæ filij ſui dilectiſſimi. Quantùm autem attinet ad probum hunc Eliezer, quia non poterat aliter diſcernere, quæ inter filias Haran, Ciuitatis Nachor deſtinata eſſet filio Domini ſui, Deus per inſpirationem id ei declarauit. Quando dubij & perplexi ſumus, deeſtq; nobis aſſiſtentia humana, tunc Deus, quid nobis faciendum ſit, inſpirat: & verò ſi ſtudioſi ſimus humilitatis, & obtemperemus eius inſpirationibus, non ſinit nos errare. Nihil autem hic dico amplius de his inſpirationibus neceſſarijs; eò quòd tum in hoc opere, tum etiam in Introductione ad vitam deuotam ſæpius de ijs locutus fuerim.

De unione voluntatis noſtræ cum diuina in Inſpirationibus, quæ pro praxi extraordinaria virtutum datæ ſunt; & de perſeuerantia in vocatione, quæ eſt prima nota inſpirationis.

Caput XI.

SVnt nonnullæ inſpirationes, quæ ſolummodo tendunt ad extraordinariam perfectionem exercitiorum ordinariorũ vitæ Chriſtianæ, Charitas autẽ aduerſ' infirmos eſt exercitium ordinarium proborum Chriſtianorum; ſed exercitium ordinarium, quod exhibitum fuit per S. Franciſcum & per Sanctam Catharinam Senenſem fuit in perfectione extraordinaria, quando leproſorum, & cancro laborantium vlcera lingebant & ſugebant: & per glorioſum Regem Ludouicum, quando flexis genibus, & nudo capite ſeruiebat infirmis. Vnde Abbas quidam Ordinis Ciſtercienſium præ admiratione attonitus hæſit, videns illum eo in ſtatu concinnare & manu contrectare hominem abominandis vlceribus, & plagis cancroſis coopertum. Conſuetudo etiam & praxis erat valde extraordinaria huius ſancti Monarchæ, ſeruire ſcilicet pauperibus, & maximè vilibus & abiectis, dum menſæ accumbebant, quin & comedere iuſcula & cibos ab illis relictos. Sanctus Hieronymus in ſuo hoſpitali Bethlehemitico recipiens peregrinos Europæos, (qui perſecutionem Gothorum fugiebant) non ſolùm ijs pedes lauabat, ſed eò vſque ſe demittebat, vt eorum quoque camelorum pedes & crura lauaret fricaretque: ad exemplum Rebeccæ, cuius modo meminimus, quæ non ſolùm pro Eliezer, ſed etiam pro eius Camelis aquam hauſit. Sanctus Franciſcus non tantùm multus fuit in praxi paupertatis, vt quilibet nouit, ſed etiam in ſancta ſimplicitate; agnellum aliquando redemit, timens ne occideretur, & hoc ideò, quia is repræſentabat Saluatorem. Penè erga omnes creaturas habebat reſpectum aliquem, dum earum creatorem contemplaretur, non ſine rara & prudentiſsima ſimplicitate. Talis fuit Sancta eius ſimplicitas, quando ſubſiſtens, è via remouebat vermiculos, ne quiſpiam tranſeundo eos pedibus

dibus conculcaret: & hoc ex recordatione comparationis, quam Dominus fecerat, vocando SE VERMEM. Vocabat creaturas fratres & ſorores ſuas per certam & admirabilem conſiderationem, quam cæleſtis amor, ei ſuggerebat. Sanctus Alexius nobili admodum natus ſanguine & multarum poſſeſsionum hæres, excellenter abiectionem ſui ipſius exercuit, commorans ſeptemdecim annis incognitus Romæ in paterna domo, velut pauper, & vilis peregrinus. Omnes hæ inſpirationes erant quidem de exercitijs ordinarijs, ſed in perfectione extraordinaria. In hoc autem genere inſpirationum adhibendæ & ſeruandæ ſunt regulæ, quas in noſtra Introductione pro deſiderijs dedimus. Nec oportet proſequi velle ſimul & ſemel plura exercitia: Sæpe enim inimicus humani generis Diabolus conatur nos inducere ad ſuſcipienda & inchoanda plura propoſita, vt pluribus intenti, nihil ad finem perducamus, ſed imperfecta omnia relinquamus. Etiam nonnunquam nobis ſuggerit voluntatem aggrediendi & inchoandi excellens aliquod opus, quod præuidet futurum, vt ad exitum non deducamus: & hoc ideo facit, vt nos à minus excellentis proſecutione auertat, quod facile ad finẽ, ſi nos ab eo non auertiſſet, deduxiſſemus. Haud enim illibenter habet, vt multa fiant, factaque inchoentur propoſita, dum nihil ad finem deductum iri animaduertit. Non vult impedire, ſicut nec Pharao, vt myſticæ mulieres Iſraëliticæ, id eſt animæ Chriſtianæ, pariant maſculos, modò occidantur antequam excreſcant. Contrà, dicit eximius S. Hieronymus inter Chriſtianos non tam ſpectari principium, quàm finem. Non tot demittendi ſunt in ſtomachum cibi, vt digeri non poſsint. Seductor Spiritus nobis in principijs rerum ponit remoram, & facit, vt contenti ſimus floribus veris; at diuinus non alia de causâ facit nos reſpicere principia rerum, quàm vt ex ijs ad finem pertingamus, & lætemur floribus veris, in ordine ad colligendos & decerpendos fructus æſtiuali & autumnali tempore.

Angelicus Doctor exiſtimat non expedire, vt diu multumque deliberetur ſuper propenſione animi, quæ habetur de ingrediendo bonam, & ſolidè ſtabilitam Religionem: & recte: nam cùm Chriſtus Religionem conſuluerit & ſuaſerit in Euangelio, quid opus eſt multis conſultationibus? Sufficit vnam bonam, & ſolidam deliberationem habere cum ijs, qui eâ pollent prudentiâ & capacitate, vt poſsint nos iuuare & diri-

Digitized by Google

& dirigere ad breue & ſolidum animi decretum faciendum. Verum vbi deliberauimus & ſtatuimus in hoc animæ negotio, ſicut & in quolibet alio, quod ſpectat Dei honorem, firmos ſtabiles immutabileſque nos eſſe oportet, contemptis omnibus iis, quæ nos mouere & inducere poſſent, ſub ſpecie apparentis maioris boni, ad aliquid aliud. Nam perſæpe, inquit glorioſus S. Bernardus, Dæmon nobis obtrudit mutationem, & vt impediat nos ne quod incepimus ad exitum perducamus, aliud, quòd melius ad ſpeciem videatur, proponit: idem autem, poſtquam initium dedimus, nos diuertit ab eo perficiendo, & tertium aliquod proponit. Placet enim illi, vt multa inchoemus, dummodo ad finem non deducamus. Non oportet etiam tranſire ab vna Religione ad aliam abſque magnis & potentibus motiuis bene & accuratè perpenſis, dicit S. Thomas poſt Abbatem Neſtorium, relatum per Caſſianum.

Mutuor ab Eximio S. Anſelmo ſcribente ad Lanzonem perelegantem ſimilitudinem, quæ ſic habet: *quemadmodum arbuſta ſæpius tranſplantata non poſſunt iacere ſolidas radices, nec conſequenter pertingere ad perfectionem, nec reddere fructum deſideratum; ita anima, quæ ex vno propoſito in aliud transfert, & velut tranſplantat cor ſuum, nequit proficere, neque iuſtum perfectionis augmentum conſequi. Perfectio ſiquidem non conſiſtit in inceptione, ſed in conſummatione & abſolutione.* Sacra Ezechielis *animalia gradiebantur, vnum quodq; eorum coram facie ſua ambulabat, vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.* Oportet ire quò inſpiratio nos impellit, & non reuerti, neque retrocedere, ſed ambulare eò quò Deus vertit noſtram faciem, non mutatâ collimatione. Qui bonâ graditur viâ, in ea ſe conſeruet. Euenit enim ſubinde, vt, bono deſerto, melius quæratur, & deſerendo vnum, non inueniatur alterum. Melior eſt poſſeſſio parui theſauri, quàm animus & intentio maioris acquirendi & inueſtigandi. Inſpiratio illa ſuſpecta eſſe debet, quæ nos inducit ad relinquendum verum bonum, quo in præſenti fruimur, & proſequendum poſthac in ſpe melius. Iuuenis quidam Luſitanus ſeu Portugalenſis, dictus Franciſcus Baſſus, admirandus non ſolùm in eloquentia diuina, ſed etiam in praxi & exercitio virtutum, Romæ vixit, ſub diſciplina beati Philippi Nerii, in Congregatione Oratorij: is putauit ſe inſpiratione diuinâ moueri & agitari, vt ſanctam illam Congregationem relinqueret, & formatam

Ezech. 1. v. 12.

Digitized by Google

matam Religionem intraret: tandemq; hoc apud ſe decreuit. Verùm beatus Philippus, qui coràm præſens aderat, dum in ordinem ſancti Dominici reciperetur, amarè cœpit flere. Vnde interrogatus à Franciſco Maria Taruſio, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Senenſis, & tandem Cardinalis, quare fleret? Defleo, inquit, iacturam tot virtutum. Et re ipſa Juuenis ille excellenter ſapiens, & deuotus in Congregatione Oratoria, quàm primùm fuit in Religione, ita in hominem inconſtantem & volubilem euaſit, vt, diuerſis nouitatum & mutationum deſiderijs agitatus, poſtea magna & grauia dederit ſcandala.

Si auceps rectà pergat ad nidum perdicis, illa ſe ei ſiſtit, fingitq; ſe eſſe delumbatam & claudã: & continuò alas concutiens, vibrat ſe, quaſi procul euolatura: at momento, volens cadit, quaſi nîl amplius volare poſſet: & hoc ideò, vt aucupem occupantem ſeſe & detinentem, diuertat, ne occurrat pullis è nido ſe proripientibus: deinde cùm aliquandiu eam proſecutus fuerit, æſtimans ſe facile apprehenſurum, in altum euolat, ſicque eius manus euadit. Ita inimicus humani generis videns hominem à DEO inſpiratum, moliri ſtatum melioris vitæ ineundæ, & modum progrediendi in amore cæleſti, ſuadet illi & perſuadet, vt ingrediatur viam, ad ſpeciem maioris perfectionis, & cùm à priori via eum abduxerit paulatim ſecundam ei repræſentat, quam cùm ingreſſus fuerit, ſenſim reddit impoſsibilem; vnde proponit tertiam; vt eum occupando in continua inueſtigatione diuerſorum & nouorum mediorũ, quibus ſe perficiat, efficit tandem, vt nullum ex ijs medijs ſeriò complectatur, & ex conſequenti, non perueniat ad finem (ob quem illa media requirebat,) qui eſt perfectio. Iuuenes canes qualibet occaſione deſerunt & mutant veſtigia ferarum, at ſenes, qui ſunt ſapientiores, nunquam mutant, ſed ſemper ſequuntur viam & veſtigia in quibus ſunt. Quicunq; igitur inuenit ſanctam DEI voluntatem in ſua vocatione, ſancto cum amore eam excolat, in illa permaneat ſe exercens conformanſq; medijs, quibus Religio illa, ad quam vocatus eſt, vtitur ad perfectionem conſequendam.

Digitized by Google

De vnione voluntatis humanæ cum diuina, in inſpirationibus, quæ ſunt contra, vel præter ordinarias leges, & de pace ac ſuauitate cordis ſecundâ notâ inſpirationis.

Capvt XII.

HOc igitur modo, Theotime, agendum eſt in inſpirationibus, quæ non ſunt extraordinariæ: niſi in quantum nos incitant ad exercenda cum ſingulari & extraordinario feruore & perfectione opera ordinaria hominis Chriſtiani. Verùm aliæ ſunt inſpirationes, quæ indigitantur extraordinariæ, non ſolùm quia faciunt animam progredi in Dei ſeruitio, vltra ordinarium ordinem; ſed etiam quia eandem animam inducunt ad actiones, legibus, regulis & communibus conſuetudinibus ſanctiſsimæ Eccleſiæ inſuetas, imò & contrarias: ideoq; magis admirandæ ſunt, quàm imitandæ. Sancta illa nobilis puella, quam Hiſtorici vocant Eusebiam extraneam, relictâ Româ, patrio ſolo, virili ſe habitu cum duabus alijs puellis veſtiuit, & nauim ad mare traijciendum conſcendens, Alexandriam peruenit, indéque ad inſulam Coam: vbi ſe vidit in tuto, reſumpſit habitum ſui ſexûs: & iterum mari ſe committens, peruenit in prouinciam Cariam in Ciuitatem Mylaſſoam, quò eam magnus Paulus (qui in Coa eam inuenerat, & illius curam ſpiritualem ſuſceperat) duxit, vbi & poſtea factus Epiſcopus, ita ſanctè gubernauit, vt Monaſterium erexerit, ſeque ſeruitijs Eccleſiæ, in officio, (quod eo tempore vocabatur diaconiſſarum,) tanta cum charitate impenderit, vt poſtea magnâ ſanctitate conſpicua è vita exceſſerit, ac deinde, ob multitudinem miraculorum, quæ Devs per eius reliquias & interceſsiones operari dignatus eſt, pro tali ſit cognita. Veſtire ſe habitu ſexûs, cuius quis non eſt, & ſic exponere ſe tali in veſte cum viris in itineribus, non ſolùm eſt vltrà, ſed etiam contra regulas ordinarias modeſtiæ Chriſtianæ.

Iuuenis quiſpiam matrem ſuam truſerat pede, is tactus viuâ facti pœnitudine contulit ſe vt expiaret ſuam noxam, ad ſanctum Antonium

nium de Padua, qui vt in eius anima viuacius imprimeret horrorem peccati, illi inter alia, dixit: *Fili mi, pes ille, qui inſtrumenti loco tuæ ſeruiuit malitiæ, ad patrandum tantum ſcelus, abſciſsionem à reliquo corpore mereretur*: Haud ſurdo dictum, nam iuuenis ille adeò id cordi accepit, vt reuerſus ad matrem, & ductus immenſo doloris & contritionis ſenſu, pedem illum ſibi abſciderit. Iſtius ſancti verba non habuiſſent iſtam fortitudinem, ſecundum ordinariam vim verborum, niſi DEUS ſuam ijs dediſſet inſpirationem, inſpirationem certè ita inſuetam, vt credi poſſet potius fuiſſe tentationem, quàm DEI inſpirationem, niſi miraculum reunitionis abſciſsi pedis factæ, per benedictionem eiuſdem ſancti, confirmaſſet. Sanctus Paulus primus Eremita, S. Antonius, S. Maria Ægyptiaca in vaſtas ſolitudines (vbi priuati beneficio audiendi miſſam, ſacræ communionis percipiendæ, & pœnitentiæ Sacramento; deſtituti inſuper, cum omnes adhuc eſſent in florenti ætate, ductu, & directione, omniq; humano ſolatio viuere debebant) non ſe immiſerunt, niſi moti forti & efficaci inſpiratione diuinâ. Magnus Simeon Stylita inſtituit vitam, quam nemo mortalium excogitaſſet, neque ſuſcepiſſet abſque inſtinctu & motione cæleſti. Sanctus Joannes Epiſcopus, cognominatus Silentiarius, deſerens ſuum Epiſcopatum inſcio toto ſuo clero, tranſiuit ad Monaſterium Lauram dictum, vt, quod ſupererat vitæ, in eo tranſigeret: quod fecit ita ſecretè, vt nemo reſciuerit. Nónne hoc erat expreſsè contra regulas ſanctiſsimæ Reſidentiæ? Et eximius S. Paulinus, ſe vendidit, vt filium pauperis viduæ à captiuitate redimeret; quomodo id facere potuit iuxta leges ordinarias, ſiquidem ſui ipſius non erat, ſed ſuæ Eccleſiæ, & ſuorum Diœceſanorum per Epiſcopalem conſecrationem? Puellæ illæ, quas ſua pulchritudo exponebat periculo perdendæ caſtitatis, dum inflictis ſibi in facie vulneribus, ſe deformarunt, vt pudicitiam ſeruarent intactam, nónne id egerunt, quod omnimodè prohibitum cenſeri poteſt?

OPTIMA NOTARUM bonitatis omnium inſpirationum, & in particulari, extraordinariarum vna eſt, pax & tranquillitas eius cordis, quod eaſdē recipit. Spiritus enim diuinus eſt quidem violentus, ſed eius violentia eſt ſuauis, mitis, & pacifica. Venit is ad inſtar venti impetuoſi, & cæleſtis fulguris, ſed non euertit Apoſtolos, neque turbauit: terror ille, quem habuerunt ex fragore & ſtrepitu, fuit momentaneus, &

Digitized by Google

qui ſtatim deprehenſus eſt dulci & gratâ ſecuritate conditus. Vnde ignis ille qui apparuit, *ſedit ſuper ſingulos eorum*, quaſi inde caperet, & ſimul daret ſanctam quietem. Et ſicut Seruator noſter vocatus eſt PLACIDVS, ſeu PACIFICVS SALOMON, ita eius SPONSA SVLAMITIS, TRANQVILLA & PACIS FILIA; & vox, id eſt inſpiratio ſponſi, non eam exagitat, neque vllo modo turbat, ſed attrahit ita ſuauiter, vt faciat dulciter liqueſcere, & velut effundere animam ſuam in illum. *Anima mea,* inquit,
Cant. 5 v. 6. *liquefacta eſt, vt Dilectus meus locutus eſt.* Et quamuis ſit bellicoſa, & in armis verſata, tamen ita eſt pacifica, vt in medijs caſtris, & prælijs contiCant.
Cant. 7 v. 1. nuet harmoniam incomparabilis melodiæ. *Quid videbis in Sulamitide, niſi choros caſtrorum?* Eius caſtra ſunt chori, id eſt, concentus & concordantia cantorum inter ſe; & chori ſunt caſtra, quia ſcilicet arma Eccleſiæ, & animæ deuotæ aliud non ſunt, quàm orationes, quàm hymni, quàm cantica & ſacri Pſalmi. Ita Dei ſerui, qui habuerunt excellentiores & ſublimiores inſpirationes, fuerunt ſuauiſsimi & placidiſsimi totius vniuerſi. Intuere Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſen, quali benignitate inter homines fuerint præditi; ad hos accedit Dauid, qui plurimùm commendatur à manſuetudine.

Contrà, ſpiritus malignus eſt turbulentus, aſper, ſeditioſus: & qui eius infernales ſequuntur ſuggeſtiones, credentes eſſe inſpirationes cæleſtes, ex eo communiter innoteſcunt, quòd ſint inquieti, capitoſi, feri, turbulenti, inceptores & motores turbarum: qui ſub prætextu & nomine zeli, omnia ſuſque deque agunt, vertuntque; cenſent totum mundum, nemo ab eorum dicacitate exemptus eſt; omnia reprehendunt, vituperant omnia, & criminantur: homines ſunt ſine lege, nulli volunt cedere, nihil ſufferre; ſequuntur paſsiones proprij amoris, eaſque venditant nomine zeli honoris diuini.

Tertia

Tertia inſpirationis nota eſt ſancta obedientia quæ Eccleſiæ, & ſuperioribus præſtatur.

Capvt XIII.

Pax & dulcedo, ſeu tranquillitas cordis eſt inſeparabiliter coniuncta ſanctæ humilitati. Verùm, non voco ego humilitatem, neſcio quam cæremonioſam coaceruationem verborum, geſtuum, oſculorum terræ, & veſtibus fixorum, exhibitionum crebrarum reuerentiarum, inclinationum, quando fiunt; ſæpe autem fiunt abſque interiori ſenſu propriæ ſui ipſius abiectionis, & ſine iuſtâ proximi æſtimatione: iſta enim omnia aliud non ſunt, quàm vana hominum otioſorum, & parùm ſolidi cerebri habentium occupatio: quod potius nominandum eſt humilitatis phantaſma, quàm ipſa humilitas.

Loquor autem de humilitate nobili, reali, ſuccoſa & ſolida, quæ nos inducat, vt lubentes ac volentes correctionem admittamus; quæ tractabiles & promptos nos ad obtemperandum efficiat. Quamdiu incomparabilis ille Simeon Stylita erat adhuc nouitius Teledæ, ſe iudicio ſuperiorum, qui volebant impedire nimium & extrauagantem rigorem, quo nimis inhumanè in ſe ipſum ſæuiebat, ita inflexibilem reddidit, vt tandem è monaſterio, ob hoc eijci debuerit, tanquam minus capax interioris mortificationis, & plus æquo deditus exteriori. At vero cùm poſtea eſſet reuocatus & effectus iam deuotior & ſapientior in via ſpirituali, longè aliter rem ſpiritualem tractauit, vti oſtendunt opera, quæ fecit poſtea. Nam poſtquam Eremitæ ſparſi per deſerta Antiochiæ vicina, reſciuerunt inſuetam & extraordinariam vitam, quam agebat ſupra columnam, in qua videbatur eſſe, aut Angelus terreſtris, aut homo cæleſtis, ad eum è ſua congregatione vnum aliquem miſerunt: cui in mandatis dederunt, vt ſic ſuo nomine ei loqueretur Quid hoc eſt Simeon, quòd tu relinquens commune iter vitæ ſpiritualis, tritum per tot eximios ſanctos, maiores noſtros, alio, hominibus incognito, & remoto ab omni eo, quod hactenus & viſum & auditum eſt incedis? Deſere, Simeon, iſtam columnam, & hodie, vti alij faciunt, te accommoda communi,

muni, & ſancto viuendi modo, & eâ ſerniendi Deo, quam Sancti Patres, noſtri prædeceſſores triuerunt, viâ gradere. Quodſi Simeon acquieſceret eorum iudicio, & ad obtemperandum eorum voluntati promptum ſe oſtenderet, deſcendendo de columna, mandatum habebat delegatus, vt ei ſuam relinqueret libertatem perſeuerandi in incœpto vitæ genere: eò quòd ex eius obedientia, dicebant illi boni Patres, cognoſci poſſet, an hoc vitæ genus ſuſceptum eſſet Deo inſpirante, necnè; ſin autem contrarius reſiſteret, & contemnens eorum paternam monitionem, ſuam ſequi vellet voluntatem, vt inde, vi etiam adhibitâ abſtraheretur, decreuerunt. Ablegatus igitur cùm ad columnam veniſſet, & legationis ſuæ ſummam vix explicaſſet, eximius Simeon ſine vlla dilatione nihil excipiens, nihil in contrarium adferens, cœpit ſtatim è columna, prompta cum obedientia, & humilitate, dignâ eius ſanctitatis raritate deſcendere. Quod videns Delegatus, ſubſiſte inquit, & vbi es, mane, ò Simeon, atq; perſeuera conſtanter, bonoq; eſto animo: perge, proſequere diligenter, & tene tuum incœptum; commoratio tua ſuper iſtam columnam eſt à Deo.

Vide, amabò, Theotime, quòd quemadmodum antiqui illi Sancti Anachoretæ in ſuo conuentu generali non reperêrunt notam certiorem inſpirationis cæleſtis in re tam extraordinaria, ſicut fuit vita ſancti huius Simeonis Stylitæ, quam quòd eum ſimplicem, ſuauem, tractabilem, & pacatum viuere ſub legibus ſanctæ obedientiæ, inuenerint; ita Deus benedicens ſubmiſsioni magni iſtius Viri, ei dederit gratiam integris triginta annis perſeuerandi ſupra columnam, altam 36. cubitos, poſtquam iam ſeptem alios annos ſupra alias columnas ſex, duodecim, & viginti pedes altas, vixerat, ſed & antequàm vitam traduxiſſet ſupra columnas, commoratus iam fuerat annis decem ſupra paruam cuſpidem rupis, in loco, qui vocatur Mandrè; ſic auis hæc paradiſi viuens in aëre fuit ſpectaculum Angelis, & admiratio hominibus. Quicquid in obedientia eſt, & fit, tutum & ſecurum eſt; quicquid autem extra eam eſt, & fit ſuſpectum, & incertum eſt. Quando Deus iacit inſpirationes in cor, prima, quam diffundit, eſt obedientiæ inſpiratio; vnquamnè fuit illuſtrior, & quæ magis ſub aſpectum caderet inſpiratio, quam illa, quæ data fuit glorioſo S. Paulo? punctum autem principale illius fuit, *Vt iret in Ciuitatem*, ibiq; addiſceret per os Ananiæ, quid eum

facere

facere oporteret. Hic autem Ananias Vir erat celebris, quippe, vt docet S. Dorotheus Epiſcopus Damaſcenorum. Quicunque dicit ſibi quippiam inſpiratum à Deo, & recuſat obedire Superioribus, eorumque ſequi monita, impoſtor eſt. Omnes Prophetæ & prædicatores, quibus aliquid inſpiratum fuit à Deo, ſemper amârunt Eccleſiam, ſemper eius adhæſerunt doctrinæ; & tandem, ſemper approbati fuerunt per illam; nec vnquam quidpiam ita neruoſè & fortiter annuntiârunt, quàm hanc veritatem, quòd ſcilicet *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & ex ore eius requiretur ſcientia.* Ita vt miſsiones extraordinariæ ſint Diabolicæ illuſiones, & non cæleſtes inſpirationes, ſi non agnoſcantur & approbentur, per Paſtores, qui ſunt ex miſsione ordinaria. Sic enim inter ſe concordant Moyſes & Prophetæ; ſic S. Franciſcus & S. Dominicus; ſic & alij Patres, Fundatores Ordinum Religioſorum, qui ſingulariori quidem ad animarum ſubſidia inſpiratione, & extraordinariâ venerunt, ſed eo humilius, magiſque ex animo ſe ſubmiſerunt ſacræ Eccleſiæ Hierarchiæ. Paucis: tres optimæ, & tutiſsimæ legitimarum inſpirationum notæ ſunt; I. Eſt perſeuerantia contra inconſtantiam & leuitatem. II. Pax & ſuauitas cordis contra inquietudinem, & negotiorum inextricabilium labyrinthos. III. Humilis obedientia contra pertinaciam & opinionem nulla ſolida ratione ſtabilitam.

Et quidem, vt concludam omnia, quæ dixi de vnione noſtræ voluntatis cum diuina, quæ vocatur ſigni, quemadmodum, omnes propemodum herbæ, quæ habent flauos ſeu rufos flores, ſicut & Cicoria ſilueſtris, quæ gaudet cæruleis, ſemper ſe vertunt ſolem verſus, & verſi ſequuntur eius circuitum; at heliotropium non tantum ſuos flores, ſed etiam omnia ſua folia verſus magnum illud luminare inflectit; ſic omnes electi, florem cordis, qui eſt obedientia (quæ exhibetur Dei mandatis) ad Deum vertunt; at animæ, viuaciter captæ & inflammatæ igne ſancti amoris, non ſolùm reſpiciunt diuinam bonitatem per obedientiam mandatorum, ſed etiam per vnionem omnium ſuarum affectionum, ſequentes motum diuini huius ſolis in omnibus quæ illis præcipit, conſulit & inſpirat, abſque reſeruatione, aut exceptione aliqua. Vnde dicere poſſunt cum Pſalmiſta: *Domine tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Nam ſicut equus be- Pſ. 72. 24.

ne inſtru-

ne inſtructus, bene ac ſuauiter omni in occaſione per eum qui illi inſidet, regitur; ita etiam anima, quæ amat verè, eſt agilis & prompta ad Dei voluntatem implendam; vt quicquid per eam facere decreuerit; poſsit.

Breuis methodus ad cognoſcendam DEI voluntatem.

Capvt XIV.

Sanctus Baſilius dicit Voluntatem Dei nobis ſatis eſſe oſtenſam & declaratam, tum ordinationibus, tum mandatis eius; & proinde nihil eſſe, de quo deliberetur: nam oportet ſimpliciter exequi, quod præceptum eſt; quod autē alia attinet, in noſtra eſſe libertate, vt ea iuxta noſtrum libitum eligamus, quæ videntur eligenda, quamuis facienda non ſint omnia, quæ ſunt licita, ſed tantùm ea, quæ expediunt. Et tamen ad bene diiudicanda & diſcernenda, quæ expediant, audiendum eſt iudicium ſapientis Patris Spiritualis.

Hic tamen in memoriam tibi reuoco, Theotime, tentationem perquàm moleſtam & odioſam, quæ non rarò ijs euenit, qui toti in eo ſunt, vt omnibus in rebus id faciant, quod eſt ad maius Dei beneplacitum. Hoſtis enim humani generis in omnibus occaſionibus facit, vt dubitetur, an res quæ fit, ſit Deo acceptior, quàm altera, quæ omittitur: exempli cauſa, an ſit Dei voluntas, vt pij illi homines inſinuati, cibum ſumant cum amico, necné? vt geſtent habitum griſei coloris, vel nigri? an ieiunent die veneris, an vero Sabbati? eantne foras ad animos relaxandos, an abſtineant? in quo terunt multùm temporis, & dum ſe occupant & detinent in diiudicando, quod horum ſit melius, negligunt occaſionem, complura bona alia faciendi, quorum executio magis eſſet ad Dei gloriam, quàm eſſe poſſet iudicium boni ſimpliciter, & boni maioris, in quo diſcernendo toti ſunt.

Non eſt conſuetum ponderare minutam pecuniam, ſed ſolummodo nummos magni valoris Commercium hoc, & negotiatio nimiùm eſſet odioſa, nimiſque multum temporis abſumeret, ſi ponderandi eſſent v. g. ſolidi, aſſes, puta nummi duorum crucigerorum, teruncij, denarij, ſeu ſtupheri, &c. Sic etiam non debent ponderari omnes iſtius

generis

generis minutulæ actiones, ad cognoſcendum an hæc pluris ſit apud Deum, quàm altera. Adde, quod nonnunquam interueniat ſuperſtitio in faciendo huiuſmodi rerum examine; nam qua ex cauſa fiat difficultas, an melius ſit audire miſſam in vna Eccleſia, quàm in alia? ducere ſila, an ſuere; dare eleemoſynam viro habenti vxorem? non bene ſeruitur Domino, dum tantum temporis impenditur ad conſiderandum quid ſit faciendum, quando opus eſſet ad executioni mandandum id, quod in quæſtione ponitur. Metienda eſt noſtra attentio vtilitate rei, quàm aggredimur. Eſſet cura penitus inordinata, ſumere tantum laboris ad deliberandum de itinere vnius diei faciendo, quantum de conficiendis trecentis aut quadringentis milliaribus.

Electio vocationis, deſignatio rei magni alicuius momenti, de opere longi temporis, vel magnarum impenſarum: mutatio domicilij, electio ſtatûs, & ſimilium, meretur ſeriam deliberationem, vt quid in ijs magis ſit ſecundum Dei voluntatem intelligatur. Verùm in minutis & quotidianis actionibus, in quibus omiſsio, vel error non eſt momenti alicuius, neque damnum alicuius notæ, quid opus eſt occupationem, attentionem & remoram in faciendis importunis conſultationibus prætendere? ad quod propoſitum multùm perpendam expendamque, vt ſciam, an magis placeat Deo, vt recitem roſarium, an officium Beatæ Mariæ Virginis, cùm tantum diſcrimen inter vnum & alterum eſſe non poſsit, vt ea de cauſa magna deliberatio debeat inſtitui? An me potius ad hoſpitale ad viſitandos ægrotos, quàm ad veſperas audiendas conferam? eamné potius ad concionem audiendam, quàm ad Eccleſiam vbi ſunt indulgentiæ? Nihil eſt, ordinarie loquendo, ita apparens & notabile, quod me inducat ad vnum potius faciendum, quàm ad alterum, vt ob id tanta ſuſcipienda ſit deliberatio. Bonâ fide procedendum eſt, miſsâ omni ſubtilitate talibus in occaſionibus: & vt dicit Sanctus Baſilius, liberè faciendum eſt id, quod nobis bonum videtur, ne fatigemus noſtrum intellectum, et tempus perdamus, & nos exponamus periculo inquietudinis animi, néue dilabamur in ſcrupulos, & ſuperſtitionum labyrinthos. Semper autem intelligo, quando non eſt magna inæqualitas, & differentia inter vnum opus, & alterum, & quando non incurrunt aliquæ circumſtantiæ ex vna, & altera parte, quæ dignæ ſint conſideratione.

In rebus etiam momenti alicuius procedendum eſt magnâ cum humilitate, & non cogitandum de inuenienda Dei voluntate longis examinibus, & diſcurſuum ſubtilitatibus, ſed implorato Spiritûs Sancti lumine, applicanda eſt conſideratio Dei beneplacito inueſtigando, accipiendumque conſilium à directore noſtræ conſcientiæ, adhibitis etiã, ſi lubuerit, duobus aut tribus viris non mediocriter verſatis in rebus ſpiritualibus. His ita ſe habentibus, non eſt reuocanda in dubium noſtra electio, ſed excolenda, & magnâ cum deuotione, quiete & conſtantiâ tuenda. Quamuis autem difficultates, tentationes & diuerſitates euentorum, quæ occurrere poſſunt in progreſſu executionis noſtri propoſiti, ingenerare nobis poſſent diffidentiam quandam bonæ electionis, oportet tamen nos manere firmos, & inhærere (contemptis omnibus in contrarium occurrentibus) rei ſemel & feriò deliberatæ. Sed & cogitare debemus, quòd ſi aliter elegiſſemus, forte inueniſſemus difficultates longè maiores: præterquàm quòd neſcimus, quæ ſit Dei voluntas, an vt exerceamur in conſolationibus, an in tribulationibus, in pacéne an in bello. Itaque re ſemel ſanctè decretâ, nunquam dubitandum eſt de ſanctitate executionis: nam niſi nos obicem ponamus, non poteſt male cedere; aliter autem agere, magna eſt nota inconſtantiæ & proprij amoris, ſicut & infantiæ, debilitatis cerebri, & ſtoliditatis ingenij.

LIBER IX.

Digitized by Google

LIBER NONVS.

De AMORE SVBMISSIONIS, PER QVEM VOLVNTAS NOSTRA SE VNIT DEI beneplacito.

De vnione noſtræ voluntatis cum diuina, quæ vocatur voluntas beneplaciti.

CAPVT I.

QVicquid fit, excepto peccato, fit per DEI voluntatem, quæ abſoluta, & beneplaciti voluntas appellatur: hanc voluntatem nemo mortalium poteſt impedire; ea autem non cognoſcitur à nobis niſi per effectus, qui, cùm euenerint, DEUM illos voluiſſe & deſignaſſe nobis innoteſcit.

I. Summatim conſideremus, Theotime, omne id, quod fuit, quod eſt, & quod erit; & tunc ſtupore abrepti, cogemur exclamare ad imitationem Pſalmiſtæ. *Laudabo te Domine, quia magnificatus es*

Pſ. 103 v. 4. *vehementer: & magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua: quam magnificata ſunt opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti, & anima mea cognoſcet nimis. Admirabilis eſt ſcientia tua ſuper me, præueniet me, & nō potero ad eā;* & inde tranſibimus ad ſanctiſsimam complacentiam, gaudebimus de eo, quod Deus ſit infinitus in ſapientia, in potentia & bonitate. Quæ ſunt tres proprietates diuinæ, quarum totum vniuerſum non eſt niſi exiguum proludium & velut ſpecimen aliquod.

II. Videamus homines & Angelos, omneſque naturæ varietates, qualitates, conditiones, facultates, affectiones, paſsiones, gratias, & priuilegia, quæ ſuprema prouidentia ſtabiliuit in multitudine innumerabili Intelligentiarum cæleſtium, & hominum, in quibus ita admirabiliter exercetur iuſtitia & miſericordia diuina, vt non poſsimus, (etiamſi vellemus nos cohibere) ingenti cum lætitia, plena venerationis &
Pſ. 100 v. 2. timoris amoroſi, laudes eius non decantare: *miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine: pſallam, & intelligam in viâ immaculata, quando venies ad me.*

Theotime, magnam habere debemus complacentiam, videndo quomodo Deus exerceat ſuam miſericordiam per tot diuerſos fauores & beneficia, quæ confert Angelis & hominibus tum in cælo, tum in terra; quomodo item exerceat ſuam iuſtitiam per infinitam varietatem pœnarum & caſtigationum: nam eius iuſtitia & miſericordia æqualiter ſunt amanda & deſideranda in ſemetipſis; ſiquidem ambæ iſtæ virtutes non ſunt aliud, quàm maximè vnica bonitas & diuinitas. Verùm in quantum effectus iuſtitiæ nobis ſunt aſperi, & amaritudine pleni, eos ſemper edulcat per intermixtionem eorum, qui ſunt miſericordiæ, & facit vt in medijs diluuij aquis iuſtæ indignationis oliua virens conſeruetur, & vt anima deuota, velut columba caſta, tandem poſſit eam inuenire, ſi tamen velit eam amoroſè meditari columbarum inſtar. Ita mors, afflictiones, ſudores, labores (quibus abundat vita noſtra) quæ iuſtâ Dei ordinatione ſunt pœnæ peccati, ſunt etiam, beneficio ſuauis eius miſericordiæ, radij & gradus ad aſcendendum in cælum, media ad proficiendum in gratia, & merita ad obtinendam gloriam. O beata paupertas, fames, ſitis, triſtitia, infirmitas, mors & perſecutio! ſunt enim hæc, mihi credite, iuſtæ punitiones noſtrorum delictorum, ſed punitiones taliter temperatæ, &, vt loquuntur medici, taliter aromatibus ſuauitatis, benignitatis, & clementiæ diuinæ conditæ, vt earum amaritudo

ſit

ſit perquam amabilis. Res mira, ſed vera, Theotime: ſi damnati non eſſent obſtinatione & odio, quod habent contra Deum, excæcati, in ſuis pœnis conſolationem inuenirent, viderentque diuinam miſericordiam admirabiliter mixtam flammis, quibus æternaliter aduruntur, ita vt ſancti conſiderantes vna ex parte horribilia & terrifica damnatorum tormenta, ex hoc iuſtitiam diuinam laudent & exclament: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum: Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ.* Pſ. 118 & 88.

At videntes ex parte altera has pœnas, quamuis æternas, & incomprehenſibiles, eſſe minores longè culpis & criminibus, ob quæ ijs inflictæ ſunt, obſtupeſcentes infinitam Dei miſericordiam: ò Domine, inquiunt, quàm bonus es tu, ſiquidem cùm iratus fueris, ita ſemper miſericordiæ recorderis, vt nequeas continere torrentes miſericordiarũ tuarum, quò minus aquas deriuatas ex ijs, effundas in impetuoſas inferni flammas! Vti bene dixit Habacuc: *Cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.*

III. Deinde redeamus in particulari ad nos ipſos, & innumera bona, tum interiora, tum exteriora intueamur; ſicut & infinitum propè maximarum pœnarum interiorum & exteriorum numerum, & ſeriem longiſsimam, quas diuina prouidentia nobis ſecundum ſuam ſanctiſſimam iuſtitiam & miſericordiam præparauit, & quaſi brachia noſtri conſenſûs aperientes, amplectamur & complectamur omnia iſta amanter, ſanctiſsimæ eius voluntati acquieſcentes, & cantantes Deo per modum hymni æternæ quietis: FIAT VOLVNTAS TVA, SICUT IN CÆLO ET IN TERRA. Ita Domine, fiat voluntas tua in terra, vbi nullo fruimur gaudio, quod permixtum non ſit dolore, nullas colligimus roſas ſine ſpinis, nullum habemus diem, quem non ſequatur nox, nullum ver, niſi præceſſerit hyems, in terra dico Domine, vbi conſolationes ſunt perraræ labores autem innumeri; ò Deus, tua nihilominus FIAT VOLVNTAS, non ſolùm in executione tuorum mandatorum, conſiliorum & inſpirationum, (quæ exequi debemus) ſed etiam in tolerantia afflictionum, & pœnarum, quas dum immittis, recipere de manu tua debemus, vt tua voluntas faciat per nos ex nobis &, de nobis, omne id, quod illi placuerit.

Vnionem noſtræ voluntatis cum beneplacito DEI *principaliter fieri in tribulationibus.*

CAPVT II.

Pœnæ in ſe ipſis conſideratæ minimè quidem poſſunt amari; ſed conſideratæ in ſua origine, id eſt in prouidentia & voluntate diuina, quæ eas ordinat & inmittit, infinitè ſunt amabiles & amandæ. Intuere VIRGAM MOYSIS, proiecta in terram, eſt ſerpens terrificus, eandem vide in manu Moyſis, eſt bacillus, qui patrat mirabilia. Intuere tribulationes, in ſemetipſis ſunt horribiles; in voluntate autem diuinâ, ſi conſideres, ſunt puri puti amores, & deliciæ ſpirituales. Quoties contingit, nos habere auerſionem contra remedia & medicamenta, dum ea nobis medicus vel apothecarius exhibet, quæ tamen oblata nobis per amicam manum, amore horrorem ſuperante; cum lætitia accipimus? Certè vel amor aufert aſperitatem doloris, vel ſenſum illius efficit amabilem. Dicitur in Boeotia eſſe fluuius, in quo piſces apparent aurei, verùm tolle eos de aquâ, quæ eſt locus eorum originis, habent colorem aliorum piſcium naturalem. Afflictiones ſunt tales, ſi eas reſpicimus extra DEI voluntatem, habent ſuam amaritudinem naturalem; at qui eas conſiderat in beneplacito æterno, omnino ſunt aureæ, amabiles, & pretioſiores, quàm dici poſſit. Si Abraham magnus ille Patriarcha vidiſſet neceſſitatem occidendi ſuum filium extra DEI voluntatem, cogita, Theotime, quantas pœnas, quot conuulſiones cordis eum ſufferre fuiſſet neceſſe; ſed videns illam in DEI beneplacito erat illi tota aurea, tenerè proinde eam amplectebatur. Si Martyres vidiſſent tormenta extra beneplacitum DEI, quomodo inter ferrum & flammam cantare potuiſſent? Cor etenim amoroſum amat diuinum beneplacitum, non ſolùm in conſolationibus, ſed etiam in afflictionibus; eò quòd ſit principalis virtus amoris, facere, vt amans patiatur pro amato.

Stoici, in particulari autem Epictetus, omnem ſuam Philoſophiam collocabant in duobus verbis, ABSTINERE, & SUSTINERE, ſeu quod idem eſt,

Digitized by Google

eſt, RELINQVERE & SVFFERRE, ABSTINERE & SVPERSEDERE, ſeu miſſas facere oblectationes, voluptates & honores terreſtres; ſuſtinere, & ſufferre iniurias, labores & incommoditates. At doctrina Chriſtiana, quæ vna ſola, & vera eſt philoſophia, habet tres Maximas, ſuper quas ſtabilit totum ſuum exercitium: ABNEGATIONEM ſui ipſius, quæ longè plus eſt, quàm abſtinere ab oblectationibus; FERRE CRVCEM ſuam, quod maius quid eſt, quàm ſufferre: SEQVI CHRISTVM, non ſolùm in eo, quod eſt renunciare & abnegare ſe ipſum & ferre crucem ſuam, ſed etiam in eo, quod eſt ipsâ praxi exercere omne genus bonorum operum. Sed tamen non tantùm amoris oſtenditur in abnegatione & in actione, quantùm in paſsione. Certè Spiritus Sanctus notat in ſacra Scriptura maximum Chriſti in nos amorem, in paſsione & morte, quam pro nobis acerbiſſimam ſuſtinuit.

I. Amare voluntatem DEI in conſolationibus, eſt bonus amor, quando in rei veritate amatur DEI voluntas, & non conſolatio, in qua eſt ipſa DEI voluntas: nihilominus eſt amor ſine contradictione, ſine repugnantia, & ſine vi ac violentia; nam quis non amaret voluntatem tam dignam, tamq; grato in ſubiecto hærentem!

II. Amare voluntatem diuinam in ſuis mandatis, conſilijs & inſpirationibus, eſt ſecundus gradus amoris primo longè perfectior; nam inducit nos ad nuncium remittendum propriæ voluntati, abſtinendumque & ſuperſedendum pluribus voluptatibus, licet non omnibus.

III. Amare paſsiones & afflictiones pro DEI amore, eſt altiſſimus ſanctiſsimæ charitatis gradus; nam in hoc nihil eſt amabile, quàm ſola voluntas diuina. Adhuc vna magna reſtat contradictio ex parte naturæ noſtræ, & ea verſatur non tantùm in derelinquendis omnibus voluptatibus, ſed etiam in complectendis omnibus tormentis & doloribus.

Dæmon probè ſciens vltimum perfectionis complementum ſitum eſſe in amore, vbi audiuit de ore DEI Iobum eſſe iuſtum & rectum, timentem DEUM, euitantem peccatum, firmumque in innocentia, parui omnia iſta fecit comparatione tolerandarum afflictionum, per quas vltimò probauit amorem magni huius Serui DEI. Quas afflictiones vt ſummè doloroſas efficeret, eas ex iactura omnium eius bonorum ex

Digitized by Google

interitu filiorum, ex derelictione amicorum; nec non ex arrogante contradictione præcipuorum eius familiarium, quin & propriæ Vxoris compoſuit. Fuit certè contradictio plena contemptuum, irriſionum, & exprobrationum. His iunxit ferè omnes infirmitates humanas, ſi natè autem plagam vniuerſalem, crudelem, fœtidam ac horribilem,

Et tamen ecce eximius Iob, velut Rex miſerorum totius terræ, ſedens ſuper fimetum, velut ſuper thronum miſeriæ, ornatus plagis, vlceribus, putredine, tanquam veſtimentis regalibus, præſentis ſtatui Regni conuenientibus, tanta cum abiectione, & annihilatione, vt niſi locutus fuiſſet, diſcerni & diiudicari non potuiſſet, an Iob eſſet Homo transformatus in fimum, an verò fimus eſſet putredo quædam in forma hominis. Ecce inquam eximius Dei amicus Iob clamat: *Si bona recepimus de manu DEI, cur & mala non accipiamus?* O quod & quale verbum amoris! cogitat, Theotime, de manu Dei bona ſe recepiſſe, teſtificans non tam ſe æſtimare bona eo nomine, quòd bona ſint, quàm quòd proueniebant de manu Saluatoris. Quod cum ita ſit, concludit ferendas amanter aduerſitates, ſiquidem eæ proficiſcantur de eadem Dei manu, quæ æquè amanda eſt, quando immittit afflictiones, ſicut quando elargitur conſolationes. Bona libenter omnes accipimus, ſed recipere mala, ſolius perfecti amoris eſt officium: qui amor eo nomine magis ea amat, quia ſolum ſunt amabilia; eò quòd de manu Dei procedant. Viator, qui timet, ne erret à recta via, ambulans dubius, it huc & illuc reſpiciens regionẽ, in qua eſt, & quaſi in quolibet campi termino moratur; conſiderans, an erret à via recta; verùm is, qui ſecurus eſt rectâ ſe gradi viâ, pergit alacriter, audacter, & feſtinanter: ita profectò qui vult rectâ voluntatem Dei adire, in ipſis etiam conſolationibus conſtitutus, ſemper timet, ne fallatur, ne ſe Dei beneplacitũ amare credat, dum proprias oblectationes quærit, capiaturq; in conſolationibus. Verũ amor, qui pergit rectâ per afflictiones ad Dei voluntatem, tutò graditur: nam cùm afflictio in ſe ipſa nullo modo ſit amabilis, procliue eſt credere eam non amari, niſi ob reſpectum eius manûs, ex qua prouenit. Canes tempore veris repente amittunt veſtigia, & odorem feræ, quæ tranſiuit; eò quòd herbæ & flores tunc ita protrudant & emittant efficaciter ſuos odores, vt ſuperet odorem cerui v.g, aut leporis. Durante conſolationum vere amor vix retinet cognitionem Dei beneplaciti, eò quod oblecta-

lectatio ſenſibilis conſolationis tot illicia & illecebras in cor jaciat, vt diuertatur, ac auertatur ab attentione, quam habere deberet ad DEI voluntatem. Cùm Chriſtus poteſtatem dediſſet S. Catharinæ Senenſi eligendi coronam auream, aut ſpineam, hanc illa elegit, velut magis conformem amori. Tuta eſt nota amoris, dicit beata Angela de Fuligno, quæ eſt, velle pati, & reipsâ pati; & Apoſtolus clamat, *ſe non gloriari niſi in cruce, in infirmitate & perſecutione*.

De vnione noſtræ voluntatis cum beneplacito diuino in afflictionibus ſpiritualibus per reſignationem.

CAPVT III.

AMor crucis facit nos libenter ſuſcipere afflictiones, exempli causâ, ieiunia, vigilias, cilicia, & alias carnis macerationes; & nuncium remittere delectationibus, honoribus & diuitijs: & amor quidem hiſce in exercitijs eſt totus, quantus oculis DILECTI acceptus. Tamen adhuc acceptior eſt, quando patienter, ſuauiter, & animo, ſi non lætiſsimo, ſaltem lubenti recipimus pœnas, tormenta & tribulationes propter diuinam voluntatem, quæ eas nobis immittit. Verùm amor tunc in ſua eſt excellentia, quando non ſolùm ſuauiter & patienter recipimus afflictiones; ſed ob eas nobis gratulamur, charas habemus, totoque corde eas amamus propter diuinum beneplacitum, à quo procedunt.

Porrò in omnibus tentationibus & aſſultibus perfecti amoris, ille, qui naſcitur ex quiete mentis, in tribulationibus ſpiritualibus, dubio procul eſt maximè perfectus, & conſummatus. Beata Angela de Fuligno admirandam facit deſcriptionem pœnarum interiorum, quibus aliquando eſt exercitata, dum dicit: *animam ſuam fuiſſe in tormento ſimili eius, quo quiſpiam pedibus & manibus ligatis eſſet ſuſpenſus per collum, & tamen non ſtrangularetur, ſed maneret in ſtatu hominis verſantis inter mortem & vitam abſque vlla ſpe ſuccursûs, non potentis ſe ſuſtentare ſupra pedes, neque ſe iuuare manibus, neque os aperire ad clamandum, neque etiam ſuſpirare, multò*

autem

autem minus queri & ingemiſcere. Ita eſt Theotime, anima eſt ſubinde ita preſſa afflictionibus interioribus, vt omnes eius facultates & potentiæ ſint obrutæ tum priuatione eorum omnium, quæ poſſent dolores lenire, tum apprehenſiõne & impreſsione eorum omnium, quæ inferre poſſunt triſtitiam. Ita vt ad imitationem ſui Saluatoris incipiat *& tædere, & pauere* deinde triſtari triſtitiâ ſimili hominis morientis: vnde recte dicere poteſt: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem:* & ex intimo cordis affectu deſiderat, petit & ſupplicat, *vt ſi poßibile eſt, tranſeat ab illa calix.* cum ei nihil ſuperſit præter ſupremum apicem intellectûs, qui apex affixus cordi & beneplacito diuino, dicit ſimplicisſimè acquieſcens diuinæ voluntati: *O Pater æterne, verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat:* In hoc autem ſitum eſt totius rei momentum, vt anima inter medias turbationes, contradictiones & repugnantias faciat iſtam reſignationem, quamuis facere ſe animaduertit, ita languidè videtur ſibi facere, vt æquè ſibi perſuadeat eam è corde nõ procedere; vel ſi aliquo modo procedit, non vti oporteret: ſiquidem id, quod tunc agitur pro Dei beneplacito, fit non ſolùm ſine gaudio, & interna animi ſatisfactione, ſed contra omnem cordis dulcedinem, & lætitiam earum omnium partium, quæ quoquo modo cor reſpiciunt; cui tamen cordi amor non denegat poteſtatem querendi, & lamentandi; & ad minus, vt queri poſſit quòd nequeat queri, imò ſinit, vt & Jobi & Jeremiæ omnes lamentationes depromat: ſed ea conditione, vt in eo ſtetur reſignationis decreto, quod ſemel conſtitutum eſt in fundo animæ, & in ſupremo, ac delicatiſsimo mentis apice. In quo decreto nihil eſt tenerum, nihil ſuaue, imò vix aliquid ſenſibile in eo deprehenditur; ſed totum tamen, quod in eo eſt, verum eſt, forte eſt, ac propemodum inexpugnabile, per quam autem amoroſum. Et videtur amor retraxiſſe ſe in extremitatem & vltimum mentis domicilium, velut in turrim fortiſsimam totius munitionis, in qua animoſus & imperterritus perſiſtit, quamuis omnis alia munitio, (eâ turri exceptâ) capta ſit, & ſummâ prematur triſtitiâ; quò autem amor in hoc ſtatu conſtitutus magis nudus eſt ab omni ſuccurſu, & derelictus ab omni virtutum & facultatum animæ auxilio & opere, eò conſtantior & fortior ad conſeruandam fidelitatem ſemel Deo datam, æſtimatur.

Vnio hæc & conformitas cum beneplacito diuino fit, vel per ſanctam

ctam reſignationem, vel per eximiam indifferentiam. Reſignatio autem exercetur per modum conatûs cuiuſdam & niſûs ſubmiſsionis; verbi gratia, animus quidem eſſet viuere, non autem mori, nihilominus quia DEI eſt beneplacitum, vt è mundo hoc ad alterum per mortem transſeatur, acquieſcit animus. Voluntas eſſet viuendi, ſi placeret DEO, & quod plus eſt, voluntas eſſet, vt placeret DEO prolongare vitam; ſubitur quidem mors libenter, magis tamen placeret vita, ſi ea concederetur: ſat quidem prompta eſt voluntas ad moriendum, ſed promptior & propenſior ad viuendum. Job in ſuis infirmitatibus & afflictionibus facit & exercet actum reſignationis: *ſi bona recepimus de manu DEI, quare mala non recipiamus?* id eſt, pœnas & afflictiones, quas nobis immittit. Vide, Theotime, quod loquatur de tolerantia, ſufferentia, & patientia, *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Sunt hæc verba inſignis prorſus reſignationis, & aduerſorum acceptationis per modum tolerantiæ & patientiæ.

De vnione noſtræ Voluntatis cum DEI beneplacito per indifferentiam.

CAPVT IV.

Reſignatio præfert quidem voluntatem DEI rebus omnibus, ſed amat multas alias res præter DEI voluntatem; indifferentia autem graditur ſupra reſignationem: nihil enim amat niſi propter voluntatem DEI, ita vt nulla res moueat cor indifferens præſente voluntate DEI. Certè cor quodcunque etiam maximè indifferens tangi poteſt & moueri aliquâ affectione, dum adhuc ignorat, vbi ſit DEI voluntas. Eliezer cùm perueniſſet ad fontem Haran, probè animaduertit virginem Rebeccam, pulchram nimis & amabilem eſſe, tamen manſit indifferens & indeterminatus, vſque dum per ſignum ſibi à DEO inſpiratum agnouit eam eſſe, quam DEUS præparârat filio Domini ſui Abraham. Tunc enim poſtquam bibiſſet ipſe & cameli eius, *protulit inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem;* Gē. 24. v. 22.

E contrario, ſi Jacob nihil amaſſet in Rachele, præter affinitatem Laban, ad quam Pater eum obligârat, tantùm amaſſet Liam, quantùm Rachelem, ſiquidem vtraque æqualiter erat filia Laban, & conſequenter Patris voluntas fuiſſet expleta in vna æque bene, atque in altera, ſed vltra voluntatem Patris, volebat etiam guſtui ſuo particulari ſatisfacere, ineſcatus pulchritudine & gratiâ, quæ Racheli inerat: vndè moleſtè ferebat, datam ſibi Liam in vxorem, à qua abhorrebat, accepit tamen licet inuitus, facta apud ſe reſignatione.

Cor indifferens non hoc modo ſe habet: nam ſciens, quod tribulatio, eſto ſit turpis, velut Lia altera, non ideò ceſſat eſſe filia, & quidem filia dilecta beneplaciti diuini; tantùm eam amat, quantùm conſolationem (quæ conſolatio tamen in ſe ipſa eſt gratior & acceptior) imò verò magis adhuc amat tribulationem, quia nihil videt in ea amabile, præter diuinæ voluntatis notam. Si ego non video niſi puram aquam, quid mihi curæ eſt ſi mihi ea porrigatur poculo aureo, aut vitreo ſiquidem aliud non ſum accepturus, quàm aquam? At mallem in vitro, eò quòd alium non habeat colorem, quàm habeat ipſa aqua, eumq; etiã in eo multò melius conſpiciam & diſcernam. Quid intereſt, quòd Dei voluntas mihi offeratur in tribulatione, vel in conſolatione, ſiquidem in vna æquè atq; in altera nihil video, neq; quæro aliud, quàm voluntatem diuinam: quæ in tribulatione tanto melius apparet, quia in ea nulla alia eſt pulchritudo, quàm æternum Dei beneplacitum?

Phil. 1. v. 23. Heroica, imò plus quàm heroica fuit incomparabilis ſancti Pauli indifferentia; *coarctor*, inquit, *e duobus; deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto, multò magis melius; permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* In quo eum imitatus eſt magnus ille Epiſcopus S. Martinus, qui cùm attigiſſet vltimos vitæ ſuæ terminos, flagrans deſiderio & amore fruendi Deo, minimè tamen intermiſit teſtificari ſe paratum ad vlteriores ferendos labores & onera pro ſalute ſui chari gregis, dum, decantatâ parte Pſalmi 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea, exultauerunt in DEUM viuum*; venit ad hanc exclamationem: *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo propter eos laborem, fiat voluntas tua.* Admiranda Apoſtoli indifferentia, admiranda & huius viri Apoſtolici reſignatio. Habebant paradiſum apertum, intrare poterant; videbant infinitas in terra difficultates & labores;

res; vtrique indifferens erat electio, & non niſi Dei voluntas erat, quæ poſſet dare ſacoma, & libramen eorum cordibus, ſeu, quod idem eſt, facere vt magis in vnam partem propenderent, quàm in alteram. Paradiſus illis non magis pariebat amorem, quam mundi miſeriæ, ſiquidem diuinum beneplacitum æqualiter eſt in illo, & in iſtis. Eorum labores & afflictiones ſunt paradiſus, ſi in illis Dei voluntas reperitur, paradiſus autem eſt labor & afflictio, ſi in eo non ſit Dei voluntas.

Nam ſicut dicit Regius vates, non petunt eſſe neque in cælo neque in terra, ſed ſolum cupiunt Dei beneplacitum complere: *O Domine, quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?*

Cor indifferens eſt velut globus cereus in manibus Dei, paratum ad recipiendas omnes ſimiliter impreſsiones æterni eius beneplaciti; cor ſine electione, æqualiter ad omnia diſpoſitum, excluſo omni obiecto propriæ voluntatis, præter Dei ſui voluntatē, cor inquam, quod non collocat amorem ſuū in rebus, quas vult Deus, ſed in ſola & vnica voluntate Dei, quæ illas vult. Vnde quando voluntas Dei eſt in pluribus reb⁹, eligit quocunque tandem pretio illam, in quam magis voluntas diuina propendet. Dei beneplacitum, eſt v. g. in matrimonio, & in virginitate, ſed quia magis eſt in virginitate, cor indifferens eligit virginitatem, eſto pro ea vita eſſet danda: vt factum videmus in chara ſpirituali filia S. Pauli, Beata Thecla; B. Agatha, & innumeris alijs. Dei voluntas eſt in obſequio præſtando pauperi, & diuiti, ſed aliquantulùm magis in præſtando pauperi, cor indifferens eliget ſeruire pauperi: voluntas Dei eſt in modeſtia exercitata inter cōſolationes, eſt in patientia etiam exercitata, ſed in tribulationibus, cor indifferens præfert hanc illi, quia plus in hac eſt de Dei voluntate, quam in illa. Breuiter, Dei beneplacitum eſt ſupremum animæ indifferentis obiectū. Proinde vbicunq; illud videt, *currit in odorem eius vnguentorum*, & ſemper quærit id, in quo magis eſt, poſtpoſitâ conſideratione cuiuſcunque alterius rei. Trahitur illa à diuina voluntate, velut ab amabiliſsimo aliquo vinculo, & quocunque vadit illa, hæc ſequitur: mauult infernum cum Dei voluntate, quàm paradiſum, eâ abſente. Quinimò præferret Infernum paradiſo, ſi ſciret, quòd in illo aliquantulum magis eſſet Dei beneplacitum, quàm in paradiſo. Ita vt ſi per imaginationem rei impoſſibilis ſciret ſuam damnatio-

nem aliquantulum magis eſſe Deo acceptam, quàm ſaluationem, derelictâ ſaluatione, curreret ad damnationem.

Quòd ſancta indifferentia extendat ſe ad omnes res.

Caput V.

Indifferentia debet exerceri in rebus omnibus, quæ reſpiciunt vitam naturalem, vt eſt ſanitas, infirmitas, pulchritudo & deformitas, debilitas & fortitudo: in rebus vitæ ciuilis; quales ſunt honores, dignitates, diuitiæ in varietatibus: item vitæ ſpiritualis, quales ſunt deſolationes, conſolationes, guſtus ſpirituales, ariditates in actionibus, & in aduerſis tolerandis. In ſumma, in omnibus omnino euentis. Job quantum ad vitam naturalem, fuit affectus generali vlcere vnius ex plagis horribiliorib⁹, quàm vlla vnquã viſa ſit: quantum ad vitam ciuilem; fuit irriſus, pro ſtulto habitus, nihili æſtimatus, & hoc à ſuis maximè proximis; in vita ſpirituali obrutus fuit languoribus, preſſuris, confuſionibus, anguſtijs, tenebris, & omnis omnino generis penè intolerabilibus, & internis doloribus, ſicuti eius querelæ & lamentationes fidem faciunt. Apoſtolus Paulus denunciat nobis generalem indifferentiam; *Vt nos exhibeamus ſicut DEI miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute DEI per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt ſeductores, & veraces, ſicuti qui ignoti & cogniti, quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.*

2\. Cor. 6. v. 4.

Vide amabò, Theotime, quomodo vita Apoſtolorum, ſecundùm corpus, plagis afflicta fuerit; ſecundùm animam anguſtijs; & ſecundùm mundum, infamiâ & carceribus. Et inter hæc omnia, ô Deus, qualis in eis inueniebatur indifferentia! dum eorum triſtitia ſpirat lætitiam, paupertas abundantiã, eorum mortes vitales ſunt: eorum opprobria & dedecora ſunt honoris trophæa, id eſt gaudent ſe eſſe triſtes, ſuiſ ijs pau-

ijs paupertas eſt theſaurus, fortes ſunt & alacres inter mortis pericula; gloriantur quòd viles habeantur, eò quòd talis ſit DEI voluntas.

Et quia eorum vita magis erat nota in tolerandis aduerſis, quàm in actionibus aliarum virtutũ, ponit exercitiũ patientiæ primo loco, dicens: *In omnibus noſmet ipſos exhibeamus, ſicuti DEI miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,* & tandem in fine, *in caſtitate, in prudentia & longanimitate.* Ibid. ad Corin.

Sic noſtræ Salutis vindex Chriſtus incomparabiliter afflictus fuit, in VITA ſua CIVILI, condemnatus, vt criminis læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ reus, percuſſus, flagellatus, irriſus, cruciatus, & affectus omni ignominiâ.

In VITA autem NATVRALI mortuus eſt inter crudeliſsima, & maximè ſenſibilia tormenta, quæ quis vix ſibi imaginari poſſet; at in VITA SPIRITVALI perferens triſtitias, timores, terrores, anguſtias, deſolationes, & oppreſsiones interiores, quales nunquam fuerunt, nec futuræ ſunt aliquando: nam etſi ſuprema eius animæ portio maximè læta fuerit de ſuâ æternâ gloriâ, tamen quia amor impediebat ne gloria iſta ſuas diffunderet delicias in ſenſus, in imaginationem, & in rationem inferiorem: totum eius cor expoſitum erat fluctibus & anguſtijs triſtitiæ.

Ezechiel *Vidit ſimilitudinem manûs emiſſæ, & apprehendentis ſe in cincinno capitis, & eleuauit eum Spiritus inter cælum & terram.* Chriſtus Saluator noſter eleuatus etiam in arborem crucis inter cælum & terram, non tenebatur (vt videtur) manu Patris, niſi per apicem & ſummitatem ſpiritûs: &, vt ita dicam, non niſi per vnicum capitis ſui crinem, qui crinis tactus ſuaui Patris æterni manu eximiâ & maximâ felicitatis affluentiâ perfundebatur, reliquis omnibus alijs in abyſſo triſtitiæ & tædij hærentibus. Hinc eſt, quòd exclamet: *DEVS meus vt quid dereliquiſti me?* Ezech. 8. v. 3.

Dicitur piſcis quidam, qui appellatur laterna maris, dum maximè ſæuiunt tempeſtates, tenere linguam extra vndas maris; quæ lingua ita eſt lucida, ita radijs & copiâ luminis fœcunda, vt loco Phari & facis ſit nautis in ipſo mari nauigantibus. Ita in medio paſsionum & fluctuum ſæuientis maris, quibus Chriſtus fuit obrutus, omnes eius animæ facultates abſorptæ & ſepultæ manſerunt; excepto ſolo apice animæ & ſpiritûs,

tûs, qui exemptus omnibus doloribus & cruciatibus, totus quantus reſplendebat claritate gloriæ & felicitatis æternæ. O quàm felix & beatus eſt amor, qui regnat in apice & ſummitate ſpiritûs fidelium, quàmdiu ſunt inter vndas interiorum tribulationum!

De praxi indifferentia amoroſæ in rebus ſpectantibus ad ſeruitium diuinum.

Capvt VI.

Vix aliter cognoſcitur beneplacitum diuinum, quàm per euentũ; quamdiu autem nobis eſt incognitum, tamdiu adhærendum eſt quàm poſſumus fortiſsimè voluntati Dei, nobis manifeſtatæ & ſignificatæ: ſed ſimulatq; beneplacitum illud diuinæ Maieſtatis innoteſcit, oportet ſtatim & amanter eius obedientiæ adhærere, ſeque ſubijcere.

Mater mea, vel ego ipſe (nam perinde eſt) affixus ſum lecto ex infirmitate, & neſcio ego an Dei ſit voluntas, vt infirmitatem iſtam mors ſequatur. Scio tamen perbellè quod præſtolans euentum, quem eius beneplacitum ordinauit, per voluntatem declaratam velit, vt omnia conuenientia remedia adhibeam ad ſanitatem recuperandam: adhibebo igitur fideliter nihil obliuiſcens, nihil omittens eorum, quæ quoquo modo habere potero ad obtinendam ſanitatem. Verùm ſi Dei beneplacitũ ſit, vt morbus victor euadens contra omnia adhibita remedia, mortem tandem inferat, ſimulatque certior factus fuero per euentum ſecutum, acquieſcam perquàm ſuauiter & amoroſè in ſupremo apice mentis meæ, gratis repugnantibus omnibus inferioribus potentijs animæ. Ita mi Domine Iesv, libenter eam accepto (dicam ego) quia ita tibi placuit, ita & mihi placet, qui ſum minimus ſeruus tuæ voluntatis.

Verùm ſi beneplacitum diuinum mihi eſſet declaratum ante euentum illius, vti declaratus fuit S. Petro, Chriſti in terris Vicario modus, quo erat moriturus: Sancto item Paulo vincula & carceres, Hieremiæ

deſtru-

Digitized by Google

deſtructio ciuitatis Hieroſolymitanæ; Dauidi mors nati ſibi filij: tunc oporteret in inſtanti vnire noſtram voluntatem voluntati diuinæ, exemplo magni Patriarchæ Abraham; & ſicut ille arripuit, ſi nobis eſſet præceptum, arripere et nos deberemus executionem æterni decreti, etiamſi illud eſſet de morte noſtrorum filiorum. Admiranda prorſus fuit vnio huius eximij Patriarchæ cum Dei nutu, qui credens eſſe beneplacitum Dei, vt ſacrificaret filium, voluit facere; quin & hoc ipſum aggreſſus eſt forti & generoſo animo: admiranda etiam vnio filij, qui ſe tam benignè gladio paterno ſubiecit, vt ſaluum maneret Dei beneplacitum, morte propriâ interueniente.

At, notes velim, Theotime, tractum & ductum penicilli perfectæ vnionis cordis indifferentis cum diuino beneplacito. Vide Abraham manu tenentem gladium, eleuantem brachia, & iamiam vibraturum ictum, quo mortem filio inferat vnico: & quidem id facit ad placendum voluntati diuinæ. Vide & eodem tempore Angelum, qui ex parte & nomine Dei miſſus ictum prohibet: vt ſubitò is æqualiter paratus eſt ad eundem ictum cohibendum, vel vibrandum, quo Iſaacum filium Deo ſacrificet. Quid multis? Abrahamo vita, & mors filij eſt indifferẽs cõſiſtenti in præſentia voluntatis diuinæ. Quando Deus præcipit ei ſacrificare filium, non contriſtatur, quando in eo diſpenſat, non afficitur lætitiâ: omnia paria ſunt magno illi animo, dummodo obſequium præſtetur diuinæ voluntati.

Ita, Theotime, perſæpe Deus, vt nos in ſancta iſta indifferentia exerceat, inſpirat nobis res multùm ſublimes, quarum non ideò vult ſucceſſus: & tunc, ſicut fiducialiter, animosè & conſtanter res illas incipere, & proſequi debemus quantum valemus; ita ſuaui & magnâ cum tranquillitate illi euento, quod placuit Deo nobis dare, acquieſcere. Sanctus Ludouicus per Dei inſpirationem tranſmiſit mare ingenti & potenti cum exercitu, ad terram ſanctam recuperandam; ſucceſſus fuit contrarius, ei tamẽ ſuauiter acquieuit. Pluris facio tranquillitatem animi in acquieſcendo Dei voluntati, quàm magnanimitatem in exequendo propoſito. Sanctus Franciſcus proficiſcitur in Ægyptum, vt ibi vel conuertat infideles, vel inter eos glorioſus Martyr occumbat. Talis fuit Dei voluntas. Redijt tamen nullo iſtorum executioni mandato: & talis etiam fuit Dei voluntas. Fuit ſimili modo Dei voluntas, vt S.

Digitized by Google

vt S. Antonius de Padua deſideraret fieri martyr, nec tamen id obtineret. S. & glorioſus Ignatius de Loyola, cùm tot laboribus & ſolicitudinibus erexiſſet Societatem, Jesu nomine inſignitam, ex qua videbat tot & tam inſignes prodire fructus, & præuidebat in futurum adhuc inſigniores prodituros, auſus eſt nihilominus Deo fidens promittere futurum, vt, ſi ea diſsiparetur, & velut glacies æſtiuo & meridiano ſoli expoſita (quod tamen acerbiſsimum fuiſſet infortunium, quod is ſubire potuiſſet) diſſolueretur, intra mediam horam ad tranquillitatem rediret, & Dei voluntati acquieſceret. Doctus comprimis & S. Prædicator Andaluſiæ, Ioannes Auila, cùm propoſuiſſet erigere Societatem proborum Sacerdotum ad promouendum cultum, & ſeruitium gloriæ Dei, in quo iam magnum videbat progreſſum, vbi vidit Societatem Iesu in campum prodiiſſe: quæ ei viſa eſt pro eo tempore ſufficere; ſubitò magnâ cum ſuauitate & inſigni cum humilitate à ſuo deſtitit propoſito. O quàm felices ſunt tales animæ, audaces & ſimul fortes ad aggrediendum id, quod Deus illis inſpirat, humiles ſimiliter & faciles ad id ipſum deſerendum, quando Deus ita diſponit! Sunt iſti ductus & tractus comprimis, perfectæ & inſignis indifferentiæ, ceſſare ab opere etiam bono, quando Deo ita videtur, & velut è medio itinere nos facit retrocedere, quia diuina eius voluntas, quæ dux & auctor nobis eſt, ita ordinat. Certè Jonas Propheta, non ſine iniuria in Deum, triſtabatur, quòd ipſe Deus, Jonæ iudicio, ſuam non compleret Prophetiam, dum Niniuitas reliquit impunitos. Hic Jonas fecit Dei voluntatem, dum annunciauit Niniuitis ſubuerſionem, ſed immiſcuit proprium ſuum commodum & voluntatem cum Dei commodo, & voluntate. Hinc eſt quòd quando vidit Deum non exequi ſuam prædictionem iuxta rigorem verborum, quibus vſus fuerat annunciando, indignatus ſit, indigneque contra Dominum murmurauerit. Quod ſi pro ſolo motiuo ſuarum actionum habuiſſet beneplacitum diuinæ voluntatis, tàm contentus fuiſſet videndo eam completam in remiſsione pœnarum, quas Niniuitæ promeriti erant, quàm videndo eidem beneplacito ſatisfactum fuiſſe in punitione culpæ, quam commiſerant Niniuitæ. Volumus nos, vt id, quod aggredimur, & tractamus ad nutum nobis ſuccedat, & minimè aduertimus non eſſe rationi conſentaneum vt Deus omnia faciat ad noſtrum libitum: ſi velit vt ciuitas Niniuitarum minis terreatur, non autem vt euertatur, quia minæ ſuf-

Digitized by Google

næ ſufficiunt ad eam corrigendam; quid habet Jonas quod queratur?

Dices, hoc ſi ita ſe habet, cur quicquam deſideremus & in effectum dare conemur, & non potiùs omnia euentis committamus? Sit verbo venia, Theotime, non oportet quicquam obliuioni tradere, aut omittere ex omnibus ijs, quæ requiruntur, vt omnia (quæ Deus nobis committit) bene ſuccedant, eâ tamen conditione, vt ſi euentum fuerit contrarium noſtris votis, illud nihilominus omni cum ſuauitate & tranquillitate animi recipiamus. Tenemur enim ex præcepto nobis dato magnam curam & ſolicitudinem gerere rerum, quæ Dei gloriam reſpiciunt, & nobis commiſſæ ſunt; non autem euenti, quia illud non eſt in noſtra poteſtate. *Habe curam illius*, dictum eſt Stabulario in parabola, de miſero illo homine ſemimortuo, & relicto à Latronibus inter Hieruſalem & Hiericho: non autem dictum eſt, vt notat S. Bernardus, (*eum ſana*) *ſed, curam illius habe*. Ita Apoſtoli maximo cum affectu primùm Judæis prædicârunt, eſto ſcirent eos tandem à ſe penitus deſerendos, velut terram infructuoſam, *& conuerſuros ſe ad Gentes*. Noſtrum eſt *plantare*, prout decet, & *rigare*, ſimiliter, *at incrementum dare*, ſolius eſt Dei.

Magnus Pſalmiſta Dauid ad Saluatorem hanc facit orationem, quæ eſt velut acclamatio ad lætitiam excitandam: necnon præſagium quoddam futuræ victoriæ; *accingere*, inquit, *gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: ſpecie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede & regna*. Quaſi vellet dicere: per iacula ſanctiſsimi tui amoris immiſſa in mortalium corda, te eorum Dominum facito, vt eos iuxta tuum lubitum ac beneplacitum tractes, flectaſque, quo libuerit, vti tractatur & ducitur equus bene domitus, ac inſigniter inſtructus. O Domine, tu es eques ille regalis, qui omnes fidelium tuorum ac amantium mentes vertis, quò lubet: & quandoque laxatis habenis, & calcaribus adhibitis vehementius impellis ad currendum vias mandatorum tuorum, quæ tu illis inſpiras: quando verò animo ſic ſedet tuo, eoſdem ſubſiſtere facis in medio ſtadij, & hoc poſtquam maximè currere cœperant. Pſ. 44. v. 4.

Sed rurſum, dices, ſi res incepta per inſpirationem perit culpâ eorum, quibus commiſſa erat, qui tunc dici poteſt acquieſcendum eſſe Dei voluntati? nam, dicet aliquis, non eſt Dei voluntas, quæ obicem ponit tali euento, ſed culpâ meâ id euenit, cuius culpæ voluntas

Digitized by Google

tas diuina non poteſt eſſe cauſa. Verum eſt, fili mi, tua illa culpa non euenit per Dei voluntatem: is enim auctor non eſt peccati; eſt tamen Dei voluntas, vt culpam tuam & peccatum ſequatur omiſſio rei inceptæ, & hoc in punitionem tuæ culpæ & peccati. Nam licet eius bonitas non poſſit permittere, vt velit peccatum, eius tamen iuſtitia facere poteſt, vt velit pœnam, quam tu ſuſtines. Ita, Deus non fuit cauſa, quod peccauit Dauid, ſed ei inflixit pœnam peccato debitam. Non fuit item cauſa peccati Saulis, ſed bene, quod in pœnam peccati, victoriam, quam in manibus habebat, perdiderit.

Quando igitur propoſita ſecundum Deum facta contingit in pœnam peccatorum non ſuccedere, oportet æqualiter per ſolidam pœnitudinem deteſtari culpam, & acceptare pœnam, quæ nobis infligitur. Nam ſicut peccatum eſt contra Dei voluntatem, ita pœna inflicta eſt ſecundum illam.

De indifferentia, quam in praxim deducere debemus in eo, quod promouet noſtrum in virtutibus progreſſum.

Capvt VII.

Mandauit Devs, vt faciamus quod in nobis eſt ad acquirendas virtutes; nihil igitur obliuiſcamur, nihil omittamus, quò minus ſanctum hoc cœptum proſequamur, vſquedum feliciter illud ad exitum perducamus. Attamen poſtquam plantauerimus & irrigauerimus illud iuxta noſtras vires, intelligamus oportet ſolius Dei eſſe, dare incrementum arboribus bonarum noſtrarum propenſionum & habituum, vnde fructus noſtrorum deſideriorum & laborum à diuina prouidentia expectandi ſunt.

Quod ſi non ſentiamus progreſſum & profectum animarum noſtrarum in vita deuota & Religioſa, qualem nos vellemus, ne turbemur ob id, ſed in pace nos conſtituamus hoc vnum curantes, vt animi tranquillitas ſemper regnet in nobis. Noſtrum quidem eſt accuratè animas

noſtras

Digitized by Google

noſtras excolere, & vni huic rei fideliter vacare: verùm quantum ad abundantiam capturæ, & copiam meſsis colligendæ attinet, id Deo erit curæ. Agricultor nunquam reprehendetur ſi non habeat meſſem abundantem; ſed bene, ſi deprehendatur negligenter laboraſſe, terraſq; ſuas minus accuratè ſeminaſſe. Ne ergo inquietos nos reddamus, eſto nos ſemper Nouitios & Tyrones in exercitio virtutum deprehendamus; nam in monaſterijs Religioſorum bene inſtitutorum quilibet ſemper ſe Nouitium æſtimat, cùm tota eorum vita deſtinata ſit probationi. Vnde quilibet longè euidentiorem notam habet æſtimandi ſe non ſolùm Nouitium, ſed expulſione & reprobatione dignum, quàm cogitandi & reputandi ſe neſcio pro quo Religioſo in omni virtutum genere conſummato. Nam iuxta regulam illius Ordinis, in quo es, non ſolennitas, ſed adimpletio votorum facit Nouitios profeſſos: porrò vota nunquam ſunt adimpleta, quamdiu aliquid ſupereſt faciendum pro perfectâ eorum obſeruantiâ: quia ſcilicet obligatio Deo ſeruiendi, & progreſſum faciendi in eius amore, ad mortem vſque perdurat. At verò, dicet mihi quiſpiam: ſi noui meâ culpâ fieri, quòd retarder in profectu virtutum acquirendarum, quî potero me cohibere, ne triſtitiâ afficiar, neue inquietudine mouear? Explicaui hoc in Introductione vitæ deuotæ, ſed haud inuitus repetam, ſiquidem nunquam id ſatis explicari poteſt. Affici oportet ob commiſſa peccata triſtitiâ, ſed id beneficio fortis, conſtantis, ſedatæ & tranquillæ pœnitudinis; non debet enim hæc pœnitudo eſſe turbulenta, inquieta, & abiecta. Noſti retardationem tuam in via virtutum, tuâ ex culpâ proueniſſe? Tu te coram Deo humilia, eius miſericordiam implora, coram eius bonitatis facie te proſterne, veniamque ſupplex poſce, peccatum tuum confitere, illudque tibi remitti proſtratus humi ante faciem eius bonitatis ora; quin & in aurem tui Confeſſoris, ad abſolutionem recipiendam, inclina. His ſic peractis, eſto quietus, & poſtquam offenſam toto corde deteſtatus fueris, te ipſum humilia, quòd tam lentè progrediaris in ſtadio virtutum. Eheu! mi Theotime, animæ, quæ ſunt in purgatorio, dubio procul ſunt propter ſua peccata, quæ & deteſtatæ ſunt, & adhuc ſummè deteſtantur; quantùm autem ad obiectionem & pœnam quæ ab eis adhuc luenda eſt, dum eo in loco detinentur, & ad tempus priuantur fruitione beatitudinis attinet, expectant, & patiuntur illam libenter &

amanter, deuotéque pronunciant Canticum iustitiæ diuinæ: *juſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Expectemus igitur & nos in patientia profectum noſtrum, & loco, quo nos inquietaremus, quòd tam parum hactenus præſtiterimus, procuremus cum patientia poſthac multum præſtare.

Intuere obſecro, bonam quampiam animam, quæ deſiderauerit vehementerque conata fuerit ſe exorbitante cholerâ exuere & liberare; quomodo eo in conatu illi Deus fauerit, gratiaque ſua adfuerit: nam eam ita exemit ab omnibus illis peccatis, quæ originem habent ex nimia cholera, vt vellet iam potius ſubire mortem, quàm vel vnicum iniurioſum verbum dicere, vnicumue telum odij eiaculari: nihilominus adhuc eſt ſubiecta & obnoxia aſſultibus & primis motibus iſtius paſsionis: quæ ſunt quædam ejaculationes, euibrationes, concuſsioneſque cordis; ſaltus quidam, ſeu repentinæ eruptiones cordis irritati: quas Paraphraſis Chaldaïcâ vocat motiones, dicẽs: *moueamini, & nolite velle peccare*; vbi ſacra noſtra verſio habet: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Quod reipſa, in idem recidit: nam Propheta nihil aliud intendit dicere, quàm, ſi cholera repentina nos inuadat, excitans in noſtro corde primos motus choleræ, caueamus diligenter, & ne ſinamus nos ab iſta paſsione vlterius abripi ac poſſideri, quia ſi ſecus agamus, ſine peccato non ſumus. Quamuis autem iſtæ primæ euibrationes & motiones non ſint vllo modo peccatum, nihilominus paupercula anima, quæ ſæpe tacta eſt, turbatur, affligitur, inquietatur, & credit ſe bene facere admittendo triſtitiam, quaſi eſſet ipſe Dei amor, qui ad huiuſmodi effectus prouocaret: & interim, Theotime, non eſt amor cæleſtis, qui turbas iſtas ciet, (nam non indignatur niſi propter peccatum) eſt autem proprius noſter amor, qui vellet exemptos nos à pœnis & afflictionibus, quas inſultus iræ nobis inferunt. Non eſt culpa, quæ nobis diſplicet in iſtis motibus choleræ: nam nullum omnino, propriè loquendo, ijs ineſt peccatum; quod autem nos affligit & inquietat, eſt labor, & difficultas, quam experimur in reſiſtendo motibus.

Rebelliones appetitûs ſenſualis, tam in ira, quàm in concupiſcentia relictæ ſunt in nobis pro exercitio virtutis, vt ijs reſiſtendo fortitudinem ſpiritualem exercere valeamus. Sunt eæ rebelliones Jebuſæo ſimiles, quem veri Iſraëlitæ ſemper debent oppugnare, nunquam

autem

Digitized by Google

autē valent omnino proſternere, & è finib⁹ ſuis eliminare: poſſunt quidē illum debilitare, ſed non omnino in nihilum redigere. Nunquam moritur ille, niſi nobiſcum; quia viuit ſemper nobiſcum. Et profectò negari non poteſt, execrabilis & deteſtabilis hoſtis: quia oriundus eſt ex peccato, & perpetuò tendit ad peccatum. Vnde quemadmodum vocamur terra, quia de terra extracti ſumus, & in eandem reuertimur, ita rebellio hæc, ab Apoſtolo vocatur peccatum, vt proueniens ſcilicet ex peccato, & ad peccatum ſemper tendens, eſto nullo modo nos reddat culpabiles, & peccato obnoxios, niſi illi obſecundemus & obtemperemus. Hinc eſt quòd idē Apoſtolus nos monet, vt ita agamus, *Vt malum non regnet in noſtro mortali corpore ad obediendum illi*, multò minus ad illud concupiſcendū; non prohibet tamen ne ſentiamus peccatum, ſed ne illi conſentiamus; non præcipit, vt impediamus peccatum, quo minus veniat in nos, & in nobis ſit, ſed iubet, ne ſinamus illud regnare in nobis. Eſt autem in nobis quando ſentimus rebellionem appetitus ſenſualis, ſed non regnat in nobis, niſi quando nos ei conſentimus. Medicus nunquam præſcribit vel ordinat vt febricitans v. g. ſitim non habeat, quia hoc eſſet nimis impertinens & abſurdum, ſed ſolùm illi dicit, vt abſtineat à potu, eſto vrgeat ſitis. Nunquam dicetur mulieri prægnanti ne appetat comedere res inſuetas, & extraordinarias: nam hoc non eſt in eius poteſtate, ſed bene ei dicetur, vt ſuos cohibeat & liget appetitus, vt, ſi ſint res, quæ ei noceant, eius imaginatio ab ijs diuertatur, & ne talis phantaſia in eius regnet cerebro.

Stimulus carnis, Satanæ prænuncius, acriter pungebat S. Paulum, vt eum præcipitaret in peccati barathrum. Totus afflictus Apoſtolus id ferebat, tolerabatque velut pudendam & infamem iniuriam. Hinc eſt quòd dicat ab eo ſe colaphizari, ſed ſimul Deum orare, vt ab eo ſe liberet; verū audit ab ipſo ſibi reſponderi: *Paule, ſufficit tibi gratia mea, nam Virtus in infirmitate perficitur*: Reſponſioni huic acquieſcens Apoſtolus dicit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, Vt inhabitet in me Virtus Chriſti*. 2. Cor. 12. v. 7. Verùm, amabò, nota quòd, rebellione ſenſuali exiſtente in admirabili hoc vaſe electionis, recurrat is continuò ad remedia orationis; docens nos per eadem pugnare debere contra tentationes, dum eas ſentimus. Nota inſuper, quòd quando Dominus permittit crudeles iſtas rebelliones in homine, non ideò eum illas ſemper permittere ad puniendum

 aliquod

Digitized by Google

aliquod peccatum, ſed ad fortitudinem & virtutem auxilij gratiæ diuinæ manifeſtandam. Tandem aduerte, nos nón ſolùm non debère inquietos fieri, & turbari in noſtris tentationibus & infirmitatibus, ſed potius gloriari, quòd infirmi ſimus, vt virtus diuina ſit in nobis, ſuſtentans noſtram infirmitatem contra conatus aduerſæ ſuggeſtionis & tentationis. Nam glorioſus hic Apoſtolus infirmitates vocat ſuos motus inutiles, & ſtolones, ſeu, quod idem eſt, ſtolidas fruticationes iniquitatis quas ſentiebat, & in illis gloriabatur, eò quòd, etſi eas ſentiret ex ſua miſeria, eaſdem tamen vincebat Dei miſericordiâ.

Certè, vt ſupra dixi, Eccleſia condemnauit errorem quorundam ſolitariorum, qui dicebant nos in hoc mundo poſſe perfectè liberari & eximi à paſsionibus iræ, concupiſcentiæ, timoris, & alijs ſimilibus. Vult Deus nos habere hoſtes, vult idem vt eos generosè repellamus. Viuamus igitur magno & excelſo animo, inter vtramque Diuinam voluntatem; toleremus cum patientia, quòd inuadamur, conemurque magnâ cum ſtrenuitate nos inuadentibus reſiſtere.

Quomodo vnire debeamus noſtram voluntatem DEI voluntati in permiſſione peccatorum.

Caput VIII.

Deus ſummè odit peccatum, & nihilominus illud ſapienter permittit: quo facto & ſinit creaturas ratione præditas iuxta conditionem ſuæ naturæ agere; & bonos commendatione reddit digniores; dum potentes violare legem, minimè eam violant. Adoremus igitur & benedicamus ſanctam iſtam permiſsionem. At, ſiquidem prouidentia diuina, quæ permittit peccatum, illud infinitè odit, nos quoque cum illo id deteſtari, & odio pluſquàm Vatiniano proſequi oportet, deſiderantes totis viribus, vt peccatum permiſſum nunquam euadat in commiſſum: & conformiter operantes huic deſiderio, nos totos adhibendis remedijs, quæ ortum, progreſſum & regnum prohibeant, impendamus. Et hoc ad imitationem noſtri Seruatoris, qui non ceſſat nos exhortari ad pugnam, promittere victoriam, minari pœnam, prohi-

prohibere lapſum, præcipere cuſtodiam,& optima quæque inſpirare remedia, vt quantum fieri poteſt voluntatem noſtram auertamus à peccato, ſaluâ tamen ex parte illius libertate.

Verùm commiſſo iam peccato, quicquid poſſumus, tentemus ad illud quamprimùm eliminandum: quod faciendo imitabimur Chriſtum Dominum, qui dixit Carpo, vt iam ante, notatum eſt, ſi eſſet neceſſe, denuo mortem libenter ſubiturum, vel ad vnicam ſolùm animam liberandam à peccato. Quodſi peccator permaneat obſtinatus in ſuo peccato, ploremus, Theotime, ſuſpiremus, & pro eo preces fundamus cum animarum noſtrarum Saluatore, qui cùm perſæpè, imò totâ ſuâ vitâ fleuiſſet ſuper peccatores, & ſuper eos, qui illos repræſentabant, tandem in cruce oculos habens coopertos lacrymis, totumque corpus perfuſum ſanguine, deflens perditionem peccatorum, mortuus eſt. Affectio iſta ita ad viuum tetigit Dauidem, vt paſſus deliquium, conciderit animo; eũ audi: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuã.* Pſ. 118 v. 53. Et Apoſtolus proteſtatur, *ſibi magnam eſſe triſtitiam*, & continuum dolorem cordi ſuo, propter Judæorum obſtinationem, pro quibus optabat anathema eſſe à Chriſto, modò veritatem agnoſcerent.

Interim, quantumuis ſint obſtinati peccatores, deſperare tamen non debemus de eorum conuerſione & ſalute, ſed omni ope eos adiuuare, & pijs proſequi obſequijs: neſcimus enim an non venturi ſint ad pœnitentiam, & futuri hæredes beatitudinis æternæ. Felix ille qui dicere poteſt ſuis proximis, ſicut dixit Paulus: Actor. 20. v. 31 *Per triennium nocte & die non ceſſaui, cum lacrymis monens vnumquemq; veſtrum.* Ac proinde mundus ſum à ſanguine veſtro, quia non intermiſi annunciare vobis Dei beneplacitum. Quamdiu peccator manet intra terminos & limites ſpei, poteſt ſe emendare; ſemper autem manet, quamdiu vita illi manet. Non oportet proinde vnquam eum reijcere, ſed pro eo Deum orare eique ſubuenire, quãtum eius infelicitas permittit.

Sed tandem poſtquam fleuimus ſuper obſtinatos, & debitæ charitatis officium eis præſtitimus, tentantes an poſſemus à perditionis barathro eos retrahere, imitari oportet Chriſtum & Apoſtolos, id eſt auertere animum noſtrum ab illis, & transferre ad alia quæ Dei gloriam promoueant. *Oportebat*, dicebant Apoſtoli ad Judæos, Act. 13 v. 46. *vobis primum loqui verbum DEI, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce*

conuer-

conuertimur ad Gentes: tolletur, inquit Chriſtus, à vobis Regnum DEI, & dabitur genti fructum facienti. Nec enim tantum temporis in illis deflendis terendum eſt, vt proprium & requiſitum tempus aliorum ſaluti procurandæ ſubtrahatur. Apoſtolus certè dicit, ſe continuum habere dolorem propter perditionem Judæorum; CONTINVVM dicit, ad eum modũ quo dicimus, omni tempore benedicendum eſſe Domino: nam hoc nihil aliud ſibi vult, niſi vt frequenter & omni occaſione benedicamus. quod glorioſus Apoſtolus per *continuum dolorem* indicare volebat, dum omni datâ occaſione Judæorum deflebat infortunium.

Cæterùm oportet ſemper DEI noſtri iuſtitiam vindicem, & vltricem adorare, amare & laudare, ſicuti adoramus, amamus, & laudamus eius miſericordiam, quia ſcilicet vtraq; eſt filia eius bonitatis. Nam per gratiam ſuam nos vult facere bonos, ſicut ipſe bonus eſt, imò ſummè bonus; per iuſtitiam autem vult caſtigare peccatum: eò quòd illud ſummè odit: odit autem, quia cùm ſit ille ſummè bonus, etiam malum quod eſt iniquitas, ſummo odio inſectatur.

Nota autem, Theotime, pro concluſione, DEUM nunquam ſuam à nobis retrahere miſericordiam, niſi interueniente æquiſſimâ vindictâ iuſtitiæ; nunquam etiam nos aliter euadere & effugere poſſe rigorem iuſtitiæ, quàm per miſericordiam iuſtificantem; & ita ſemper, vel muniens, vel gratum faciens eius beneplacitum eſt adorandum, amandum; æternaque benedictione deprædicandum. Atque ita iuſtus, qui decantat nunc miſericordiæ laudes pro ijs, qui ſaluandi ſunt, idem gaudiò exultabit, quando videbit de damnandis ſumi vindictam; Beati læto & alacri animo approbant iudicium damnationis reproborum, ſicuti illud, quòd feretur pro ſalute electorum; quin & Angeli, qui exercuerunt charitatem aduerſus mortales, qui ſuæ curæ & fidei commiſſi fuerunt, magnâ perfruentur pace, videntes illos obſtinatos, vel etiam damnatos. Oportet igitur voluntati diuinæ acquieſcere, & æquali reuerentiâ & dilectione oſculari manum dextram eius miſericordiæ, & ſiniſtram iuſtitiæ.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo puritas indifferentiæ ad praxin ſit deducenda in actionibus ſacri Amoris.

Capvt IX.

EXcellentiſsimus quidam totius vniuerſi Muſicus, teſtudinis pulſandæ ſcientiſsimus, intra breue tempus ita auditûs fecit iacturam, vt ne minimum retinuerit; retinuit autem habitum cantandi & teſtudinem ita delicatè pulſandi, vt omnes, qui eum audiebant, obſtupeſcerent. Verùm quia nullam habebat delectationem, neque ex cantu, neque ex teſtudinis ſono, quippe auditu priuatus, non poterat aduertere vllam ſuauitatem, aut iucunditatem; non amplius cantabat, neque in teſtudine ludebat, niſi ad recreandum ſuum Principem, cuius naturalis erat ſubditus, & cui placere etiam naturali inclinatione ſtudebat! Eam autem inclinationem comitabatur infinita erga eum obligatio, & maximè quòd à ſua iuuentute apud illum educatus fuerit. Quare ſupra quam dici poteſt ſtudebat ei placere. Et quando ab eo ſignum aliquod habebat canticum ſuum illi gratum eſſe, non ſe capiebat præ gaudio. Verùm contingebat ſubinde, vt princeps, ad probandum amorem amabilis iſtius Muſici, iuberet cantare; & ſubitò eum relinquens in ſuo conclaui; ſe conferret ad venationem; at deſiderium, quod habebat ad implenda Domini ſui deſideria, faciebat, vt ita attentè continuaret ſuum cantum, atque ſi princeps coram præſens adeſſet: eſto nullam ipſe caperet cantando delectationem: ſurditas ſiquidem illum eâ priuarât) neque ex eo quod cantando placeret Principi, ſiquidem abſens Princeps non fruebatur dulcedine inſignium & artificioſorum accentuum, quos cantabat: in quo ea ex parte imitabatur Dauidem dicentem Deo: *Paratum cor meum, DEVS, paratum cor meum;* Pſ. 49.
Cantabo, & pſalmum dicam: exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam 8.
diluculo.

Certè cor humanum eſt verus cantor cantici ſacri amoris, & illud ipſum eſt cithara & pſalterium. Cantor autem iſte ſe ipſum ordinariè audit, magnumque capit gaudium audiendo melodiam ſui cantici; id eſt, cor noſtrum amans Deum, deguſtat delicias amoris, ſummeq;

gaudet amando rem tantopere amandã. Audi, obſecro, Theotime, quid velim dicere: iuuenes philomelæ principiò tentant & probant ſe cantando ad imitandũ majores, at vbi ſe excoluerint, formârint & perfectè cantum apprehenderint, cantant propter delectationem, quam capiunt ex ſuo proprio cantu, cuius melodiâ & ſuauitate adeò afficiuntur, vt, ſicuti alibi dixi, nimiâ vi attollentes vocem frangant ſibi guttur, mortemque adſciſcant: Sic corda noſtra in principio ſuæ deuotionis ac feruoris amant Deum, vt ei ſe vniant, grataque ſe reddant: in eoque, in quo nos æternum amauit, imitentur: ſed paulatim aſſuefacta & exercitata in amore ſancto imperceptibiliter mutantur, & loco, quo Deum amare deberent ad ei placendum, incipiunt amare propter delectationem, quam habuerunt in ipſis exercitijs ſancti illius amoris, ſicque ex Dei amatoribus fiunt amatores amoris, quem erga Deum habent: ſunt ſtudioſi & amatores ſuarum affectionum, & amplius non ſibi placent in Deo, ſed in gaudio, quod hauriunt ex eius amore: illoque ipſo amore, quà illorum eſt, & quà in eorum mente eſt, quaque ex ea procedit, contenti ſunt. Nam licet amor iſte ſacer vocetur Dei amor, quia Deus per illum amatur, non tamen deſinit eſſe noſter, eò quòd ſimus amantes, quia amamus per illum. Et hæc eſt cauſa & argumentum mutationis: nam loco, quo amatur ſanctus ille amor, qui tendit ad Deum, quia eſt obiectum amatum, nos eum amamus, eò quòd procedat ex nobis, qui ſumus amantes. Quis autem non videt, quòd ſic agendo non amplius ſit Deus, quem quærimus, ſed quòd ad nos ipſos conuerſi, amamus amorem, loco, quo dilectum amare deberemus; amamus inquam amorem, non propter beneplacitum, & gaudium Dei; ſed propter delectationem & gaudium, quod nos ipſi inde haurimus. Hic igitur cantor, qui in principio Deo, & propter Deum cantabat, nunc magis cantat ſibi ipſi, & propter ſe ipſum, quàm propter Deum: & ſi delectatur cantando, non eſt tam ad delectandas aures Dei, quàm ad ſuas demulcendas. Et quantò canticum amoris diuini excellentius eſt alijs omnibus, tantò etiam magis illud amat, non gratiâ quidem excellentiæ diuinæ, quæ laudatur, ſed gratiâ accentûs & ſuauitatis ipſiuſmet cantûs, qui eſt illi delicatior & gratior.

Modus

Modus cognoſcendi mutationem in ſubiecto huius ſancti amoris.

Capvt X.

PRobè id cognoſces, Theotime: nam ſi myſtica iſta philomela cantat ad placendum Deo, cantabit, ne dubites, canticum quod gratiſſimum ſciet eſſe diuinæ prouidentiæ; verùm ſi cantet ob delectationem, quam ipſamet capit ex melodia ſui cantûs, nõ cantabit canticum, quod acceptius eſt bonitati diuinæ; ſed illud, quod magis illi arridet, & ad ſuum facit guſtum. Ex duobus canticis, quorum quidem vtrumque diuinum eſt, fieri poterit, quòd vnum cantabitur, quia diuinum eſt, & alterum, quia gratum & acceptum eſt cantanti. Rachel, & Lia æqualiter ſunt Patriarchæ Jacobi ſponſæ & vxores, at earum vna, amatur ſolùm quà ſponſa & vxor, altera autem, quà inſuper ſpecioſa. Canticum eſt diuinum, ſed motiuum, ob quod cantatur; eſt delectatio ſpiritualis, quam intendimus & prætendimus.

Vidéſne (dicetur cuipiam Epiſcopo) quòd Devs velit, vt canticum paſtorale ſuæ dilectionis cantes in medio gregis, quem in virtute ſui ſancti amoris tibi tribus iteratis vicibus commendat paſcere, idque in perſona ſancti Petri, qui paſtorum fuit primus? Quid reſpondebis mihi? fortè quòd Romæ, quòd Pariſijs maiores ſint deliciæ ſpirituales, & quòd ijs in locis exerceri poteſt diuinus amor maiori cum ſuauitate. O mi Devs! non igitur eſt ad tibi placendum, quòd homo hic vult cantare, ſed ad capiendam delectationem, quam inde quærit. Non tu es, ò Devs, quem quærit ex amore, ſed gaudium, quod ab exercitijs ſancti amoris capit. Religioſi vellent cantare canticum Paſtorum & Parochorum, & qui iuncti ſunt matrimonio, Religioſorum, ad melius, vt dicunt illi, ſeruiendum & amandum Devm. Hem! vos ipſos, amici mei, decipitis, ne dixeritis, vos voto veſtro ſolũ intendere melius ſeruire, & amare Devm: non, non profectò id agitis ad meliora ſeruitia Deo exhibenda, ſed propriam veſtram delectationem augendam magis, quàm Dei beneplacitum. Dei voluntas æquè eſt in infirmitate, & ferè ordinariè magis, quàm in ſanitate. Quod ſi nos magis amamus ſanita-

tem, ne dicamus id eſſe ad Deo melius ſeruiendum; quis enim non videt nos quærere ſanitatem in Dei voluntate, & non voluntatem Dei in ſanitate?

Difficile eſt, fateor, diu intueri cum voluptate pulchritudinem ſpeculi, & non ſe ipſum in eo contemplari, & fortè difficilius non ſibi complacere, ſeipſum in eo reſpiciendo. Verumtamen eſt differentia inter OBLECTATIONEM, quæ capitur reſpiciendo ſpeculum, quia pulchrum eſt; & GAUDIUM, quod habetur aſpiciendo ſpeculum, eò quòd tu te in eo videas; eſt etiam, ſine dubio difficile amare Deum, & non ſimul amare oblectationem, quæ capitur ex eius amore; multum tamen diſcriminis eſt inter oblectationem, quæ habetur ex Deo amato, quia pulcher & ſpecioſus eſt; & inter oblectationem, quæ habetur ex eo, quod ille ametur, quia ſcilicet eius amor eſt nobis gratus & acceptus. Conandum igitur eſt, non quærere in Deo niſi amorem eius pulchritudinis, & non oblectationem, quæ habetur ex pulchritudine eius amoris: Ille, qui orans Deum aduertit ſe orare, non eſt perfectè attentus orando: nam diuertit ſuam attentionem à Deo, quem orat, vt cogitet de oratione, per quam illum orat: nam illa ipſa cura, quam nos habemus de non habendis diſtractionibus, ſæpe magnæ diſtractionis cauſa eſt: ſimplicitas in actionibus ſpiritualibus maximè commendatur. Tu vis Deum reſpicere, ſeriò igitur illum reſpice, & in hoc ſis totus: nam ſi in hoc te reflectas, & oculos ſupra te ipſum, ad reſpiciendum, quem habeas ſtatum, attollas, non amplius ille eſt, quem reſpicis, ſed tui ipſius geſtus, & conſtitutio, imò verò tu ipſe es. Is, qui feruenter inſtat orationi, non ſcit an ſit in oratione, nec ne, quia non cogitat de oratione, quam facit, ſed de Deo, cui illam facit. Qui orando inflammatus eſt igne diuini amoris, non reflectit cor ſuum ſupra ſe ipſum ad reſpiciendum, quid agat, ſed fixum & occupatum habet in Deo, cui ſuum applicat amorem. Cantor cæleſtis tantam capit oblectationem ex eo, quod Deo placeat, vt nullum prorſus gaudium habeat ex melodia ſuæ vocis, niſi quia placet Deo ſuo.

Quòd, Theotime, Ammon filius Dauid Regis tam perditè amârit Thamar, vt crederet ſe illius amore moriturum, credisne tu illam fuiſſe, quã amabat? Ex hoc illam non fuiſſe aduertes, quod poſtquã execrabile ſuum deſiderium expleuit, crudeliter & ignominioſè quam primũ illam

illam à ſe eiecerit, & abiecerit. Si illam amaſſet, hoc certè non feciſſet: nam Thamar ſemper manebat Thamar: verùm quia non erat Thamar, quam amabat, ſed infamis cupiditas, quam ex illa prætendebat & quærebat; ſimul atq; adeptus eſt, quod deſiderabat, immaniter, imò brutaliter illam tractauit & exagitauit; ergo oblectationis intentio erat quidem in Thamar, ſed amor erat in ipſius delectatione, & non in Thamar. Vnde præteritâ delectatione voluiſſet etiam præterijſſe, parùm dico, imò perijſſe ipſam Thamar. Videbis Theotime, quandoque hominem quempiam, qui Deum, vt apparet, magna cum deuotione orat, & ardet in exercitijs amoris cæleſtis; at exſpecta paululùm, & videbis an ſit Deus, quem amat. Heu! ſimulatq; ſuauitas & voluptas, quam capit ex illo amore, ceſſauerit, & ariditas cordis aduenerit, omnia deſeret, nec amplius orabit, niſi per modum tranſeuntis: ſi autem erat Deus, quem amabat, quare ceſſauit eum amare, ſiquidem Deus ſemper eſt Deus? Erat igitur Dei conſolatio, quam amabat, & non Deus conſolationis. Complures certè non ſibi placent in diuino amore, niſi quatenus conditus eſt ſaccharo alicuius ſuauitatis ſenſualis. Vnde tales facerent libenter, vti faciunt infantes, qui quando eis datur mel ſuper panem, ſugunt mel, & panem poſtea abijciunt. Si enim ſuauitas ſeparabilis eſſet ab amore, relinquerent amorem, & adhærerent ſuauitati: hinc eſt, quòd ſequantur amorem propter ſuauitatem, quã dum nõ experiuntur, eum non æſtimant. Vnde huiuſmodi homines multis periculis ſunt expoſiti, ne vel eant retro deficiente guſtu & conſolatione, vel certè ne ſe vanitatis laqueis, & nugis, quæ procul à vero amore diſſitæ ſunt, irretiant: neuè demũ mel Heracleoticũ pro Narbonenſi accipiant.

De perplexitate cordis, quod amans ignorat, an placeat Dilecto.

CAPVT XI.

CAntor ille, cuius feci mentionem cùm factus eſſet ſurdus, cantando nullam capiebat voluptatem, niſi ſubinde, quando videbat ſuum principem attendere & capere delectationem ex ſuo cantu. O beatum illud cor, quod amat Deum, nullâ inde captâ aliâ voluptate, præter illam, quam capit ex Dei complacentia! quod

Digitized by Google

etenim gaudium, aut delectatio, vnquam haberi poteſt perfectior, quàm illa, quæ capitur ex beneplacito diuinitatis? Nihilominus gaudium, quod capimus ex eo, quod placemus Deo, non eſt, propriè loquendo, amor diuinus, ſed ſolummodo fructus quidam ex eo decerptus, qui poteſt ſeparari, ſicuti malum citrinum ſeparatur à ſua malo citrina. Nam, ſicuti dixi muſicus noſter cantabat continuè, nullâ ex ſuo cantu hauſtâ voluptate, ſurditas ſiquidem impediebat: & frequenter etiam cantabat, nullo habito ſigno, quòd principi ſuo placeret; eò quòd poſtquam eum cantare juſſerat, ſe ſubtrahebat, vel ad venationem conferebat, ne minimo quidem capto otio ad eum audiendum, & oſtendendum cantum ſibi eſſe gratum.

Tantiſper, ò mi Deus, dum faciem tuam intueor, velut annuentem, cantum mei amoris tibi eſſe gratum, quantâ repleor conſolatione! Quod enim poteſt eſſe gaudium, adæquans lætitiam, quæ capitur ex eo, quod tibi placeatur? Sed quando tu retrahis à me oculos tuos, & amplius non perſpicio, nec experior dulcem complacentiæ fauorem, quam capiebas ex meo cantico, mi Deus, quanto in dolore eſt anima mea! nec ceſſat tamen te fideliter amare, & aſſiduè cantare hymnum tuæ dilectionis; non propter aliquam complacentiam, quam inde capiat, quia nullam inde habet; at cantat propter purum putum amorem tuæ voluntatis.

Viſus eſt puerulus quiſpiam ægrotus læto vultu, ſed incredibili faſtidio id omne comedens, quod mater ei porrigebat: & hoc ſolummodo ex deſiderio Matri ſatisfaciendi. Et tunc nullam omnino delectationem habebat in cibo, ſed id non erat abſque alia delectatione, longè ſuauiori & acceptiori, quæ erat placere matri, eiuſque voluntati facere ſatis. Alter item puer, qui non viſâ præſente matre, propter ſolam notitiam, quam habebat eius voluntatis, ſumebat omnia quæ illi ex parte & nomine matris adferebantur, comedebat non ſolùm abſque vllo guſtu, ſed etiam abſque vllo omnino gaudio, quia neque animum comedendi, neque gaudium ex matris præſentia habebat, quia præſens non aderat, ſed ſimpliciter comedebat, vt matris voluntatem adimpleret. Sola ſatisfactio, quæ habetur ex præſentia principis, vel al cuius perſonæ, quæ arctè amatur, vigilias, dolores, ſudoreſque reddit ſuaues & delicatos, periculaque quantumuis in oculis poſita, efficit deſiderabilia.

Digitized by Google

bilia. Nihil autem triſtius poteſt accidere, quàm ſeruire Domino alicui, quem id lateat, vel ſi non latet, nullum tamen dat ſignum, quòd ſibi placet, vel reſciat, quod in eius gratiam agatur. Hoc in caſu amorem potentem eſſe neceſſe eſt, ſiquidem ſolus ille ſe ſuſtentat ſine vllo fulcro, imò & ſine ſpe aliqua, quòd aliquando ſit futurum, vt habeat.

Sic ſubinde euenit, vt nullam omnino habeamus conſolationem in exercitijs amoris diuini, eò quòd adinſtar ſurdorum cantorum non audiamus propriam vocem, vnde nec frui poſſimus noſtri cantûs ſuauitate; quin, & præter hoc, premimur & vexamur mille terroribus, nec paucioribus ſtrepitibus & aſſultibus turbamur, quos circa cor noſtrum excitat iuratus noſter hoſtis; *tu forte non es tuo acceptus Domino, tuus amor forte eſt inutilis*: quin imò ſuggerit eum amorem eſſe fallacem & vacuum, ſiquidem nullam producit conſolationem. Tunc autem, Theotime, laboramus non ſolùm ſine delectatione, ſed extremo cum tædio, non videntes, neq; bonum noſtri laboris, neque ſatisfactionis ſignum aliquod ex parte illius, cui laboramus.

Sed quod auget malum in hoc caſu, eſt, quòd mens & ſummitas rationis nobis dare non poſsit aliquod leuamentum: nam miſercula ſuperior rationis portio, cum tota ſit circumdata ſuggeſtionibus, quas inimicus facit, eſt inſuper ita conſtituta, vt de ea videatur conclamatum; vnde ſatis negotij habet, dum cauet, ne opprimatur, & ne malo, quod non vult, conſentire cogatur. Paucis, ita obſidetur, vt nequeat irruptionem aliquam facere ad liberandam inferiorem portionem animæ. Et quamuis non omnino conciderit animo, adeò tamen impetitur, vt, etſi ſit ſine culpa, non tamen ſit ſine pœna: nam pro complemento tædij ſui, priuata eſt illâ generali conſolatione, quæ tamen ferè ſemper in omnibus alijs mundi malis haberi ſolet; quæ eſt ſpes, quòd non diu mala iſta ſint duratura, ſed breui finem habitura. Adde quòd cor hærens in timore & tædio ſpirituali, nonnunquam cadat in tantam impotentiam, vt non valeat de eorum fine cogitare, nec conſequenter apud ſe ſtatuere futurum, vt breui à malis liberetur.

Fides quidem reſidens in ſupremitate mentis aliquid ſolatij ſuggerit, dum aſſerit turbas finem habituras, & futurum, vt quietem aliquando

quando nanciſcamur. Verùm magnitudo ſtrepitûs,& clamoris,quam inimicus facit in anima, & ratione inferiore, impedit, quò minus ſalutaria monita & inſtructiones fidei percipiantur. Quò fit vt in imaginatione nihil nobis reſtet,præter triſte præſagium: EHEU, NVNQVAM ERO LÆTVS!

At, mi Theotime, tunc tempus eſt teſtificandi inuincibilem fidelitatem aduersùs Saluatorem, purè eam ſeruando propter amorem eius voluntatis, non ſolùm ſine delectatione, ſed in medio diluuij triſtitiæ, horroris, terroris, & quorumcunque aſſultuum, ſicuti fecit glorioſa eius mater, & S. Joannes die paſſionis, qui inter tot blaſphemias, tot dolores, tot anguſtias, in amore firmi permanſerunt. Et hoc ipſo tempore, quo etiam Saluator retraxerat omnem ſanctam ſuam lætitiam in ſummitatem ſpiritûs, nec vllam diffundebat alacritatem, neque conſolationem è diuino ſuo vultu; adde, quòd & eius oculi toti quanti languebant mortiſque tenebris cooperti erant. Vnde nullos amplius intuitus iaciebant,niſi doloris, ſicut nec ipſe ſol vllos radios emittebat, niſi horroris & tenebrarum.

Quomodo inter dolores & moleſtias interiores anima non cognoſcat amorem, quem habet erga DEVM, & de occaſu amabiliſſimo voluntatis.

CAPVT XII.

Act. 12 v. 4. AD Sanctum Petrum primum in terris Chriſti Vicarium nocte præcedente diem deputatam eius martyrio, in carcere exiſtentem, venit Angelus Domini, qui carcerem magno lumine repleuit, eum excitauit, ſurgere fecit, vtque ſe ſuo veſtimento circumdaret ac veſtiret, ſeque (ablatis ab eo vinculis) ſequeretur admonuit: è carcere inſuper extraxit; ac deinde ſimul gradientes pertranſeunteſque, *primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta eſt eis: & cùm proceſſiſſent vicum vnum, continuò Angelus ab eo diſceſſit.* En magna valde ſenſibilium actionum varietas; &

nihil-

nihilominus S. Petrus, qui fuerat, omnium primo excitatus, *non cogitabat ea, quæ fiebant per Angelum, eſſe vera, ſed æſtimabat ſe viſionem videre.* Excitatus erat, & ignorabat; calceatus erat caligas ſuas, & eum id latebat: ambulabat, & ſe ambulare, neſciebat; erat liberatus & non credebat. Et hoc ex eo quòd admiratio illius liberationis tam magna erat, vt totam eius mentem occuparet. Nec dicas, eum ſufficientem habuiſſe ſenſum & notitiam ad faciendum, quod faciebat; ergo & ad intelligendum, quod realiter circa ſe fiebat: quia experientia reclamat. Probè quidem videbat Angelum, ſed non aduertebat eſſe veram & naturalem viſionem; ideoque nullam capiebat conſolationem ex ſua liberatione, vſque dum ad ſe reuerſus dixit: *nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Ibidem

Porrò idem euenit, Theotime, animæ magno tædio & moleſtiâ interiori oppreſſæ; nam etſi potentiam habeat ad credendum, ſperandum, & Deum amandum, & verè credat, ſperet, & amet; tamen non habet fortitudinem & vim ad bene diſcernendum, an credat, an ſperet, an Deum ſuum amet, eò quòd anguſtia interior eam valde occupet, & ita obruat, vt nequeat facere reflexionem ſuper ſe ipſam ad videndum quid agat. Propterea videtur ſibi, neque fidem, neque ſpem, neque charitatem habere, ſed phantaſmata tantummodo, & inutiles impreſſiones iſtarum virtutum, quas ſentit fere ſine ſenſu, & velut extraneas, non vt domeſticas & proprias animæ ſuæ. Si animum aduerteris, inuenies noſtras mentes in ſimili eſſe ſtatu, quando potenter aliquâ violentâ paſſione ſunt occupatæ: nam complures patrant actiones velut in ſomno conſtitutæ, de quibus tam exiguum habent ſenſum, vt fere non credant eas re ipsâ fieri. Inde eſt quòd ſacer Pſalmiſta magnitudinem conſolationis, quam filij Iſraël reuerſi ex captiuitate Babylonica habuerunt, his exprimat verbis: Pſ. 125

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati. v. 1.
Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Sic habet ſancta verſio latina, *facti ſumus ſicut conſolati*: id eſt admiratio ex magnitudine boni tanto cum exceſſu nobis euenit, vt nos impedierit, quò minus ſolidè ſentiremus conſolationem, quam recipiebamus, & nobis videbatur, quod in rei veritate non vero perfunderemur Pſ. 125 v. 1.

 gaudio:

Digitized by Google

gaudio: quo tamen verè perfundebamur, licet id ſolùm in figura & ſomnio fieri nobis videretur.

Tales igitur ſunt ſenſus animæ verſantis inter anguſtias ſpirituales, quæ amorem ſupra modum efficiunt purum & mundum: nam cùm tunc priuatus ſit omni delectatione, quâ immediate adhæreat Deo ſuo, is amor ita purificatus nos iungit & vnit Deo, & noſtram voluntatem voluntati illius, & cor noſtrum cordi eiuſdem abſque vlla intermixtione vllius lætitiæ & gaudij, quin & eorum prætenſione. Eheu! Theotime, quantopere affligitur cor, quando velut deſertum ab omni amore, in omnem reſpicit partem; nec tamen (vt ſibi videtur) illum reperit! non inuenit in ſenſibus exterioribus; illius enim amoris minimè ſunt capaces; non in imaginatione, quia crudelem in modum diuerſis impreſſionibus torquetur; non in ratione, quia turbata eſt innumeris diſcurſuum & admirandarum apprehenſionum obſcuritatibus. Et quamuis tandem eum inueniat in ſumma & ſuprema mentis regione, vbi diuina hæc, quæ quæritur, dilectio reſidet; tamen, quia ignorat illam, & ei videtur non eſſe, quia ſcilicet magnitudo afflictionum & denſitas tenebrarum ſunt obex, quò minus eius dulcedo ſentiatur; videt illam, & non videt, obuiam habet, ſed eam non cognoſcit; non ſecus, atque ſi eſſet in ſomnio & in imaginatione. Ita S. Maria Magdalena, cùm ei occurriſſet charus ſuus Magiſter & Domin⁹, nihil præ ſua animi oppreſsione & dolore ſenſit alleuationis, eò quòd non putaret Chriſtum eſſe, ſed ſolummodo hortulanum.

Ecquid igitur facere poteſt anima eo in ſtatu poſita? ignorat, Theotime, quid & quomodo agere debeat poſita inter tot anguſtias, nullis amplius pollens viribus, niſi ad ſinendum, ſua vt voluntas inter manus voluntatis diuinæ, ad imitationem dulcis ſui Iesu, moriatur: qui cùm in ara crucis perueniſſet ad ſummum cumulum pœnarum, quas Pater impoſuerat ſubeundas, & non valeret amplius reſiſtere extremis doloribus, fecit, vt ſolet ceruus, qui, exhauſtis viribus, & obrutus vndique canibus, ſe permittit eorum laniatibus. Sic enim amantiſſimus Saluator morti vicinus & vltima emittens ſuſpiria magno clamore, multiſque fluentibus lacrymis: eheu! dixit: *Pater mi, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Quod verbum Theotime, fuit omnium poſtremum, per quod dilectus Dei filius ſupremum dedit teſtimonium ſui aduerſum

Patrem

Patrem amoris. Quando igitur omnia nobis deſunt, quando afflictiones ſunt in extremis, verbum hoc, ſenſus hic, & animæ noſtræ renunciatio inter manus noſtri Saluatoris, non poteſt deeſſe. Filius in vltimo & incomparabili conflictu & anguſtia, Patri ſuum commendat Spiritum: & nos quandò conuulſiones dolorum ſpiritualium nobis tollunt omne genus ſolatij, & omnia media ad reſiſtendum deſunt, commendemus Spiritum noſtrum in manus æterni huius filij, qui eſt verus noſter Pater: & demiſſo capite acquieſcamus eius beneplacito, noſtramque voluntatem ei ex animo conſignemus.

Quomodo voluntas mortua in ſe, tantummodo viuat in DEI voluntate.

CAPVT XIII.

MOdo & proprietate penitus ſingulari de morte hominum Gallico idiomate loquimur: nam mortem nominamus TRESPAS, id eſt, TRANSITVM; & mortuos, TRESPASSER, quaſi diceres, qui TRANSIERVNT. Hoc dicendi modo volumus ſignificare mortem humanam non eſſe niſi tranſitum ab vna vita ad alteram, & quòd mori aliud non ſit, quam tranſire vltra confinia huius vitæ mortalis, vt gradus fiat ad immortalem. Certè noſtra voluntas nunquam poteſt mori; ſicut nec intellectus, ſed quandoque tranſgreditur limites vitæ ſuæ ordinariæ, vt tota quanta viuat in voluntate diuina. Et hoc tunc fit, quando neque ſcit, neque vult amplius quicquam velle, ſed omnino ſine vlla exceptione ſe tradit & mancipat beneplacito prouidentiæ diuinæ, ita ſe immiſcens ac immiſcendo liqueſcens in hoc DEI beneplacito, vt non amplius compareat, ſed *abſcondita ſit cum Chriſto in DEO*, in quo viuit, non amplius quidem illa, ſed DEI voluntas viuit in ea.

Vbi eſt, vbi ſe abſcondit claritas ſtellarum, quando comparet ſol ſupra noſtrum horizontem? non equidem perijt, ſed abrepta & abſorpta eſt in ſupremo ſolis lumine, quo cum feliciter eſt immixta & coniuncta. Et quò deuenit voluntas humana, quando integrè & perfectè tradita eſt diuino beneplacito? nullo modo perijt illa, ſed taliter ab-

ſorbetur & permiſcetur cum voluntate diuina, vt amplius non appareat, nec amplius velle habeat ſeparatum à diuino. Imaginare tibi, Theotime, glorioſum & nunquam ſatis laudatum Ludouicum, qui inſtructâ & conſcensâ claſſe bellicâ vela fecit vltra mare; & aduerte Reginam charam eius coniugem vnà cum illo conſcendiſſe. Age, ſi quis rogaſſet eximiam iſtam Principem, Sereniſſima Regina, quò vadis? dubio procul reſpondiſſet illa, vado quò & ipſe Rex, & ſi quis denuò rogaſſet, at ſciſne Sereniſsima Regina, quò Rex vadat? Tunc etiam reſpondiſſet: mihi quidem in genere dixit, ſed mihi cura non eſt ſcire, quò vadat, ſed ſolùm vt cum eo vadam: ſi & adhuc inſtitum fuiſſet, ergo Sereniſſima Regina non habes perſpectum hoc iter? non, dixiſſet illa; ſed nec aliud habeo propoſitum, quàm vt ſim cum charo meo marito & Domino. Itáne, ei dici potuiſſet, neſcis quòd petat Ægyptum, vt inde tranſeat in Palæſtinam? diuertet autem & hoſpitabitur Peluſij, Acræ, & in pluribus alijs ciuitatibus & locis. Númne & tu intendis eódem proficiſci? Ad hoc dixiſſet, nihil intendo, niſi vt ſim apud Regem, & loca, ad quæ vadit, incolam ſine diſcrimine, & conſideratione, tantiſper, dum in ijs eſt futurus. Ad me quod attinet, eo ſine deſiderio eundi: nam nihil deſidero, nihil affecto, niſi præſentiam Regis. Eſt Rex, qui vadit, & qui iter hoc vult, & ſuſcipit; quantum autem ad me attinet, non vado ego, verùm ſequor; non volo iter iſtud, ſed ſolam Regis præſentiam; commoratio, iter, & omnes iſtius generis diuerſitates nullo mihi ſunt diſcrimine.

Certè ſi quiſpiam ſeruus actu ipſo ſequens ſuum Dominum, rogetur, quò ipſe tendat, non debet reſpondere, quòd ad talem vel talem pergat locum, ſed ſolummodo, quòd ſuum ſequatur Dominum; quia nuſquam it ſuâ voluntate, ſed ſolum voluntate ſui Domini. Ita, mi Theotime, voluntas reſignata in Dei voluntate, non debet habere voluntatem aliquam, ſed ſimpliciter ſequi voluntatem Dei. Et ſicut is, qui eſt in naui quapiam, non ſe mouet proprio motu, ſed ſinit ſe ſolùm moueri iuxta motum nauis, in qua ille eſt; eodem modo cor humanum, quod conſcendit nauim beneplaciti diuini, non debet habere aliam voluntatem, quàm vt ſinat ſe vehi ad terminum voluntate Dei ſibi conſtitutum. Et tunc cor non dicit amplius, Fiat voluntas tua, & non

Digitized by Google

MEA, quia nullam amplius habet voluntatem, ſiquidem intra manus DEI depoſuit: & hoc non aliter, quàm ſi eius voluntas non amplius eſſet in ſua diſpoſitione, ſed in diſpoſitione cæleſtis prouidentiæ. Ita vt hic, qui in DEI manus ſuam reſignauit voluntatem, non ſequatur propriè DEUM, ſicuti ſerui ſuos ſequuntur Dominos: nam licet ſerui iter conficiant per voluntatem Domini ſui, eorum tamen ſequela fit per propriam & particularem voluntatem, licet ſit voluntas ſequens, obſequẽs, ſeque ſubmittens ac ſubijciens ſuo Domino: vt quemadmodum Dominus & Seruus duo ſunt, ita voluntas Domini & ſerui ſint duæ voluntates. At voluntas, quæ ſibi ipſi mortua eſt, vt viuat in DEI voluntate, eſt abſque aliquo velle particulari, manens non ſolùm conformis & ſubiecta, ſed omnino in ſe ipſa annihilata, & conuerſa in DEI voluntatem. Sicuti diceretur de paruo quopiam infante, qui adhuc non habet vſum voluntatis, vt velit amare remquampiam aliam, quàm ſinum & faciem charæ ſuæ matris: neque enim vllo modo cogitat, quòd velit eſſe, hic vel ibi, neque velle rem quamcunque aliam, quàm eſſe intra matris brachia, cum qua vnam eandemque rem ſe eſſe putat; neque illi curæ eſt accommodare ſuam voluntatem maternæ voluntati: quia nimirũ ſuam non ſentit, neq; credit ſe vllam habere; ſinit proinde matrẽ omnem ſui curam gerere, nec curat quò illa eat, quid faciat, quid velit: omne ſiquidẽ illi bonum videtur quod illa bonum iudicat. Certè hæc eſt ſuprema perfectio noſtræ volũtatis, vt ſit ita vnita voluntati ſupremi boni, vti fuit voluntas ſancti illius, qui dicebat: *In voluntate tua deduxiſti me*: nam quid volebat aliud dicere, niſi quòd nullo modo vſus fuerit ſua voluntate, vt ſe regeret, ſed ſiuerit ſimpliciter ſe duci à voluntate DEI.

Declaratio eorum, quæ dicta ſunt de occaſu, morte & tranſitu noſtræ voluntatis.

Capvt XIV.

CRedibile eſt ſanctiſsimam Virginem, Dominam noſtram clementiſsimam tantum cepiſſe gaudij ex baiulatione chari ſui & paruuli Iesu, vt gaudium illud, vel omnino laſsitudinem impediuerit, vel vt minimùm gratam effecerit: nam ſi ex geſtatione fruticis, dicti Agni caſti, viatores leuamen habent, & recreantur, quale alleuiamentum non receperit glorioſa Mater portando Agnum Dei immaculatum? Quod ſi ſubinde eum ſuis pedibus ambulare faciebat, manu tenens, non erat quòd non mallet dependentem ex ſuo collo ad pectus gerere, ſed id faciebat ad eum exercendum, ad formandos greſſus, & vt ſolus diſceret ambulare. Et nos, Theotime, velut parui infantes Patris cæleſtis poſſumus cum illo incedere duobus modis: I. Poſſumus ire, ambulantes paſsibus propriæ noſtræ voluntatis, quã nos illius voluntati conformamus, tenentes ſemper manũ noſtræ obedientiæ, manum noſtræ intentionis, & ſequendo eam quocunque nos duxerit. Et iſtud eſt, quod Deus per ſignificationem ſuæ voluntatis, requirit à nobis. Quia, ſiquidem vult ille vt faciam quod præſcribit, vult ſimul vt habeam voluntatem idem faciendi. Deus mihi ſignificauit velle, vt diem Sabbati ſanctificem, & quia id me vult facere, vult etiam, vt velim facere, & ob hoc habeam proprium velle, ſeu voluntatem, ſequẽdi voluntatẽ illius, me conformando, & mutuò reſpondendo illius voluntati, quæ errare non poteſt. II Poſſumus etiã ire cum Chriſto Domino, nullam habentes propriam voluntatem, permittẽtes nos ſimpliciter diuino eius beneplacito, velut puſillum infantem, qui inter Matris brachia geſtatur: & hoc per certum quendam & ſingularem & prorſus admirabilem conſenſum, qui vocari poteſt vnio, vel potius vnitas noſtræ voluntatis cum Dei voluntate. Et hic eſt modus, per quem conari debemus nos gerere & habere in voluntate diuini beneplaciti prout decet; effectus ſiquidem voluntatis beneplaciti purè & pute procedunt

ex diuina

Digitized by Google

ex diuina eius prouidentia & nobis nihil agentibus, eueniunt. Verùm eſt, poſſe nos velle, vt eueniant ſecundum Dei voluntatem, & hoc velle, optimum eſt; ſed poſſumus etiam recipere euenta beneplaciti cæleſtis per ſimplicem noſtræ voluntatis tranquillitatem, quæ nolens rem vllam, ſed in omni eo, quod Deus vult in nobis, ſuper nos, & de nobis fieri, ſimpliciter acquieſcit.

Si petitum fuiſſet à dulci Infante Iesu, dum ferretur inter Matris brachia, quo nam iret? nonne rationi conſentaneè reſpondere potuiſſet, nuſquam eo, Mater mea eſt, quæ pro me it; & ſi vlterius petitum fuiſſet, ſed nonne Iesu mi, is cum tua Matre? nonne iure dixiſſet? nullo modo eo, vel ſi eo, eo, quò Mater mea me portat, non ego cum illa eo, nec proprijs meis paſsibus, ſed eo paſsibus meæ Matris, per illam & in illa. Quod ſi quis hoc modo inſtitiſſet? ſed ò dulciſsime Iesu, & diuiniſsime infans, vis minimùm baiulari à dulci tua Matre? prorſus non, dicere poterat, nihil horum volo, & ſicuti optima mea Mater ambulat pro me, ita etiam illa vult pro me; æqualiter ei relinquo curam, & eundi & volendi ire pro me, quò ei viſum fuerit: ſicuti non ambulo niſi per eius voluntatem: ſinens omnem aliam de me curam Matri meæ, præter illam, quâ in eius ſinu eſſe diſcupio, & ſugere eius vbera, meque arctè fixum eius amabiliſsimo collo tenere, vt amoroſè eam deoſculer oſculis oris mei. Volo te ſcire, quòd quamdiu ſum inter delicias blanditiarum ſanctarum, quæ omnem ſuperant ſuauitatem, videatur mihi mater mea eſſe arbor vitæ, & ego in illa eſſe videor velut eius fructus, imò videor eſſe mihi proprium eius cor in medio pectoris, vel ipſius anima in eiuſdem cordis centro conſtituta. Hinc eſt, quòd ſicut eius greſſus & inceſſus ſat pro illa & pro me eſt, eſto nullum faciam ego paſſum; ita voluntas eius ſufficit pro illa & pro me, nullum me eliciente voluntatis actum, quantum attinet ad actionem eundi quopiam, vel aliunde redeundi. Non mihi etiam curæ eſt, an citò, an verò tardè eat, neq; an ad hanc, vel alteram partem eat, nec moleſtiæ quicquam inde capio, quòd quò illa velit ire, neſciam. Hoc vnum ſatis mihi eſt, vt ſemper ſim inter eius brachia, adhærens vnicè amandis eius vberibus, vbi me paſco velut inter lilia. O diuinæ Infans Mariæ, permittito miſeræ animæ meæ, vt telum hoc dilectionis iaculetur! igitur amabiliſſime paruule, vel potius ire noli, ſed mane ſic ſanctè conglutinatus dulcis matris tuæ pectori,

pectori, vel i ſemper in illa, & per illam, & cum illa, nunquam autem ſine illa, quamdiu manes infans! *O beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti!* Saluator noſtrarum animarum iam inde à primo ſuæ conceptionis inſtanti in ventre matris habuit vſum rationis, & poterat formare omnes iſtos diſcurſus, quin imò & glorioſus Joannes Baptiſta eius præcurſor, à die Viſitationis Beatæ Matris Mariæ, rationis vſum habuit. Et quamuis vterque illo tempore & durante infantiâ fruebatur propriâ libertate ad uolendum, & non volendum res quaſcunque, tamen in ijs quæ faciebant ad directionem exteriorem ſinebant ſuas Matres ſui curam gerere, & facere, & velle pro ſe id, quod illo tempore conueniebat.

Theotime, ſic nos habere debemus, exhibendo nos flexibiles & tractabiles diuino beneplacito, non ſecus, quam ſi ex cera conſtaremus, non occupando nos aptandis & expetendis rebus, ſed ſinendo, vt Deus velit & faciat pro nobis, vti illi placuerit. *Iactemus omnem curam noſtram in Dominum, quia illi cura eſt de nobis.* Et nota, quòd dicit *omnem noſtram ſolicitudinem, ſeu curam,* id eſt, tam illam, quam habemus de recipiendis euentis, quam illam, quæ eſt de volendo vel non volendo: nam habebit ille curam de ſucceſſibus noſtrorum negotiorum, & volet pro nobis id, quod erit optimum.

Interim curæ nobis ſit quàm maximè benedicendi Deum de omnibus, & in omnibus eius operibus, vt ad exemplum Job dicamus: *Dominus dedit & Dominus abſtulit, ſit nomen eius benedictum.* Nolo Domine, nolo euentum aliquod, ſed relinquo te velle pro me, prout tibi libuerit, loco autem volendi euenta, te benedicam, quod ea tu volueris. O Theotime occupatio iſta noſtræ voluntatis, quàm eſt excellens, quando ea ſibi non aſſumit curam volendi & eligendi effectus diuini beneplaciti, ſed ſolùm illi cordi eſt illud laudare, eidemq; beneplacito ob tales effectus gratias agere!

De excellen-

De excellentiſſimo exercitio, quod facere poſſumus inter dolores & afflictiones interiores & exteriores huius vitæ, ſuppoſitâ indifferentiâ, & omnimodâ mortificatione, & abſolutâ vnione voluntatis humanæ cum diuina.

CAPVT XV.

DEVM benedicere, eique gratias agere pro euentis omnibus, quæ diuina prouidentia ordinatur, eſt equidem, negari non poteſt, occupatio penitus ſancta; ſed, ſi, dum Deo volendi & faciendi, quod illi in nobis, ſuper nos & de nobis placet, curam relinquimus, non attendendo quid fiat, eſto probè id ſentiamus, poſſemus cor noſtrum diuertere, & attentionem noſtram eius bonitati & dulcedini omnino applicare, eam benedicendo & deprædicando, non iam in effectis, neque in euentis, quæ illa ordinat, ſed in ſe ipſa & propria eius excellentia, faceremus & exhiberemus dubio procul exercitium longè eminentius, quàm ſit illud, quod ſuperiùs explicauimus.

Dum Demetrius obſideret Rhodum, Protogenes, qui erat in parua domuncula, ſita in ſuburbijs illius ciuitatis, nunquam intermiſit laborare, & quidem tanta cum ſecuritate & quiete animi, vt quamuis fere continuè intueretur gladium ſuo iugulo imminentem, fecerit excellentem operis ſui canonem pingendo admirandum Satyrum, qui ludendo paruâ fiſtulâ ſe oblectabat. O Deus quales ſunt illi homines, qui inter omnis generis accidentia & euenta, ſuam ſemper attentionem & affectionem defixam habent in bonitate æterna, vt eam honorent & ament!

Filia excellentis cuiuſdam medici & ſimul chirurgi cùm febri continua laboraret, & ſciret ſe vnicè à Patre amari, vni cuipiam ſuarum amicarum dicebat: *ſentio equidem multos dolores, ſed non ideò cogito de vllis remediis, quia, quid ſanitati meæ profit, ignoro, poſſem ego deſiderare rem quampiam quæ mihi obeſſet, neglectâ alterâ, quæ prodeſſet; ecquod tuum eſt de hac mea opinione iudicium?* Nónne operæ pretium fecero, ſi omnem huius rei

Digitized by Google

ius rei curam Patri meo amantiſsimo reliquero, qui ſcit, qui poteſt,& qui vult quicquid facit ad meam ſanitatem recuperandam? *Certè iniurioſa* eſſem in Patrem meum, ſi aliquid vellem; quia ille ſatis ſuperque volet, quicquid mihi eſt profuturum: ſolùm igitur expectabo,vt velit id,quod expedire mihi iudicat, & nihil attentabo,nihilque agam, quàm eum reſpiciam, (dum mihi aderit) & teſtificer meum erga illum filialem amorem,efficiamq; vt intelligat confidentiam,quam in eo repoſitam habeo. His dictis, dum Pater ei venæ ſectionem expedire iudicans diſponit,quæ ad id neceſſaria ſunt, cæpit dormire, & cùm euigilaſſet eam propius accedens rogauit, qui ſomnus placuiſſet? an item placeret, vt, ad ſanitatem recuperandam vena ſecaretur? Pater mi, inquit illa,tota quanta ſum tua, neſcio quid velle debeam, vt priſtinæ ſanitati reſtituar: tuum eſt Pater velle & facere circa me, & pro me quicquid bonum tibi videtur: ad me enim quod attinet, mihi ſatis eſt quod te amem,& ex toto corde meo honorem vt Patrem amantiſsimum.

Tunc Pater ligato brachio venam aperuit, dum autem id fit, & ſanguis copioſè effluit, nunquam amabilis hæc filia reſpexit, aut brachium inciſum aut ſanguinem è venâ profluentem,ſed fixis in patrem oculis aliud nihil dicebat,niſi ſubmiſsâ voce, Pater multùm me amat, & tota ipſius ſum: ac omnibus abſolutis gratias non egit, ſed ſolummodo repetiuit verba ſuæ affectionis & filialis confidentiæ.

Age dic, amice Theotime, puella hæc nónne erga Patrem fortiorem & ſolidiorem teſtificata eſt amorem, quàm ſi multum ſolicitè ab eo remedia ſuo morbo petijſſet, quam ſi reſpexiſſet quomodo vena incideretur,& ſanguis educeretur; addo, & quàm ſi Patri multis verbis gratias egiſſet? Ea de re dubitari non debet: ſi enim multas de ſe ſuſcepiſſet cogitationes, quid inde fuiſſet conſecuta,niſi vanam, & inutilem ſolicitudinem, ſiquidem Pater pro ea ſatis erat ſolicitus? & reſpiciendo brachium,quid inde habuiſſet niſi timorem? & multis Patri gratias agendo, quàm virtutem exercuiſſet, niſi fortè gratitudinem,quæ alijs eius factis Patri abundè conſtabat? Nónne igitur melius fecit, ſe totam quantam occupando in oſtenſione & demonſtratione amoris fi-
Pſ. 42. lialis, patri longè gratioris quauis alia virtute? *Oculi mei ſemper ad Do-*
v.15. *minum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Incidiſti in aduerſitatum laqueos, quibus captus es? Deum reſpice, & ſine eum agere, cu-

ram tui

ram tui ille geret; iacta, cogitatum tuum in illum, & ipſe te enutriet. Cur te igitur immiſces & immittis in VELLE, vel NOLLE mundi euenta & caſus, qui contingunt, aſsiduos: ignoras ſiquidem, quid velle debeas, & DEUS ſat pro te omnia volet, (quæ poſsis velle) te eâ de re nullam omninò curam ſuſcipiente. Expecta igitur in ſpiritûs tranquillitate effectus diuini beneplaciti, & cogita eius voluntatem, quæ ſemper conſtans eſt, tibi ſufficere; ſiquidem ita bonus ſemper eſt, vt non poſſit niſi bonum velle: ſic enim dilectæ ſuæ ſanctæ Catharinæ Senenſi præcepit: *Cogita in me, & ego cogitabo pro te.*

Perdifficile eſt extremam iſtam indifferentiam voluntatis humanæ (quæ eouſque progreſſa eſt in vnionem voluntatis diuinæ) bene exprimere: non enim dicendum eſt, meo iudicio, quòd ILLA ACQVIESCAT VOLVNTATI DEI, ſiquidem ACQVIESCERE eſt per animam agere, & vt clariùs dicam, eſt aliquis ACTUS ANIMÆ, quo illa ſuum declarat conſenſum. Nec etiam dicendum eſt quòd ACCEPTET, neque quòd RECIPIAT: quia ACCEPTARE & RECIPERE ſunt actiones quædam, quæ poſſunt dici actiones paſsiuæ, per quas amplectimur & accipimus, quæ nobis eueniunt. Dicendum etiam non eſt, quòd PERMITTAT: nam PERMISSIO eſt VOLVNTATIS actio, & conſequenter velle quoddam otioſum ſeu voluntas, quæ quidem nihil vult facere, ſed tamen PERMITTERE, vt FIAT aliquid. Vnde potius mihi videtur, quòd anima, quæ eſt conſtituta in hac indifferentia, & quæ nihil vult, ſed ſinit velle DEUM id, quod illi lubebit, dici debeat habere ſuam voluntatem in vna ſimplici & generali expectatione; expectare ſiquidem non eſt facere, aut agere; ſed manere diſpoſitum ad aliquod euentum. Et ſi animum aduertas, videbis, quòd expectatio animæ eſt verè voluntaria, & tamen non eſt actio aliqua, ſed ſimplex quædam diſpoſitio ad recipiendum id, quod eueniet; vbi autem euentum euenerit, & receptum fuerit, expectatio ſe conuertit in conſenſum, & in omnimodam animi quietem & tranquillitatem; at antequam eueniat, anima verè eſt ſimplex, & indifferens expectatio ad omne id, quod voluntas diuina ordinauerit.

Voluntas expectãs nõ agit

Chriſtus Saluator noſter ſummam ſubmiſsionem voluntatis ſuæ humanæ æterni Patris voluntati exprimit & deſiderat his verbis: *Dominus DEUS aperuit mihi aurem,* id eſt, denunciauit mihi ſuum benepla-

 citum,

Digitized by Google

citum, quantũ ad multitudinem laborum & afflictionũ, quas pati debeo;
Iſa.50. v.5. *ego autem*, inquit ille, *non contradico, nõ abij retrorſum*. Quid id aliud eſt, niſi dicere, voluntas mea nõ eſt niſi ſimplex expectatio, quę eſt diſpoſita ad omne id, quod Deus ordinârit: vnde do & relinquo corpꝰ meũ ijs, qui illud percuſſuri ſunt, & genas meas illis, qui eas vulſuri ſunt; paratus ad omnia perpetienda, quæ voluerint. Verùm, aduerte obſecro, Theotime, quòd ſicuti Saluator noſter poſt orationem reſignationis, quam fecit in horto Oliueti, & dum caperetur, ſe tractari & duci ad lubitum eorum, qui illum crucifixerunt, admirandâ cum deſertione & derelictione ſui corporis & vitæ inter aduerſariorum manus ſiuit; ita animam ſuam & voluntatem per indifferentiam perfectiſſimam poſuit in manus æterni Patris; nam licet dixerit, *Devs, Devs meus, vt quid dereliquiſti me*, id fecit, verè vt cognoſceremus amaritudines & pœnas, quas anima eius ſuſtinebat, non autem vt contraveniret, aut contradiceret ſanctiſſimæ indifferentiæ, in qua erat, vti ſtatim pòſt oſtendit, concludens vniuerſam ſuam vitam & paſſionem per incomparabilia hæc verba: **Pater, In manvs tvas commendo spiritvm mevm.**

Perfecta exſpoliatio animæ vnitæ Dei voluntati.

Capvt XVI.

Repræſentemus nobis Iesvm dulcem, Theotime, apud Pilatum, vbi amore noſtri, milites, Miniſtri & Executores eius mortis ſic volentem, omnibus veſtibus, vnâ poſt alteram, exuerunt. Nec his contenti, etiam pellem abſtraxerunt, dilacerantes eam crudelibus virgarum & flagellorum ictibus, ſicuti poſtea eius anima abſtracta fuit à corpore, & corpus à vita per mortem, quam in arâ crucis ſuſtinuit. Verùm triduo elapſo, interueniente ſanctiſſima Reſurrectione, anima glorioſo ſuo corpore ſe iterum veſtiuit; & corpus pelle ſuâ iam immortalitate donata circumdedit: veſtiuit autem ſe Dominus poſt Reſurrectionem diuersâ & differente forma: modò enim in peregrini, modò in hortulani, modò alterius generis habitu appare-

Digitized by Google

apparebat, prout ſcilicet hominum ſalus, & Patris gloria poſtulabat. Amor, amor eſt, ô Theotime, qui hoc totum fecit: ſed & idem amor eſt, qui ingrediens animam quampiam, vt ea ſibi feliciter moriatur, & vni Deo viuat, facit, vt omnibus humanis deſiderijs, quin & ſui ipſius æſtimatione (quæ non minus adhæret Spiritui, quàm pellis carni) ſeſe penitus exſpoliet, denudetque affectionibus quibuſque amabilioribus: quæ ſunt, quas habebat in conſolationibus ſpiritualibus, verſans in exercitijs pietatis, & in perfectione virtutum: quæ videbantur eſſe propria vita animæ deuotæ.

Tunc, Theotime, omni iure exclamat anima: *exui me meis veſtibus, quomodo eas reſumam? laui pedes meos ab omni genere affectionum, quomodo iterum eos inquinabo? Nuda egreſſa ſum è DEI manu, & nuda vregrediar illuc. Dominus multa mihi dederat deſideria, Dominus ea abſtulit, ſit nomen eius benedictum.* Ita, Theotime, idem ille Dominus, qui in principio facit nos deſiderare virtutes, & omni occaſione occurrente eas exercere, idem eſt, qui affectionem virtutum, & omnium exercitiorum Spiritualium à nobis aufert, vt maiori cum tranquillitate, puritate, & ſimplicitate nihil deſideremus, nihil affectemus, præter beneplacitum diuinæ eius Maieſtatis. Nam quemadmodum pulchra & caſta Judith habebat quidem in ſuis cimeliarchijs & ciſtis pulchras & pretioſas veſtes pro feſtiuitatibus, & Neomenijs Domûs Iſrael; ſed nullum erga eas gerebat affectum; nunquam ſiquidem toto ſuæ viduitatis tempore ſe ijs ornauit, niſi quando à Deo inſpirata, perditum iuit Holofernem & exercitum eius; ſic nos quamuis didicerimus praxim virtutum, & deuotionis exercitium, tamen ea appetere non debemus, neque ijs cor noſtrum veſtire, niſi in quantum ſcimus id Dei beneplacitum velle: & quemadmodum Judith remanſit ſemper in veſte lugubri, præterquam in dicta occaſione, in qua voluit Deus, vt ſplendidè veſtita pomposè incederet; ita debemus nos pacificè manere veſtiti noſtrâ miſeriâ & abiectione, viuendo inter noſtras imperfectiones & infirmitates, vſq; dum Deus nos exaltet ad praxin excellentium actionum. Perfectorum hoc eſt opus.

Cùm autem nequeamus longam moram trahere in iſta nuditate, ſpoliati omni genere affectionum, monet nos Apoſtolus, vt poſtquam nos exuimus veſtimentis veteris Adam, induamus nos habitu noui hominis, id eſt Christi Iesu; nam cùm omnibus nuncium remiſerimus,

etiam affectionibus virtutum, quod nolimus poſthac, neque earum affectiones, neque quarumcunque aliarum rerum habere, niſi in quantum Dei beneplacitum exigit, oportet nos rurſum reueſtiri pluribus affectionibus & fortaſſis etiam illis ipſis, quibus nuncium remiſimus. Sed nota quòd ſi oporteat nos iterum eas reſumere, id fieri non debere, quia nobis gratæ ſunt, quia vtiles, quia honorabiles & propriæ ad fouendum amorem, quem pro nobis ipſis gerimus, ſed quia gratæ Deo, quia eius honori vtiles, & ad eius gloriam deſtinatæ.

Eliezer ferebat ſecum inaures & armillas, nec non noua veſtimenta pro puella, quam Deus præparârat filio Domini ſui, & re ipsâ illa donauit Virgini Rebeccæ, ſimulatque agnouit illam eſſe, quam quærebat. Habendæ omnino ſunt nouæ veſtes pro Sponſa Saluatoris, ſi pro illius amore, quam hactenus erga parentes, erga patriam, erga familiam, & amicos habuit, veteri affectione ſe exſpoliauit; & deinceps penitus nouam aſſumat, deſiderando ſuo tempore & loco ea quæ Sponſus ordinat, adimplere: & hoc non ſecundum conſiderationes humanas, ſed ſecundum diuinas: quia ſcilicet Sponſus cæleſtis hoc vult, hoc mandat, hoc intendit, talemque ordinem & ſeriem conſtituit in charitate. Si exuitur vetus affectio in conſolationibus Spiritualibus, in exercitijs deuotionis, in praxi virtutum, quin imò & in proprio noſtro progreſſu ad perfectionem; reueſtiri nos oportet aliâ affectione, totâ quantâ nouâ, amando omnes gratias, & fauores cæleſtes, non iam, quia bene afficiunt, beneq; diſponunt animam noſtram, ſed quia nomen Domini ſanctificatur, eius regnum locupletatur, nec non beneplacitum glorificatur.

Ita S. Petrus ſe in carcere veſtiuit non propriâ ſuâ electione, ſed Angeli mandato: cinxit ſe, accepit ſandalia, deinde reliqua ſua aſſumpſit veſtimenta. Et glorioſus S. Paulus, expoliatos vno temporis momento omnibus affectionibus; *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* id eſt Domine, quid placet, vt affectem, vt incipiam? ſiquidem tu me proſternens ad terram meam in me mori feciſti voluntatem, quia tu Deus meus es! Theotime, quicunq; omnia reliquit propter Deum, nihil debet reſumere, niſi quod placet Deo: non amplius nutrit ſuum corpus, niſi ad Domini præceptum, quà illud ſeruiat ſpiritui; non amplius ſtudet niſi, vt ſeruiat proximo & propriæ animæ, ſecundum diuinam in-

tentionem;

Digitized by Google

tentionem; exercet virtutes, non quà faciunt ad ſuum lubitum, ſed quà Deus id deſiderat.

Deus mandauit Iſaiæ Prophetæ, vt ſe ſuis expoliaret veſtibus, his verbis: *Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis.* Iſa. 20.
Et fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus, vel tribus dieb⁹, vt aliqui dicunt, vel trib⁹ annis, vt alij arbitrantur: deinde elapſo termino, quē Deus ei præſcripſerat, reſumpſit veſtimenta ſua. Ita nos denudare debem⁹ noſtris omnibus affectionibus, paruis & magnis, ſæpeq; examinare cor noſtrū, ad explorandum an promptum & paratum ſe inueniat ad huiuſmodi affectionibus expoliandum, vt ſe Iſaias ſuis expoliauit veſtibus; ac deinde ad affectiones conuenientes ſeruitio charitatis in tempore reſumendas: vt moriatur nudus in cruce cum Saluatore, poſteaque reſurgat in nouum hominem cum illo. *Dilectio fortis eſt vt mors,* proinde potens facere, vt omnibus nos expoliemus; eſt & magnifica velut Reſurrectio, vt nos gloriâ & honore coronet. v. 2.

LIBER X.

Digitized by Google

LIBER DECIMVS.

De PRÆCEPTO DEVM AMANDI SVPER OMNIA.

De ſuauitate mandati, quod nobis DEVS dedit, vt ſe amemus ſuper omnia.

CAPVT I.

HOmo eſt perfectio totius vniuerſi, anima perfectio hominis, amor animæ, charitas autem amoris. Ideo amor DEI eſt finis perfectionis, & excellentiæ totius vniuerſi. In hoc, Theotime, conſiſtit magnitudo, primatus & dignitas præcepti amoris diuini, quòd Saluator nominat PRIMVM & MAXIMVM MANDATVM. Eſt enim hoc præceptum velut ſol, quod impertit decus & dignitatem omnibus ſacris legibus, omnibus item ordinationibus diuinis, quin & omnibus ſacræ Scripturæ voluminibus. Omnia facta ſunt per cæleſtem

Digitized by Google

hunc amorem, & omnia ad illum referuntur. Ex arbore huius ſacri mandati omnia alia generis eiuſdem, vt exhortationes, inſpirationes, & reliqua omnia præcepta dependent, tanquam flores, vita autem æterna, vt eius fructus. Quid multis? quicquid non tendit ad amorem æternum, tendat oportet ad mortem ſempiternam. O magnum igitur mandatum, cuius perfecta praxis durat in vita æterna! imò, nihil eſt aliud, quàm ipſa æterna vita.

At vide, Theotime, quàm amabilis ſit iſta lex amoris! O Deus æterne, nónne ſatis erat, quòd dignatus fueras permiſiſſe & conceſſiſſe nobis diuinum amorem, (ſicut Laban permiſit amorem Rachelis Jacobo Patriarchæ) omiſsis tot admonitionibus, quibus ad eum nos excitares, & mandatis, quibus ad eundem impelleres? Omnino non: ò bonitas diuina, quæ, ne vel tua magnitudo, vel noſtra humilitas, vel prætextus quiſpiam nos retardaret à tuo amore, nobis eum mandando, & præcipiendo dare voluiſti! Miſer Apelles non valens eſſe ſine amore, non tamen audebat amare formoſam Compaſpen, eò quòd eſſet Alexandri. Verùm vbi impetrauit, vt eam amare poſſet, ò ſuperi! quantum ſe debere æſtimauit ei, qui hoc illi permittebat! Ignorabat an amare deberet ſpecioſam Compaſpen, quam tantus Imperator deferens, ei tradiderat; an verò ipſum Imperatorem, qui ei ceſſerat. O, ſi intelligere poſſemus, Theotime, quantopere obligemur aduerſus ſummum bonum, quod non ſolùm nobis permittit, ſed etiam, dato præcepto, mandat, vt ſe amemus! Eheu! Deus mi, ignoro an magis amare debeam infinitam tuam pulchritudinem, quam diuina bonitas tua præcipit mihi, vt amem; an verò tuam diuinam bonitatem mihi præſcribentem, vt amem infinitam pulchritudinem! ò pulchritudo mihi conceſſa per immenſam bonitatem quàm es amabilis! ò bonitas, quam & tu es amanda, quòd mihi communices tam eminentem pulchritudinem!

In extremo die iudicij Deus ſpiritibus damnatis apprehenſionem iacturæ, quam fecerunt, modo admirabili imprimet: diuina enim maieſtas faciet eos clarè videre pulchritudinem ſuæ faciei, ſicut & theſauros ſuæ bonitatis; & in viſione iſtius infinitæ deliciarum abyſsi, voluntas ſummo conatu volet inſilire in Deum, vt ſe vniat illi, & vnita eius amore fruatur; ſed gratis: ſiquidem ea erit ad inſtar fœminæ, quæ inter dolo-

res

Digitized by Google

res partûs, poſtquam ſuſtinuit violenta tormina, crudeles conuulſiones & intolerabiles anguſtias, tandem moritur, non enixa prolem. eo ipſo enim quòd clara notitia diuinæ pulchritudinis penetrauit intellectus iſtorum infortunatorum ſpirituum, diuina iuſtitia tollet taliter vires à voluntate, vt nullo prorſus modo amare valeat obiectum, quod intellectus ei proponet, & repræſentabit tam amabile; & viſio, quæ ingenerare debebat magnum amorem in voluntate, loco illius, faciet vt infinita enaſcatur triſtitia, quæ triſtitia efficietur æterna per recordationem, (quod æternùm manſura eſt in ſpiritibus perditis) ſupremæ pulchritudinis, quam viderunt. Dixi, per recordationem, ſed intelligere debes, lector, eam fore ſterilem, & nudam omni bono, fertilem autem & feracem cruciatuum, pœnarum, tormentorum & deſperationum immortalium, quia in voluntate ſimul inuenientur omnimoda impoſsibilitas, terrifica auerſio, & perennis reniſus, ad amandam tam deſiderabilem excellentiam; ita vt miſeri damnati manſuri ſint æternùm in furore & furiâ deſperatâ, eò quòd cum nôrint perfectionem & amorem nunquam ſint adepturi. Quia dum eam amare poterant, noluerunt, excruciabuntur ſiti tanto ardentiore & violentiore, quanto recordatio ſcaturiginis aquarum æternæ vitæ eorum ardores exacuet; morientur immortaliter, ſicut canes, fame tantò vehementiore, quantò eorum memoria magis coquet, ſed nunquam excoquet inſatiabilem immanitatem, per recordationem conuiuij quo priuatos ſe apprehendent. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit,* Pſ. 111 10.

Nollem equidem aſſerere viſionem pulchritudinis Dei; quam infelices illi ſpiritus habebunt velut fulgur aliquod, & ad inſtar fulgetri, futuram eiuſdem claritatis, cuius erit beatorum! Erit tamen tam clara, vt videant filium hominis in ſua majeſtate: *Videbunt in quem transfixerunt,* & per viſionem iſtam gloriæ magnitudinem ſuæ iacturæ cognoſcent. O ſi Deus prohibuiſſet nobis, ne ſe, amaremus, quanta id eſſet pœna & afflictio animabus generoſis. Ecquid eæ non agerent tentarentq; vt eum amandi permiſſionem obtinerent? Dauid periculoſam crudelis pugnæ cum Goliath ſubijt aleam, vt promiſſam Regis filiam obtineret; & quid non fecit Iacob Patriarcha, vt ſibi in matrimoninm daretur Rachel? ecquid etiam non tentauit princeps Sichem, vt vxorem habe-

ret Dinam? Damnati felices ſe exiſtimarent; ſi vel ſolùm opinarentur futurum aliquando, vt Deus à ſe vellet amari; beati autem putarent ſe damnatos, ſi in animum admitterent fore vt aliquando ſacro hoc amore priuarentur.

Quàm deſideranda ſit ſuauitas iſtius mandati, ex eo colliges, Theotime, quòd ſi diuina voluntas illud communicaret damnatis, momento vno liberarentur à ſua infelicitate, beati autem non eſſent beati, niſi praxin illius in vſu haberent. O amor cæleſtis, quàm es amabilis animabus noſtris! Benedicta ſit in æternùm bonitas, quæ nobis tanta cum ſolicitudine mandat vt ſe amemus; licet eius amor ex ſe & à parte rei ita ſit deſiderabilis, & neceſſari' noſtræ felicitati, vt ſi illo careamus, infelices ſimus oportet.

Quod diuinum hoc de amore mandatum pertineat quidem ad cælum, ſed datum ſit huius mundi fidelibus.

Caput II.

SI nulla lex impoſita eſt iuſto, quòd ſcilicet eam præueniat, nec neceſſe habeat ab ea ſolicitari, aut officij ſui admoneri (facit enim Dei voluntatem inſtinctu charitatis, quæ in eius anima regnat) quàm beatos æſtimare debemus regni cæleſtis Incolas, qui liberi & exempti ſunt ab omni genere mandatorum; quia ex fruitione (in qua ſunt) & ex ſuprema pulchritudine & bonitate Dilecti influit & illabitur in eorum animas dulciſsima, ſed ineuitabilis neceſſitas æternùm amandi ſanctiſſimam diuinitatem? Amabimus Theotime, in cælo Deum non ligati, aut obligati vllâ lege, ſed velut attracti & quaſi rapti lætitiâ, quam obiectum illud tam perfectè amabile cordibus noſtris elargietur. Tunc vis mandati ceſſabit, & incipiet vis gaudij, quod futurum eſt fructus, & complementum obſeruati in hoc mundo mandati. Nos igitur deſtinati ſumus ad gaudium, quod nobis promiſſum eſt in vita immortali, per mandatum quod nobis datum eſt in mortali, in qua verè obligati ſumus illud ſtrictiſſimè obſeruare; ſiquidem lex fundamentalis eſt, quam Rex Chriſtus Jesus dedit ciuibus Hieruſalem militantis,

vt per

vt per illam ius Ciuicum, gaudiumque triumphantis Hieruſalem promererentur.

Certè in cælo cor liberum à paſſionibus, animam expurgatam à diſtractionibus, ſpiritum expeditum à contradictionibus, & vires ſolutas ab omni reniſu habebimus; ideoque ibi per continuam, & nunquam interrumpendam dilectionem, DEVM amabimus, vti dictum eſt de quatuor ſacris animalibus, quæ Euangeliſtas repræſentantia, ſine intermiſſione die & nocte laudant diuinitatem. O DEVS, quali & quantâ perfundemur lætitiâ quãdo in æternis tabernaculis Spiritus noſtri ſtabiliti, erunt in perpetuo motu, in quo TAMEN quietem diu multumque deſideratam æternæ ſuæ dilectionis habituri ſunt? *Beati qui habitant in domo tuâ* Pſ. 83.
Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. 5.

Verùm prætendi & expectari non debet in hac vita mortali amor ſummè perfectus; necdum enim cor, animam, ſpiritum & vires beatorum poſſidemus. Sufficit proinde nos amare ex toto corde, & ex totis viribus, quibus hic pollemus. *Dum ſumus paruuli ſapimus vt paruuli, loquimur vt paruuli,* amamuſque vt paruuli: at vbi ſemel in ſupernis Beatorum domicilijs, omni paruitate & infantiâ exuti fuerimus, perfectè DEVM amabimus. Non oportet tamen Theotime, dum in infantia huius vitæ mortalis verſamur, omittere id facere, quod poſſumus, iuxta quod mandato nobis præceptum eſt: quia non ſolum id, quod mandatum eſt, ſeruare poſſumus, ſed facilè poſſumus; mandatum ſiquidem hoc totum eſt amoris, & ex amore DEI, qui cùm ſit ſummè bonus, ſummè etiam à nobis amandus eſt.

Quomodo toto corde ſacro amori impenſo, poſſit nihilominus differenter amari; & ſimul amando DEVM, etiam plures aliæ res amari poſſint.

CAPVT III.

QVi totum dicit, nihil excludit, & tamen homo non ceſſabit eſſe totus DEI, totus patris ſui, totus Matris, totus Principis, totus Reipublicæ, totus ſuæ prolis, totus denique amicorum, ſic vt exiſtens vnius, ſit etiam omnium. Id certè ſic habet; nam debitum, quod quis habet ad vnum, non eſt contrarium debito, quod habet ad omnes.

Homo ſe totum dat per amorem, & dat tantum quantum amat: eſt igitur comprimis tunc datus Deo, quando ſummè amat eius bonitatem. Et quando ſic ſe donauit, nihil debet amare, quod eius cor à Deo poſsit auertere. Nullus autem amor tollit corda noſtra à Deo, niſi ille, qui ei contrarius eſt

Gé.21. v. 9. Sara non ægrè fert, quòd Iſmaël ſit circa charum ſuum Iſaac, modò ludendo eum non trudat, nec pungat. Diuina etiam bonitas non offenditur videns in nobis amores alios præter ſuum, id eſt præter eum, quo illum amamus, dummodo ij amores, debitam aduerſus ſe reuerentiam & ſubmiſsionem, quæ ei debetur, ſtudioſè conſeruent.

Certè, Theotime, in cæleſti domicilio Deus ſe totum nobis donabit, & non ex parte tantùm, ſiquidem ille tale eſt totum, quod caret partibus, ſed tamen ſe donabit diuerſimodè, & tot cum differentijs, quot erunt beati. Quod ſic fiet, quia ſe dans totum omnibus, & totum vnicuique, nunquam ſe penitus, ſeu vt loquuntur in ſcholis, adæquatè dabit vni in particulari; neque omnibus in genere; nos autem ea menſurâ & proportione nos ei dabimus, quâ ille ſe nobis dabit. Videbimus enim verè eum omnes facie ad faciem, ſicuti eſt in ſua pulchritudine; & amabimus eum toto corde, ſicuti eſt in ſua bonitate; ſed tamen non omnes eum videbimus æquali cum claritate, neque etiam amabimus æquali ſuauitate: ſed vnuſquiſque eum videbit, & amabit iuxta particularem gloriæ menſuram, quam ei diuina prouidentia elargietur. Omnes æqualiter poſsidebimus plenitudinem diuini amoris, ſed plenitudines in perfectione erunt inæquales. Mel Narbonenſe eſt totum quantum dulce, & etiam Pariſienſe; vtrumque plenum eſt dulcedinis, vnum tamen eſt plenum melioris, purioris & efficacioris dulcedinis, quàm alterum. Et quamvis vtrumque ſit totum dulce, neutrum tamen habet omnimodam dulcedinem. Iuramentum fidelitatis facio ſupremo principi, facio etiam ei ſubordinato, & vt loquuntur philoſophi, ſubalterno: quo facto vtriq; ſacramento fidelitatis me obligo & adſtringo, & tamen neque huic, neque illi fidem meam omnimodè obligo. Nam in ea, quam præſto ſupremo Principi, non excludo illam, quam præſto vices eius gerenti, ſed nec in illa, quam præſto vices gerenti, excludo illam, quam promiſi ſupremo Principi. Quod ſi in cælo, vbi hæc verba: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo* diligentiſsimè exercebuntur, magnæ erunt

erunt differentiæ in amore; quid mirum eſt, ſi in hac mortali vita maiores ſint?

Theotime, non ſolũ inter eos, qui Deum amant ex toto corde ſuo, ſunt aliqui, qui magis amant, & alij qui minus, ſed etiã vnus & idẽ nonnunquã ſe ipſum ſuperans in ſacro hoc exercitio dilectionis Dei, ſuper omnia, magis vnâ vice amat, quàm aliã. Appelles vnã vice melius, quàm altera pingebat, ſe ipſum ſuperans. Nam, quamvis ordinariè adhibuerit totam ſuam artem & totam attentionem in pingendo Alexandro Magno, tamen non ſemper, vt loquuntur in ſcholis, totaliter, neque ita integrè, quin alij adhuc conatus illi ſuperfuerint, per quos non impendebat quidem maius artificium, neque etiam maiorem attentionem, ſed viuacius & perfectius tum artificium tum attentionem; applicabat dubio procul ſemper totum ſuum intellectum, ad bene exprimendas imagines Alexandri, quia illum applicabat ſine exceptione, ſed ſubinde efficacius & felicius. Quis ignorat fieri progreſſum in ſancto hoc amore ac proinde finem Sanctorum eo in exercitio eſſe magis completum magiſque perfectum, quàm fuerit principium.

Cæterùm, iuxta modum loquendi ſacræ Scripturæ, facere aliquid ex toto corde, nihil aliud ſibi vult, quàm facere bono corde, & rectã intentione, nihil excipiendo, nihil reſeruando. O Domine, dicebat Dauid, *quæſiui te in toto corde meo, clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Et Pſal. 118. v. 145.
verò eadem Scriptura teſtimonium dat de eo, quod verè ſecutus fuerit Deum ex toto corde ſuo; nec tamen hoc poſito ſilet, quod Ezechias Rex inter omnes alios Reges Iuda non habuerit ſibi ſimilẽ neq; ante ſe, neq; poſt, vniendo ſe Deo, eidemq; conſtanter ſeruiendo. Deinde dicta ſæpius ſacra Scriptura tractans de Joſia dicit, quod non fuerit aliquis rex neq; prior illo neq; poſterior, qui ei fuerit ſimilis, qui redierit ad Dominum ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, & ex totis viribus iuxta legẽ Moyſis; nullus etiam poſt illum ſimilis ſurrexerit. Vide igitur, Theotime, obſecro vide, quomodo Dauid, Ezechias, & Ioſias amârint Deum ex toto corde ſuo; & nihilominus omnes tres non amabant æqualiter; ſiquidem vnus è tribus non habuerit ſimilem ſibi in amore, vt clarè dicit ſacer textus. Omnes tres quidem Deum amârunt, & quilibet, ex toto corde, ſed nullus inter eos, neque omnes tres ſimul amârunt totaliter: ſed ſinguli

Homo ſe totum dat per amorem,& dat tantum quantum amat: eſt igitur comprimis tunc datus Deo, quando ſummè amat eius bonitatem. Et quando ſic ſe donauit,nihil debet amare,quod eius cor à Deo poſsit auertere. Nullus autem amor tollit corda noſtra à Deo, niſi ille, qui ei contrarius eſt

Gé.21. v. 9. Sara non ægrè fert, quòd Iſmaël ſit circa charum ſuum Iſaac, modò ludendo eum non trudat, nec pungat. Diuina etiam bonitas non offenditur videns in nobis amores alios præter ſuum, id eſt præter eum, quo illum amamus, dummodo ij amores, debitam aduerſus ſe reuerentiam & ſubmiſsionem, quæ ei debetur, ſtudioſè conſeruent.

Certè, Theotime, in cæleſti domicilio Deus ſe totum nobis donabit, & non ex parte tantùm, ſiquidem ille tale eſt totum, quod caret partibus, ſed tamen ſe donabit diuerſimodè, & tot cum differentijs, quot erunt beati. Quod ſic fiet, quia ſe dans totum omnibus, & totum vnicuique, nunquam ſe penitus, ſeu vt loquuntur in ſcholis, adæquatè dabit vni in particulari; neque omnibus in genere; nos autem eâ menſurâ & proportione nos ei dabimus, quâ ille ſe nobis dabit. Videbimus enim verè eum omnes facie ad faciem, ſicuti eſt in ſua pulchritudine; & amabimus eum toto corde, ſicuti eſt in ſua bonitate; ſed tamen non omnes eum videbimus æquali cum claritate, neque etiam amabimus æquali ſuauitate: ſed vnuſquiſque eum videbit, & amabit iuxta particularem gloriæ menſuram, quam ei diuina prouidentia elargietur. Omnes æqualiter poſsidebimus plenitudinem diuini amoris, ſed plenitudines in perfectione erunt inæquales. Mel Narbonenſe eſt totum quantum dulce, & etiam Pariſienſe; vtrumque plenum eſt dulcedinis, vnum tamen eſt plenum melioris, purioris & efficacioris dulcedinis, quàm alterum. Et quamvis vtrumque ſit totum dulce, neutrum tamen habet omnimodam dulcedinem. Iuramentum fidelitatis facio ſupremo principi, facio etiam ei ſubordinato, & vt loquuntur philoſophi, ſubalterno: quo facto vtriq; ſacramento fidelitatis me obligo & adſtringo, & tamen neque huic, neque illi fidem meam omnimodè obligo. Nam in ea, quam præſto ſupremo Principi, non excludo illam, quam præſto vices eius gerenti, ſed nec in illa, quam præſto vices gerenti, excludo illam, quam promiſi ſupremo Principi. Quodſi in cælo, vbi hæc verba: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo* diligentiſsimè exercebuntur, magnæ

erunt

Digitized by Google

erunt differentiæ in amore; quid mirum eſt, ſi in hac mortali vita maiores ſint?

Theotime, non ſolû inter eos, qui Deum amant ex toto corde ſuo, ſunt aliqui, qui magis amant, & alij qui minus, ſed etiã vnus & idẽ nonnunquã ſe ipſum ſuperans in ſacro hoc exercitio dilectionis Dei, ſuper omnia, magis vnâ vice amat, quàm aliâ. Appelles vnâ vice melius, quàm altera pingebat, ſe ipſum ſuperans. Nam, quamvis ordinariè adhibuerit totam ſuam artem & totam attentionem in pingendo Alexandro Magno, tamen non ſemper, vt loquuntur in ſcholis, totaliter, neque ita integrè, quin alij adhuc conatus illi ſuperfuerint, per quos non impendebat quidem maius artificium, neque etiam maiorem attentionem, ſed viuacius & perfectius tum artificium tum attentionem; applicabat dubio procul ſemper totum ſuum intellectum, ad bene exprimendas imagines Alexandri, quia illum applicabat ſine exceptione, ſed ſubinde efficacius & felicius. Quis ignorat fieri progreſſum in ſancto hoc amore ac proinde finem Sanctorum eo in exercitio eſſe magis completum magiſque perfectum, quàm fuerit principium.

Cæterùm, iuxta modum loquendi ſacræ Scripturæ, facere aliquid ex toto corde, nihil aliud ſibi vult, quàm facere bono corde, & rectâ intentione, nihil excipiendo, nihil reſeruando. O Domine, dicebat Dauid, *quæſiui te in toto corde meo, clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine*. Et verò eadem Scriptura teſtimonium dat de eo, quod verè ſecutus fuerit Deum ex toto corde ſuo; nec tamen hoc poſito ſilet, quod Ezechias Rex inter omnes alios Reges Juda non habuerit ſibi ſimilẽ neq; ante ſe, neq; poſt, vniendo ſe Deo, eidemq; conſtanter ſeruiendo. Deinde dicta ſæpius ſacra Scriptura tractans de Joſia dicit, quod non fuerit aliquis rex neq; prior illo neq; poſterior, qui ei fuerit ſimilis, qui redierit ad Dominum ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, & ex totis viribus iuxta legẽ Moyſis; nullus etiam poſt illum ſimilis ſurrexerit. Vide igitur, Theotime, obſecro vide, quomodo Dauid, Ezechias, & Ioſias amârint Deum ex toto corde ſuo; & nihilominus omnes tres non amabant æqualiter; ſiquidem vnus è tribus non habuerit ſimilem ſibi in amore, vt clarè dicit ſacer textus. Omnes tres quidem Deum amârunt, & quilibet, ex toto corde, ſed nullus inter eos, neque omnes tres ſimul amârunt totaliter: ſed ſinguli

Pſal. 118. v. 145.

guli ſuo modo peculiari; ita vt quemadmodum omnes tres fuerunt ſimiles in hoc, quòd dederit eorum quilibet totum cor ſuum, ſic fuerunt diſſimiles omnes tres in modo illud dandi: at non eſt dubium, quin Dauid, acceptus ſeparatim, magnopere fuerit diſſimilis ſibi ipſi in hoc amore: & quòd poſtquam accepit ſecundum cor, quod Deus mundum & purum in eo creauit cum recto spiritu, quem Deus renouauit in eius viſceribus per ſanctam pœnitentiam, multò ſuauius cantârit canticum ſuæ dilectionis, quàm vnquam cantâtat, inconcuſſo manente primo corde, & primo ſpiritu.

Omnes veri amatores ſunt æquales in hoc, quòd omnes totum ſuum cor dent Deo; & hoc ex omnibus ſuis viribus; verùm ſunt inæquales in hoc, quòd omnino dent diuerſimodè; ſiquidem aliqui dant totum cor ſuum ex omni ſua fortitudine, minus tamen perfectè, quàm alij. Hic dat totum per martyrium, ille totum per Virginitatem, alius totum per paupertatem, totum per actionem, totum per contemplationem, totum per exercitium paſtorale, denique cùm omnes illud totum dent per obſeruantiam mandatorum, aliqui tamen illud dant minori cum perfectione, alij cum maiori.

Quinimò & ipſe Patriarcha Iacob, qui nominatur Sanctus Dei in Daniele, & quem Deus teſtatur ſe amâſſe; ipſemet inquã Iacob fatetur ſe ſeruiſſe Laban ex totis ſuis viribus. Et quare ſeruiuit Laban, niſi vt Rachelem, quam amabat totis ſuis viribus, adipiſceretur vxorem? ſeruit Laban totis viribus, ſeruit & Deo ſimiliter; amat Rachelem ex totis ſuis viribus, ex totis amat & Deum: ſed non ideò amat Rachelem, ſicuti Deum; neque Deum, ſicuti Rachelem; amat Deum vt Deum ſuum ſuper omnia, & magis quàm ſe ipſum, amat autem Rachelem, vt vxorem ſupra omnes alias fœminas, & ſicut ſe ipſum; amat Deum amore abſoluto, & ſummè ſupremo; Rachelem autem amore ſupremo nuptiali. Vnus horum amorum non eſt contrarius alteri; ſiquidem amor Rachelis non violat priuilegia & ſupremas prærogatiuas amoris Dei.

Atque ita Theotime, pretium amoris, quem Deo offerimus, dependet ab eminentia & præſtantia motiui, propter quod & ſecundùm quod nos eum amamus eo titulo, quo eſt ſuprema & infinita eius bonitas, & Deus optimus maximus. Porrò gutta vna iſtius amoris pluris eſt, efficacior eſt, pluriſque æſtimari debet, quàm omnes alij amores, qui vnquam

quam

quam eſſe poſſunt tum in cordibus hominum, tum in choris Angelorũ: nam dum amor iſte viuit, ſimul regnat & imperat omnibus affectionibus, faciens vt Deus ab amante indifferenter, vniuerſaliter, ac ſine vlla exceptione rebus omnibus præferatur.

De duobus gradibus perfectionis, quibuſcum præceptum hoc poteſt obſeruari in hac vita mortali.

Capvt IV.

Dvm magnus Rex Salomon adhuc regeretur diuino ſpiritu, compoſuit cantica canticorum. Is, iuxta illius temporis permiſſionem magnam habebat varietatem vxorum, ac adoleſcentularum ſuis amoribus denotarum. Erant eæ diuerſæ conditionis, & differentes in dignitate. I. enim vna erat vnicè vnica, perfecta, rara, & velut ſingularis columba, quâ cum aliæ non veniebant in comparationem, & quam propterea nomine proprio appellauit Sulamitidem. II. Habebat ſexaginta alias, quæ poſt illam primum dignitatis gradum tenebant & Reginæ nominabantur. III. Vltra omnes iſtas habebat adhuc octuaginta concubinas, quæ quidem non erant Reginæ, participes tamen erant Regalis thalami, erantq; eæ etiã honoratæ, & legitimæ Regis amicæ. IV. & vltimo erant adoleſcentulæ ſine numero, quæ & erant in expectatione (& velut viui ſurculi alijs arboribus inſerendi) & quæ, cum præcedentes deficiebant, earum loco ſubſtituebantur. Porrò ſuper hanc ideam rerũ, quæ tunc agebantur in eius palatio, deſcripſit Deus diuerſas perfectiones animarũ, quæ, adueniente tempore, debebant adorare, amare & obſequijs ſibi demereri magnum Regem pacificum, Jesvm Christvm, Dominum noſtrum. Inter has ſunt aliquæ, quæ recens à ſuis peccatis liberatæ, decreuerunt Devm ſuum amare, ſed tamen adhuc ſunt Nouitiæ, Diſcipulæ, teneræ & debiles; ita vt ament quidem diuinam ſuauitatem, ſed cum magna admixtione aliarum diuerſarum affectionum, vt ſacro earum amore adhuc exiſtente in ſua infantia, ament illæ præter Dominum multas alias res ſuper-

 ſluas,

fluas, vanas & periculoſas. Et quemadmodum phœnix recenter excluſus in ſuo cinere, non habens adhuc niſi paruulas & fluctuantes plumas, atque pilos fatuos, non poteſt niſi paruas, & velut coactas vibrationes ſui corporis facere; ob quas dicendus eſt potius ſaltare, quam volare; ita teneræ & iuuenes iſtæ animæ, non ita pridem natæ, ex cinere ſuæ pœnitentiæ non poſſunt adhuc altè in pleno, vaſtoque aëre ſacri amoris volare, quia retinentur multitudine malarum inclinationum, & prauorum habituum, quos contraxerunt ex peccatis vitæ præteritæ. Sunt nihilominus viuidæ, animatæ & etiam ornatæ plumis amoris, & quidem veri amoris, alioquin peccatum non deſeruiſſent: ſed tamen adhuc ille eſt debilis & tener; qui cùm circumdatus etiamnum ſit multitudine aliorum amorum, non producit tot fructus, quot produceret, ſi integrè cor poſſideret.

Talis fuit filius prodigus, quando deſerens illiberale ac infame ſubulci opificium, id eſt porcorum cuſtodiam, inter quos vixerat, rediJt ad Patrem ſeminudus, ſqualidus, ſordidus, & putridus ex fœtoribus, quos contraxerat inter impura illa animalia. Nam quid eſt deſerere porcos, niſi ſe retrahere à peccato, & quid eſt venire ad Patrem, dum es lacer, pannoſus, ac fœtidus, quàm adhuc habere affectum implicatum habitibus ac inclinationibus ad peccatum trahentibus? ſed interim habebat vitã animæ, quæ eſt amor, & velut phœnix renaſcẽs ex ſuo cinere, ex quo de nouo ſe reuixiſſe & reſuſcitatum eſſe deprehendit. *Erat mortuus, dicit Pater, & reuixit.* Porrò animæ illæ, nominatæ in Canticis adoleſcentulæ, in quantum ſenſerant odorem nominis ſponſi, qui non ſpirat aliud, quàm ſalutem & condonationem, amabant quidem amore vero, ſed amore, qui, vt illæ, adhuc erat tener & recens; quia quemadmodum adoleſcentulæ amant quidem ſuos ſponſos, ſi quos habent, ſed non intermittunt interim magnopere etiam amare mundum muliebrem, & res non magni momenti, ſuas ſocias, quibuſcum ſe occupant, ludendo, choreas ducendo, & etiam nonnunquam laſciuiendo, nugando cum auiculis, caniculis, ſciuris & alijs huiuſmodi ineptijs: ita hæ animæ tenellæ adhuc & Nouitiæ, amant quidem rectè ſacrum ſponſum, ſed cum innumeris propè diſtractionibus, & voluntarijs ac minimè neceſſarijs diuerticulis; ita vt amando eum ſuper alias omnes res, non intermittant ſe detineri pluribus rebus, quas non amant ſecundum illum, ſed præter illum, extra il-

lum

lum, & ſine illo. Certè, quemadmodum minores inordinationes in verbis, in geſtu, in habitu, in delectationibus & ineptijs, quæ inſtituuntur animi cauſâ, vti non ſunt propriè loquendo, contra voluntatem Dei, ita etiam non ſunt ſecundum illam, at extra illam, & ſine illa.

Verùm, ſunt animæ nonnullæ, quæ cùm fecerint iam aliquem progreſſum in amore diuino, præciderintque omnem alium amorem, quem habebant in rebus lubricis, nihilominus non carent amoribus periculoſis & ſuperfluis: eò quòd cum exceſſu & amore nimis tenero, nimiaque paſſione poſſeſſo appetant id, quod Deus quidem vult illas appetere, & amare, ſed moderatè. Volebat Deus, vt Adam tenerè amaret Euam, ſed non ita tenerè, vt ad ei placendum, violaret legem & ordinem à diuina ſua Maieſtate datum. Non amauit igitur rem ſuperfluam, nec ex ſe ipſa periculoſam, ſed amauit ſuperfluè & periculoſè. Amor noſter erga Parentes, amicos, conſanguineos, benefactores, &c. eſt ex ſe ipſo ſecundùm Deum, ſed poſſumus cum exceſſu eos amare; ſicuti & noſtras vocationes (quantumuis ſint ſpirituales) & noſtra pietatis exercitia (quæ quidem multum amanda ſunt) amare poſſumus inordinatè, dum ea præferimus obedientiæ & bonis magis vniuerſalibus; quod ea appetimus, vt finem vltimum, cùm non ſint niſi media, & directiones quædam ad finalem noſtrum ſcopum, qui eſt diuinus amor. Animæ hæ, quæ non amant aliud, quàm id, quod Deus vult illas amare, ſed excedunt in modo amandi, amant quidem diuinam bonitatem ſuper omnia, ſed non in omnibus rebus. Nam illas ipſas res, quæ non ſolùm permiſſæ ſunt, ſed etiam præceptæ, vt amentur ſecundùm Deum, non amant ſolùm ſecundum Deum, ſed ob cauſas & motiua, quæ quidem non ſunt contra Deum, ſed extra Deum. Vnde ſimiles ſunt Phœnici, qui habens primas & primò prodeuntes plumas, & incipiens ſe paulatim roborare, & in altum iam in pleno aëre attollere, ſed non habens adhuc ſufficientes vires, vt diu poſſit volare, deſcendit ſæpe ad terram, vt quietem aliquam capeſſat. Talis fuit miſer ille Juuenis, qui quidem cum à puero mandata Dei obſeruaſſet, bona aliena non deſideraſſet; ſed ſolùm nimio, nimiſque tenero affectu ea, quæ habebat diligebat, quando Dominus illi ſuaſit, vt ea daret pauperibus, factus eſt triſtis & melancholicus. Nihil amabat, quod illi non eſſet licitum amare, ſed amabat amore ſuperfluo, & nimis arcto. Animæ igitur hæ, Theotime, amant qui-

dem nimis ardenter & ſuperfluè, ſed non amant ſuperfluitates, at ſolummodo id, quod amandum eſt; ideoque fruuntur quidem thalamo nuptiali cæleſtis Salomonis, id eſt, vnione, quiete amoroſâ, & recollectione, ſeu receſſu à rebus, quæ ab eo amore auertunt, de quibus dictum eſt libro quinto & ſexto; ſed non fruuntur, eo, vt veræ ſponſæ, eò quòd ſuperfluitas, qua cum magno ſtudio appetunt res bonas, cauſa ſit, vt non admodum ſæpe admittantur ad diuinos ſponſi amplexus, dum ſe occupant, nimis amando aliqua extra illum, & ſine illo, cùm ſolùm amare deberent in illo, & propter illum.

De duobus alijs gradibus maioris perfectionis, quibus conſcenſis, amare poſſumus DEVM ſuper omnia.

CAPVT V.

Orrò, ſunt & aliæ animæ, quæ neque ſuperfluitates, neque cum ſuperfluitate amant; ſed ſolùm id amant, quod Deus vult, & ſicut vult eas amare. Animæ certè huiuſmodi ſunt beatæ, ſiquidem amant DEVM, & amicos ſuos in DEO, & inimicos propter DEVM, amant res complures cum DEO, ſed ne vnam quidem, niſi in DEO & propter DEVM. DEVS eſt, quem amant, non ſolùm ſuper omnia, ſed in omnibus, & omnia in DEO. In hoc ſimiles ſunt phœnici, qui ex veteri, ac debili factus eſt iuuenis ac robuſtus, quique nunquam videtur niſi in aëre, vel ſuper cacumina montium, quæ eminent in aëre. Sic enim hæ animæ nihil amant, niſi in DEO, licet ament plures res cum DEO, & DEVM in pluribus rebus. Sanctus Lucas refert Saluatorem noſtrum ad ſuam ſequelam inuitaſſe iuuenem, qui quidem multùm Chriſtum amabat, ſed amabat adhuc magnopere Patrem ſuum: vnde volebat reuerti ad illum; ſed Chriſtus reſcidit in eo ſuperfluitatem amoris, eùmque ad amorem puriorem ita excitauit, vt Chriſtum amaret magis, quàm Patrem, imò Patrem amaret ſolùm
Luc 9. v. 59. & ſeqq. in Chriſto. Ait enim, inquit S. Lucas, Chriſtus ad alterum: *ſequere me*, ille autem dixit: *Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire Patrem meum.*

At

At Iesus: *ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia Regnum* DEI: alteri autem *volenti renunciare prius iis, quæ domi erant*, ait: *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno* DEI. Hæ animæ, vt vides Theotime, cum tam magnam habeant vnionem & coniunctionem cum ſponſo, omnino merentur participare de eius dignitate, & eſſe Reginæ, ſicut ille eſt Rex: ſiquidem illi omnes ſunt dedicatæ ſine diuiſione & ſeparatione aliqua, nihil habentes extra illum, & ſine illo, ſed ſolùm in illo & propter illum.

Verùm, tandem ſupra omnes iſtas animas eſt vna vnicè vnica, quæ eſt Regina Reginarum, amantior, amabilior, imò & amantiſſima omnium amicarum diuini Sponſi: illa ſolùm amat Deum ſuper omnia & in omnibus; & ita eum quidem amat in omnibus, vt res plures non amet, ſed vnam ſolùm, quæ eſt Deus. Et quia eſt ſolus Deus, quem illa amat in omnibus, eum amat æqualiter per omnia, ſecundum quòd eius beneplacitum requirit, extra omnia, & ſine omnibus. Si non eſt niſi Eſter, quam Aſſuerus amat, quare eam magis amat, quando vnguentis eſt delibuta, & paramentis regalibus exornata, quàm quando incedit conſueto ſuo habitu? ſi quod amo, ſolus ſit Saluator meus, quare non tam montem Caluariæ, quàm montem Thabor amabo, ſiquidem tam eſt verè in vno, quàm in altero? Et quare non dicam æquè confidenter in vno, ſicut in altero; bonum eſt hic eſſe! amo Saluatorem in Ægypto, non amando Ægyptum: quare eum non amem in conuiuio Simonis Leproſi, non amato conuiuio? Et ſi illum amo inter blaſphemias, quæ in illum iaciuntur, non amatis blaſphemijs, quare non amem vnguentis precioſis Mariæ Magdalenæ delibutum, non amatis neque vnguento, neque odore? vera eſt hæc nota, quod nos non amemus niſi Deum in omnibus, quando eum æqualiter amamus in omnibus, ſiquidem ſemper ſimilis & æqualis ſibi ipſi exiſtit. Amoris noſtri inæqualitas aduerſus eum, non poteſt habere originem, niſi ex conſideratione alicuius rei, quæ non eſt ille. Certè cœleſtis amica, de qua hìc ſermo eſt; non plus amat ſuum Regem cum toto vniuerſo, quàm ſi eſſet penitus ſolus, ſine vniuerſo, eò quòd totum id, quod extra Deum eſt, & non eſt Deus, illi nihil ſit; quæ, nè ipſum quidem paradiſum amat, niſi quia ſponſus ibi amatur, ſponſus autem ita vehementer & ardenter amatur in ſuo Paradiſo, vt, eſto, non haberet dandum

Paradiſum, non ideò minus eſſet amabilis, neque minus amatus per hanc generoſam amatricem, quæ non nouit amare Paradiſum ſui ſponſi, at ſolùm paradiſi ſponſum: & quæ non minus extollit montem Caluariæ, dum eius ſponſus in eo crucifigitur, quàm cælum vbi glorificatur. Is, qui ponderat vnum è tribus paruis globulis cordis S. Claræ de monte Falconis, tantum deprehendit in eo pondus, quantum deprehenderet in omnibus tribus ſimul ponderatis. Ita magnus amor inuenit Deum tam amabilem, & ſolum amandum, quàm ſi omnes creaturas ſimul amaret cum illo: quia ſcilicet non amat omnes creaturas niſi in Deo, & propter Deum.

Harum animarum eo gradu perfectarum, adeo paucæ ſunt numero, vt vnaquæque earum vocetur VNICA GENITRICIS SVÆ. Dicitur illa vnica columba, quæ omnino non amat, niſi ſuum columbum, nominatur perfecta, eó quòd per amorem effecta ſit vna eademque res cum ſuprema perfectione: vnde dicere poteſt humili cum veritate (non ſum niſi pro meo dilecto, cuius eſt ad me conuerſio) Cæterùm talis non eſt niſi ſanctiſſima Virgo, Domina noſtra, quæ perfectè ad huius excellentiæ gradū in amore ſui Dilecti pertigerit. Illa enim eſt columba in dilectione ita vnicè vnica, vt ſi reliquæ omnes velint cum illa in comparationem venire, nomen potius cornicum, quàm columbarum ſint promerituræ. Sed omiſſa nunc incomparabili hâc Reginâ in ſua incomparabili eminentia, nonnullæ inuentæ ſunt animæ, quæ taliter in hoc ſtatu puri amoris ſe habuerunt, vt earum comparatione cum alijs factâ participârint gradum & dignitatem Reginarum, columbarum vnicarum, & perfectarum ſponſi amicarum. Nam obſecro, Theotime, qualis debuit eſſe ille, qui toto corde Deo
Pſal. 72 ſuo cantabat? *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram?*
25. Et ille, qui clamabat: *omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucri facerẽ*, nonnè teſtabantur ſe nihil amare extra Dominum & Magiſtrum ſuum, amare autem ſe Magiſtrum extra alia omnia? Et quis ſenſus potuit eſſe magni huius amatoris, qui tota nocte ſuſpirabat: Deus meus mihi eſt omnia! Tales fuerunt S. Auguſtinus, S. Bernardus, duæ S. Catharinæ Senenſis & Genuenſis, & plures aliæ; per quarum imitationem quilibet aſpirare poteſt ad ſimilem diuini amoris gradum conſequendum. Animæ raræ & ſingulares! quibus nihil amplius eſt ſimile cum auibus

huius

Digitized by Google

huius mundi, imò ne cum ipſo quidem Phœnice, aue vnicè rarâ, niſi in hoc, quòd per eum repræſententur: is autem propter ſuam excellentiam, pulchritudinem & nobilitatem dicitur non eſſe ex auibus huius mundi, ſed ſpectare ad paradiſum: vnde & nominatur auis paradiſiaca. Nam eximia hæc auis dedignans terram vix eam vnquam attingit, ſed viuit ſemper in aëre, vnde illo ipſo tempore, quo vult ſe demittere, non ſe vlli affigit arborum, niſi per exigua fila, quibus ſuſpenſa manet in aëre; extra quem & ſine quo aëre non poteſt, neque volare, neque requieſcere Eodem modo magnæ animæ non amant, propriè loquendo, creaturas in ſe ipſis, ſed in earum Creatore, & in illis ſuum Creatorem. Quod ſi adhærent per legem charitatis alicui creaturæ, non eſt niſi ad requieſcendum in Deo, vnico & finali termino ſui amoris. Sic vt inueniendo Deum in creaturis, & creaturas in Deo, Deum ament, & non creaturas. Ad eum fere modum, quo piſcatores margaritarum inuenientes margaritas in oſtreis non æſtimant ſuam piſcationem, niſi propter ſolas margaritas.

Cæterùm, non fuit, vti exiſtimo, vnquam creatura aliqua mortalis, quæ amârit cæleſtem Sponſum ſolo amore, illo tam perfectè puro, niſi beata Virgo, quæ fuit Sponſa & Mater ſimul: Imò contrà, quantum ad praxim harum quatuor differentiarum amoris attinet, non diu poteſt duci vita, quin ab vna in aliam tranſeatur. Animæ, quæ velut adoleſcentulæ, ſunt adhuc implicatæ pluribus vanis & periculoſis affectionibus, non carent ſubinde ſenſibus amoris etiam purioris & ſublimioris; ſed quia non ſunt niſi fulgura quædam & fulgetra transeuntia, dici non poſſunt hæ animæ eſſe extra ſtatum Adolescentularum, Nouitiarum, & Discipularum. Et hoc ipſum euenit quandoq; animabus, quæ ſunt in dignitate vnicarum & perfectarum amantium, vt remittant de ſummo illo amore, & plurimùm relaxent: quin imò etiam vſque ad committendas magnas imperfectiones, per odioſa peccata venialia, vt videre eſt in pluribus diſſenſionibus ſatis acerbis, quæ acciderunt inter magnos Dei ſeruos, imò etiam inter aliquos Chriſti Apoſtolos, qui, negari non poteſt, inciderunt in aliquas imperfectiones, per quas charitas quidem non violabatur, eius interim feruor violari potuit. Quia tamen magni iſti viri amabant ordinariè Deum, amore perfectè puro, dici non debet, eos non fuiſſe in ſtatu perfectæ dilectionis. Nam quemadmodum videmus bonas arbores nunquam produce-

re fructus aliquos venenoſos, ſed adhuc crudos, vel vermiculoſos, nec non viſco & muſco arbori adhærentibus vitiatos: ſic magni Sancti nunquam producunt aliquod peccatum mortale, ſed bene actiones inutiles, immaturas, aſperas, rudes & intempeſtiuas. Tunc fatendum eſt arbores iſtas eſſe quidem fructuoſas (alioquin non eſſent bonæ) ſed negandum etiam non eſt, quin aliqui ex fructibus eorum ſint inutiles & nullius propè valoris. Nam quis negabit cachryes, viſcum, & cæteros id genus arborum fructus non eſſe infructuoſos? Quis item negabit minorem choleram, paruos aliquos exceſſus lætitiæ, riſus, leuitates, & alia huiuſmodi non eſſe paſſiones inutiles, & minùs legitimas, & tamen iuſtus ſepties in die, id eſt ſat ſæpe, tales producit.

DEI amorem ſuper omnia eſſe communem omnibus amantibus.

Capvt VI.

Cùm tot ſint diuerſi inter veros amatores gradus amoris, tamen non eſt niſi vnum mandatum amoris, quod generaliter & æqualiter vnumquemque obligat pari & æquali prorſus vinculo, etſi obſeruetur diuerſis modis, & cum infinita propè varietate perfectionis: vix enim aliqui in terris ſunt homines, ſicut nec in cælo Angeli, qui inter ſe perfectam æqualitaté habeant in dilectione; ſiquidem quomodo ſtella vna differt ab altera in claritate, ita homines beati vbi reſuſcitati fuerint different inter ſe. *Tunc vnuſquiſque cantabit canticum gloriæ, & accipiet nomen, quod nemo ſcit, niſi is, qui illud accipit.* Qualis igitur eſt gradus amoris, ad quem ſeruandum diuinum mandatum nos omnes æqualiter, vniuerſaliter, & ſemper obligat?

Tractus fuit penicilli prouidentiæ Spiritûs Sancti, quòd in verſione noſtra ordinaria, quam diuina eius Maieſtas canonizauit & ſanctificauit per Concilium Tridentinum, cæleſte hoc mandatum amoris expreſſum ſit per vocem DILECTIONIS potius, quàm AMORIS. Nam quamuis dilectio ſit amor, tamen non eſt ſimplex amor; at amor quem concomitatur electio & dilectio, vti & ipſum vocabulum indicat, & notat

glorio-

Digitized by Google

glorioſiſſimus S. Thomas. Nam præceptum hoc nobis iniungit amorem *electum ex millibus*, ſicut DILECTVS huius amoris eſt electus ex millibus, vt dilecta Sulamitis notauit in Cantico. Eſt amor, qui omnes amores debet excellere, & regnare ſuper omnes noſtras paſſiones, & hoc eſt, quod DEVS à nobis requirit; vt ſcilicet inter noſtros amores, ipſius comprimis nobis cordi ſit, ſoluſque dominetur in cordibus noſtris, eaque ſingulari fauore tota quanta repleat, & in hoc augendo & conſeruando omnes noſtras conferat potentias, ſi ſit ſublimis, replens omnes noſtras mentes, & conſtanter exercens omnes noſtras vires & animos. Et quia per iſtum amorem DEVM eligimus pro ſupremo obiecto noſtræ mentis, eſt amor ſupremæ electionis, vel electio ſupremi amoris.

Tu ſcis, Theotime, complures eſſe ſpecies amoris: vti eſt amor Paternus, filialis, fraternus, nuptialis, ſocialis, obligationis, dependentiæ, & ſexcenti alij, qui differunt in excellentia, & taliter ſunt proportionati ſuis obiectis, vt nō facile ſit eos alijs applicare vel appropriare. Qui patrem ſuum amaret amore ſolùm fraterno, haud ſatis eum amaret; qui ſuam vxorem amaret ſolummodo vt Patrem, non amaret modo conuenienti; qui amaret famulum, qui ei à pedibus eſt, amore filiali, amaret impertinenter. Amor eſt ſicut honor; nam ſicut honores diuerſi efficiuntur ſecundùm varietatem excellentiarum, propter quas deferuntur: ita etiam amores efficiuntur differentes ſecundùm diuerſitatem bonitatum, ob quas amantur. Supremus honor pertinet ad ſupremam excellentiam, & ſupremus amor ad ſupremam bonitatem. Amor DEI non habet parem, quia DEI bonitas eſt bonitas, quæ ſibi non habet ſimilem. *Audi Iſrael: Dominus DEVS tuus vnus eſt, diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Deut. 6.4. Quia DEVS eſt ſolus Dominus, & eius bonitas eſt infinitè eminens ſuper omnem bonitatem, amandus eſt amore ſublimi, excellente, & potente ſupra omnem comparationem. Hæc, hæc eſt ſuprema dilectio, quæ indit pondus animis noſtris, vt taliter DEVS æſtimetur, eoſque inducit, vt bonum, quò ei grati ſimus, pro viribus extollamus, præferamuſq; omni quo poſſumus affectu rebus omnibus. Sat clarè vides, Theotime, eum, qui ſic amat DEVM, totam ſuam animam, omnes ſuas vires dedicaſſe DEO; præterea talem ſemper & in omnibus omnino occurrentibus occaſionibus prælaturum DEI gratiam rebus omnibus, ſemperque prom-

Digitized by Google

promptum & paratum futurum ad derelinquendum totum vniuerſum, vt conſeruet amorem, quem debet diuinæ bonitati. In ſumma eſt, eſt amor excellentiæ, vel excellentia amoris, qui omnibus mortalibus in genere, & in ſpecie, ſeu generaliter & particulariter vnicuique mandatus eſt, & hoc à primo momento, quo incipiunt vti ratione: amor inquam vt ſufficiens vnicuique, ita neceſſarius omnibus ad ſalutem conſequendam.

Declaratio præcedentis capitis.

Capvt VII.

Non ſemper cognoſcitur clarè, neque vnquam omnino certò, ſaltem certitudine fidei, an habeatur verus Dei amor, qui neceſſarius eſt ad ſalutem: habentur tamen complures notæ; inter quas maximè certa eſt, & fere infallibilis tunc videtur, quando magnus quiſpiam amor creaturarum opponitur amori Dei. Tum enim ſi amor diuinus ineſt animæ, patefacit magnitudinem auctoritatis & potentiæ, quam habet ſupra voluntatem, oſtendens effectu ipſo, quòd non ſolùm non habeat ſibi ſuperiorem, ſed ne æqualem quidem, dum reprimit & proſternit quicquid ſibi eſt contrarium, facitque vt conformiter ſuis intentionibus obſequium ſibi præſtetur. Quando maledicta illa Spirituum Diabolicorum cohors contra ſuum Creatorem rebellauit, volens attrahere in ſuam factionem ſanctam ſocietatem reliquorum Spirituum, qui Deo firmiter adhærebant, glorioſus ſanctus Michaël animans ſuos ſocios ad fidelitatem Deo ſeruandam, elata voce (ſed modo Angelico) in medio cæleſtis ciuitatis Hieruſalem, dixit: Qvis vt Devs? Prolato hoc verbo, perfidum & atrocem Luciferum cum toto ſuo comitatu, qui ſe coæquare volebant Diuinæ Maieſtati, proſtrauit. Et hinc, vt creditur, nomen impoſitum fuit S. Michaeli. Quod aliud non ſonat, quàm Qvis vt Devs? Si, adinſtar Luciferi, amores rerum creatarum volent trahere noſtros intellectus in ſuam partem, & ſe reddere inobedientes diuinæ Maieſtati; ne dubites, ſi, qui debet, amor diuinus inueniatur in nobis,

Digitized by Google

bis, velut alter S. Michaël, reſiſtet, & potentias vireſque animæ in Dei ſeruitio & deuotione retinebit per hoc firmitatis verbum: quis vt Deus? ecqualis, obſecro, bonitas eſt in creaturis, vt debeat attrahere cor humanum ad rebellandum contra ſupremam Dei bonitatem? Quando S. Joſeph Patriarcha cognouit, quòd amor Heræ ſuæ tenderet in perniciem, & peteret fidem, quam debebat ſuo Domino, dixit: *auertat DEVS, ne acquieſcam operi nefario: ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt, quod non ſit in mea poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meũ?* Gē. 39. v. 6.
En, Theotime tres amores in corde amabilis Joſephi: amat enim ſuam Heram, ſuum Dominum, & ſuum Deum: ſed dum amor heræ ſe opponit amori Domini, ſtatim amorem Heræ deſerit, & fugit, ſicut & amorem Domini ſui deſeruiſſet, ſi contrarius fuiſſet amori Dei. Inter omnes iſtos amores, Dei amorem quilibet ita debet præferre, vt omnino paratus ſit ad omnes alios relinquendos, propter hunc ſolum.

Sara dedit ancillam ſuam Agar Abraham marito ſuo, vt habere poſſet prolem ex illa, iuxta legitimum illius temporis vſum. At vbi ea concepiſſet, magnopere contempſit Saram Dominam ſuam, & eouſque contempſit eam, vt vix diſcerni poſſet, quis amor in Abraham eſſet maior, illéne, quo amabat Saram, an verò is, quo Agar ancillam. Agar enim erat particeps thalami Abrahæ, ſicut Sara, & in hoc ſuperabat, quod non eſſet ſterilis, vti Sara, ſed fœcunda. At verò comparatis duobus iſtis amoribus inter ſe, bonus Abraham probè oſtendit, quis eorum eſſet fortior; nam ſimulatque Sara certiorem fècit Abraham maritum ſuum, quòd deſpiceretur ab illa, reſpondit illi Abraham, dicens: *Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libuerit: affligente erga eam Sarâ, fugam iniit.* Diuina dilectio ſinit quidem nos habere alios amores, & ſæpe diſcerni non poteſt, quis eorum ſit maior & principalis in corde noſtro, eò quòd non rarò cor humanum quàm poteſt ſtudioſiſſimè trahit in lectum ſuæ complacentiæ amorem creaturarum; imo crebrò accidit, vt multiplicet longè magis actus ſuæ affectionis aduerſus creaturam, quàm actus dilectionis erga Creatorem: et tamen ſacra dilectio non propterea deſinit excellere, & alios omnes ſuperare, ſicut conſtat ex euentis quando creatura ſe opponit Creatori: nam tunc imus in partem & ſententiam ſacræ dilectionis, eiq; omnes noſtros affectus ſubmittimus.

Sæpe in rebus creatis eſt diſcrimen, inter magnitudinem & bonitatem

nitatem. Vnus ex vnionibus ſeu margaritis Cleopatræ plus valebat, quàm altiſsima noſtrarum rupium; vnum ſuperat alterum magnitudine, alterum autem valore. Quæritur, quæ gloria ſit excellentior in vno quopiam principe, an ea, quæ in bello armatâ manu; an verò illa, quæ iuſtitiâ ritè adminiſtrando in pace acquiritur? Videtur mihi gloria militaris eſſe maior; at altera melior: ſicut inter inſtrumenta muſica tympana & tubæ edunt maiorem ſonum & ſtrepitũ, at teſtudines & clauicordia, vt vocant, plus habent melodiæ. Sonus illorum maior eſt & fortior, at hic magis ſuauis & ſpiritualis. Vna vncia balſami non diffundit tantum odoris, quantum libra vna olei ex nardo, ſed odor balſami ſemper erit melior & amabilior. Verum eſt Theotime, nec fas eſt id negare: videbis Matrem quampiam taliter occupatam circa vnum aliquem ſuum infantem, vt videatur non habere vllum alium amorem, quàm illum, quo eum complectitur, non alios oculos, quàm ad eum intuendum, non os aliud, quàm ad eum oſculandum, non pectus, quàm ad eum lactandum, non aliam vllam curam, quàm ad eum educandum.

Et adeò id verum videtur, vt ab ea maritum comparatum cum infante, credi poſſet nihili fieri: Attamen ſi veniendum eſſet ad electionem, alterum illorum amittendi, ſtatim appareret illam pluris æſtimare maritum; & amorem quidem erga infantem fuiſſe teneriorem, vrgentiorem, maiorique cum paſſione exercitum, alterum nihilominus in maritum fuiſſe excellentiorem, fortiorem, & meliorem; ita quando cor aliquod amat Deum ob infinitam eius bonitatem, quantumuis parum habeat de excellenti iſta dilectione, præferet tamen Dei voluntatem omnibus rebus, & in omnibus occurrentibus occaſionibus, alia omnia deſeret, vt ſe conſeruet in gratia ſupremæ bonitatis, nec vlla res poterit illud ab ea ſeparare. Nec obſtat, quòd diuinus amor non ita premat, neque ad eam teneritudinem ſemper cor inducat, ad quam alij amores, quia in occaſionibus occurrentibus facit actiones ita ſublimes & excellentes, & vna plus valeat, quam decem milliones aliarum. Cuniculi mirum in modum ſunt fertiles; elephantes autem non niſi ſemel in vita pariunt. At ſolus & vnicus Elephantis pullus pluris æſtimatur, quàm omnes totius mundi cuniculi. Amores, qui habentur ad creaturas, abundant quidem ſæpe multitudine productionum, ſed quando amor ſacer ſuum opus facit, ita excellenter & eminenter illud facit, vt

omnia

Digitized by Google

omnia ſuperet: nam efficit vt Deus omnibus rebus ſine vlla exceptione præferatur.

Hiſtoria memorabilis ad bene concipiendum in quo ſita ſit vis, & excellentia amoris ſacri.

Caput VIII.

O Chare Theotime, quanta debet eſſe vis & amplitudo huius amoris Dei ſuper omnia; is ſiquidem ſuperat omnes affectiones, vincit omnes difficultates & præfert honorem beneuolentiæ diuinæ omnibus rebus! dico omnibus abſolutè, abſque exceptione aliqua. Et hoc quidem fieri debere magna cum ſolicitudine, eò quòd reperiantur homines, qui bona, honores, quin & vitam ipſam pro Chriſto relinquere prompti paratique ſint; qui tamen in eius gratiam non relinquerent rem longè inferioris momenti. Quod vt intelligas, rem admiratione & commiſeratione dignam tibi ob oculos ponam.

Tempore Imperatorum Valeriani & Galli, erat Antiochiæ Sacerdos quidam, nomine Sapricius, & alius ſæcularis, dictus Nicephorus, qui propter arctam & diuturnam amicitiam, quam habebant ad inuicem, putabantur fratres: & nihilominus euênit tandem, neſcio qua de cauſa, vt amicitia illa diſſolueretur; &, vti ſolet, diſſolutionem illam amicitiæ ardentius odium ſequeretur. Quod inter illos aliquandiu durauit, quouſque ſcilicet Nicephorus delictum ſuum agnoſcens, tribus diuerſis vicibus tentauit ſibi reconciliare Sapricium; quam in rem iam hos, iam illos communes amicos ad eum mittebat, qui ipſius verbis ſubmiſſione pleniſſimis renunciarent, ſe paratiſſimū eſſe ad ei ſatisfaciendū, quocunque vellet modo. Sed Sapricius inflexibilis omnem omnibus, & ſemper, reconciliationem maiori feritate & inhumanitate recuſauit, quàm Nicephorus ſuauitate & humilitate expetebat. Tandem afflictus Nicephorus exiſtimans futurum, vt, ſi ſe ante eum in genua proſterneret, tactus ad viuum, noxam remitteret. Itaque eum adit, & proiectus ad eius pedes, animosè ſic eum alloquitur: Mi Pater, obſecro, par-

Digitized by Google

parcito mihi propter amorem Chriſti, communis vtrique noſtrûm Domini clementiſſimi. Verùm humilitas hæc non minori obſtinatione, quàm præcedentes, fuit contempta & reiecta. Interim excitatur perſecutio grauis contra Chriſtianos, in quâ Sapricius inter alios ad Martyrium apprehenſus mira geſſit, patiendo innumera prope tormenta, & cruciatus propter fidei confeſſionem; & in ſpecie quando fuit admodum crudeliter rotatus & agitatus in quodam inſtrumento, eam in rem facto, ſimili fere trochleæ torcularis: quæ omnia conſtanter pertulit. Quare Præfectus Antiochiæ ſummè irritatus eius conſtantiâ, morti eum addixit. Quamobrem educto è carcere in publicum, ad locum ſupplicij, in quo vt glorioſus Martyr accipere debebat coronam Martyrij, ſubitò occurrit Nicephorus, & in terra ante eum ſe proſternens, Eheu! clamauit altâ voce, ô Martyr Iesv Chriſti, eiuſdem Chriſti amore te obteſtor, condona mihi delictum, quo te offendi. Has preces cum neglexiſſet ac deſpexiſſet Sapricius, afflictus Nicephorus currens citò per aliam plateam, eum præuenit & eadem, quâ ante humilitate & ſitu, his terminis coniurauit, vt commiſſam noxam condonaret. O Martyr Chriſti, indulge mihi & remitte, obſecro Dei amore, offenſam, quâ te, vt homo fragilis ac facilis ad cadendum, irritaui: ecce enim intra breue tempus à Domino donaberis coronâ, quia eum non negaſti, ſed confeſſus es ſanctum eius nomen coram multis teſtibus. At Sapricius in ſua permanens feritate, ne verbum quidem vnum reſpondit. Vnde carnifices admirantes Nicephori conſtantiam & perſeuerantiam, dixerunt: tam ſtultum hominem nunquam vidimus: vadit hic ad ſupplicium capitis, & quomodo tu veniam petis ab eo, qui iam iam eſt moriturus? Dicit eis S. Nicephorus: neſcitis, quid petam à Confeſſore Chriſti: Deus autem ſcit. Et cùm veniſſet ad locum, in quo erat interimendus ipſe Sapricius, rurſus genibus flexis ei dixit Nicephorus: rogo te Martyr Chriſti, ignoſce mihi, quòd peccaui vt homo, ſcriptum eſt enim: *petite & dabitur vobis.* Quid multis! nulla verba, nullæ vnquam preces flectere potuerunt cor crudele & atrox miſerandi Sapricij, qui obſtinatè recuſans facere miſericordiam ſuo proximo, ipſe iuſto Dei iudicio priuatus eſt glorioſiſſimâ Martyrij palmâ. Tunc ei mandarunt carnifices, vt flecteret genua, capitis amputationem excepturus. Hic factus puſillanimis, tractare cœpit cum Carnificibus hæc ad eos proferens verba:

ne mihi

Digitized by Google

ne mihi quæſo caput detruncetis, quod enim Imperatores mandârunt, ſum facturus, & idolis ſacrificaturus. Quod audiens Nicephorus lacrymis totus coopertus, voce elatâ clamare cepit: noli, ô frater, noli Dei legem tranſgredi, & negare Dominum noſtrum Jesum Chriſtum; noli per Chriſti viſcera, rogo te, ab eo deficere & perdere cæleſtem coronam, quam per multa tormenta & afflictiones acquiſiuiſti, ſed, ah! lamentabilis Sacerdos Sapricius noluit illum audire; verû, cùm veniſſet ad altare Martyrij, vt vitam ſuam Deo æterno conſecraret, non eſt recordatus, quid Martyrum Princeps dixerit apud Matthæum: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matt. 5. v. 23. Hoc quia non fecit Sapricius, Deus eius munus repudiauit, & retrahens ab illo miſericordiam ſuam, fiuit vt non ſolùm perderet præmium Martyrij, ſed etiam vt in pudendæ idololatriæ barathrum ſe præcipitaret. Hic, videns B. Nicephorus Sapricium defeciſſe à fide & Chriſto, tactus excellenti & extraordinariâ inſpiratione, magna voce, omnino imperterritus dixit: *ego ſum Chriſtianus, & credo in nomen Domini noſtri IESV Chriſti, quem iſte negauit; me ergo iam pro ipſo feritote, & caput à ceruicibus mihi reſcinditote.* Obſtupeſcêtes lictores, ſtatim nuncium expediuerunt ad Præſidem, qui mandauit Sapricium donari libertate, Nicephorum autem affici ſupplicio. Hæc facta ſunt 9. Februarij, circa annum noſtræ ſalutis 260. vti referunt Metaphraſtes & Surius. Hiſtoria certè horribilis eſt & digna, quæ bene ponderetur circa rem, qua de agimus. Vidiſti enim Theotime, animoſum Sapricium, quam is promptè & ardenter fidem propugnârit: quomodo innumera propè tormenta ſubierit, quomodo immobilis & conſtans in confeſsione nominis Chriſti ſteterit, dum volueretur & agitaretur in inſtrumento ad inſtar trochleæ facto, & quomodo in procinctu ad recipiendum ictum mortis, ad complendum actum eminentiſſimum fidei diuinæ, præferendo Dei honorem propriæ vitæ; nihilominus, quia præfert Dei voluntati ſatisfactionem, quam crudelis eius animus concipit in odium Nicephori, in medio curſu & ſtadio deſinit currere, & quando in puncto eſt accipiendi brauium gloriæ per Martyrium, ſe ipſum infeliciſsimè peſſundat, & collum ſibi frangit, caputque conſecrat pudendæ idololatriæ.

Verum

Digitized by Google

Verum igitur eſt, Theotime, non eſſe ſatis amare Deum plus quàm propriam vitam, niſi generaliter, abſolutè, & ſine vlla exceptione amemus eum magis, quàm omnia, quæ appetimus, aut appetere poſſumus. At mihi dices, nónne Chriſtus aſsignauit ſummum actum amoris, quo amari poteſt, quando dixit: *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis?* Omnino, Theotime, verum eſt, inter particulares actus & teſtimonia diuini amoris non eſſe maiorem, quàm ſubire mortem pro gloria Dei: nihilominus etiam verum eſt, non eſſe quidem niſi ſolum vnum actum, & vnum ſolum teſtimonium, quod verè eſt ſupremus & perfectiſſimus actus charitatis; eſſe tamen præter iſtum actum, etiam alios quos charitas à nobis requirit, & tantò ardentius & ſtudioſius requirit, quantò ſunt actus iſti faciliores, communiores, & magis conſueti omnibus amantibus, & magis generaliter, neceſſarij ad conſeruationem diuini amoris. O miſerande Saprici audebiſne dicere te amare Deum vti amari debet, dum tu eius voluntatem non præfers paſsioni odij, & rancoris, quem duro pectore geris contra Nicephorum? velle mori propter Deum eſt quidem maximus actus, ſed certè non ſolus dilectionis, quem Deo debemus; velle ſolum hunc actum, reiectis cæteris, non eſt charitas, ſed vanitas. Charitas non eſt varia, eſſet tamen valde, ſi volens placere dilecto in rebus maximè difficilibus, ſineret vt offenderetur in rebus facilioribus. Quomodo poteſt pro Deo velle mori is, qui non vult viuere ſecundum Deum?

Homo bene inſtructus, habens voluntatem ſubeundi mortem pro amico, dubio procul, ſubiret omnia alia, ſiquidem is omnia contempſiſſe debuit, qui mortem prius contempſit, ſed ingenium humanum eſt remiſſum, inconſtans & varium: hinc eſt, quòd ſubinde homines nonnulli potius eligunt mori, quàm ſubire pœnas alioquin longè mitiores morte; & tradunt libenter vitam ſuam ad ſatisfaciendum rebus nullius momenti, verbo, puerilibus & vanis. Cùm Agrippina edocta fuiſſet, ſe quidem vtero gerere Imperatorem, ſed qui eam poſtea eſſet occiſurus: *Occidat*, inquit illa, *me, modò ipſe regnet*. Vide, obſecro, cor maternum, ſed inordinatum, quod ſtultè præfert dignitatem filij, propriæ vitæ. Cato & Cleopatra maluerunt mortem pati, quàm capti videre gaudium & gloriam ſuorum inimicorum. Et Lucretia voluit potius ſibi

manus

manus violentas inferre, quàm iniuſtè ferre verecundiam facti, in quo, vt videtur, non erat culpabilis. Quot ſunt homines, qui libenter morerentur pro amicis, qui tamen eorum ſeruitio & obedientiæ addicere nollent ſuas voluntates. Talis exponit ſuam vitam, qui ne marſupium quidem ſuum exponeret. Et quamuis multi inueniantur, qui pro tutela amici vitas ſuas exponant; vix tamen vnus vno ſæculo inueniatur, qui velit ſuam libertatem obligare, vel minimum quid perdere de vana & inutili æſtimatione, vel opinione mundi pro quocunque etiam amantiſſimo.

Confirmatio dictorum per celebrem & notabilem comparationem.

Capvt IX.

TV ſcis, Theotime, qui & quales fuerint amores Jacob erga Rachelem; quid enim non fecit ad teſtificandam magnitudinem, vim, & fidelitatem amoris, ex eo tempore, quo apud puteum, vbi greges adaquabantur, eam ſalutauit? nam ab ex tempore in dies, in horas, in momenta amore illius propemodum moriebatur; quam vt matrimonio ſibi iungeret incredibili amoris ardore ſeptem integris annis, *qui præ amoris magnitudine pauci dies videbantur*, ſeruiuit, ſed & poſtea, deceptus à Laban, ſeptem iterum alijs annis haud minori diligentiâ ſeruiuit, quàm alijs ſeptem ſeruierat, vt eam vxorem obtineret. Tam conſtans erat ille, fidelis, & animatus in illius dilectione! deinde tandem eâ obtentâ, omnes alios affectus & amores neglexit. Dixi omnes, quia Liam quoq; primam ſuam vxorem, magni meriti fœminam, omniq; amore dignam videbatur neglexiſſe. Cui etiam Deus ob contemptum eidem illatum fauit. Ita notabilis erat ille contemptus!

Poſt hoc, (quod ſufficientiſsimum erat ad ſubijciendam chariſsimam, nobiliſsimamque totius mundi puellam dilectioni tam fidelis amatoris) nónne turpe fuit, videre Rachelem tam remiſſam in oſtenſione ſui amoris erga Jacob maritum ſuum? Nullam pauper Lia

Digitized by Google

partem amplius aliam, & vinculum in amore mariti ſui Jacobi habebat, præter fertilitatem, cuius fertilitatis beneficio iam pepererat quatuor filios. Quorum primus nomine Ruben egreſſus in agrum tempore meſsis triticeæ reperit mandragoras; quas matri Liæ detulit. Hos cùm conſpexiſſet Rachel, dixit Liæ ſorori ſuæ: *da mihi partem de mandragoris filij tui*, cui Lia reſpondit: *parúmne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filij mei tuleris?* ait Rachel: *dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.* Acceptâ conditione, redeunti ad *veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lia, dixitq; marito: ad me intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* His ita peractis retulit ei inter ſe & ſororem ſuam initum contractum. Sed Jacob, quantùm ſciri poteſt, ne verbulum quidem locutus eſt, admiratus, vt puto, & velut corde captus fuit, intelligens imbecillitatem & inconſtantiam Rachelis, quæ pro re tam exigua, integrâ vnâ nocte ſe priuârat honore & dulcedine eius præſentiæ. Nam, dicito veritatem, Theotime, nónne fuit magna leuitas, prætuliſſe pauca & exigui valoris poma caſtis amoribus tam amabilis mariti? Si pro regnis, pro monarchijs id actum fuiſſet, venia aliqua digna videri potuiſſet, ſed pro vilibus mandragoris, Theotime, quis non ſummè admiretur?

Et tamen, vt ad nos ipſos redeamus, ô Deus, quoties facimus electiones infinities magis pudendas, maiorique commiſeratione dignas? Eximio S. Auguſtino placuit aliquando ex inſtituto & per otium tempus ſibi ſumere ad contemplandum & intelligendum, quam ob cauſam tam ardenter Rachel dictas mandragoras deſiderârit? deprehendit autem eas quidem viſu eſſe pulchras, gratumq; emittere odorem, ſed omnino guſtui eſſe inſipidas. Plinius refert chirurgos facturos aliquam inciſionem in corpore humano, ſolitos dare ſuccum ex mandragoris expreſſum, ijs quibus inciſio facienda eſt, vt dolor non ſentiatur; quinimò euenire nonnunquam, vt ſolus dictorum pomorum odor perficiat operationem, ſomnum abundè conciliando incidendis: quia mandragora eſt planta incantatrix, quæ incantat oculos, dolores, triſtitiam, moleſtiam, & omnes omnino paſsiones per ſomnum. Cæterùm, qui nimis diu paſcitur iſto odore, nonnunquam fit mutus, qui autem nimis largè de eius ſucco bibit, moritur, nullo, ad vitam retinendam, ſuffragante remedio.

Poſſent-

Poſſéntne Theotime, pompæ, diuitiæ, & delectationes mundanæ meliùs repræſentari? Habent quidem exteriorem, quâ oculos alliciunt, ſpeciem; ſed quæ lædit ſub blanda illa ſpecie pomorum; id eſt, quiſquis penetrat altiùs eorum naturam, nihil in eis inuenit ſaporis, nihil guſtûs, neque vllam aliam ſolidam oblectationem; incantant tamen & indormire faciunt vanitate ſui odoris: ſed & fama, & æſtimatio, quam ijs dant filij mundani, perturbat & mactat eos, qui plus nimio circa eas ſe occupant ac detinent, vel de ijs nimium ſumunt. Cæterum cùm propter huiuſmodi mandragoras, Chimæras & oblectationũ phantaſmata amorem cæleſtis ſponſi deſideramus, quomodo dicere poſſumus nos eum amare ſuper omnia, dum eius gratiam vaniſſimis vanitatibus præferimus?

Nónne res eſt omni & lamentatione & admiratione digniſſima, quòd Dauid, tam inſignis & ſtrenuus ad ſuperandum odium, tam promptus ad condonandam iniuriam, tamen tam eſt iniurius in amorem, dum non contentus multitudine fœminarum, quas iuſtè tempore illo habere poterat, iniuſtè ſibi vſurpat & rapit vxorem pauperis Vriæ? & per inſignem ignauiam & intolerabilem animi infirmitatem, vt ſuauius optato alienæ fœminæ amore fruatur, crudelem mortem infert marito? Quis non admiretur animoſitatem Sancti Petri ita audacis inter armatos milites, vt ipſe ſolus è condiſcipulis ſuis eximat gladium, & percutiat; & deinde paulò pòſt ita timidi inter fœminas, vt ad verbum vnius famulæ eundem Magiſtrum ſuum neget, & deteſtetur? Hæc cùm ita ſint, cur mirum videatur Rachelem deſeruiſſe blanditias & amores ſui mariti Jacob, propter poma mandragoras dicta, ſiquidem Adam & Eua gratiam Dei deſeruerunt propter pomum vnũ, quod ſerpens comedendum offerebat?

In ſumma, verbum tibi dico, Theotime, dignum omnino, quod notetur: Hæretici ſunt hæretici, & hoc inſigniti ſunt nomine, eò quòd inter articulos fidei eos eligant, qui ſibi arrident, & quos fide humanâ placet credere, alijs reiectis & abnegatis; Catholici autem ſunt Catholici, quia ſine vlla electione omnes æquali firmitate amplectuntur, & ſine exceptione vniuerſalem Eccleſiæ fidem tenent. Idem autem euenit in articulis charitatis. Eſt hæreſis in ſacra dilectione, ſi facias electionem inter Dei mandata, vt hæc exerceas, & alia violes, reijciaſque.

Qui dixit *non occides*, etiam dixit *non mœchaberis*, quòdſi non occidas quidem,ſed mœcheris, non eſt propter Dei amorem, quod non occidas, ſed propter aliquod aliud motiuũ, quo inducеris ad eligendum mandatum hoc potius obſeruandũ, quàm alia; quæ electio omnino facit hæreſin in materia charitatis. Si quiſpiã mihi diceret nolle ſe mihi abſcindere brachium ob amorem, quo erga me fertur, & nihilominus mihi erueret oculum, vel caput mihi confringeret, vel certè gladio corpus tranſfigeret: Hem! dicerem ego, quomodo dicis ex amore procedere, quod mihi non trunces brachium, ſiquidem mihi eruis oculum, qui longè charior eſt brachio? vel quomodo tuum in corpus meum adigis gladium, quod adhuc longè maius mihi adfert damnum? Axioma eſt veriſsimum: bonum conſtare ex integra cauſa, malum autem eſſe malum ex quouis defectu; ad faciendum actũ veræ charitatis oportet, vt is procedat ex amore integro, generali & vniuerſali, qui ſe extendat ad omnia diuina mandata: quod ſi amor deſit, vel in vnico ſolo mandato, amor noſter non amplius eſt integer, neque vniuerſalis, & còr, cui ineſt, non poteſt verè dici amans, & conſequenter verè bonum.

Quomodo debeamus amare diuinam bonitatem, magis quàm nos ipſos.

Capvt X.

Conſentaneè rationi locutus eſt Ariſtoteles, quando dixit: *bonum equidem amandum eſſe, ſed proprium principaliter ab vno quoque.* Vnde amor quem habemus ad alterum, prouenit ex eo, quem habemus aduerſus nos ipſos; nam quomodo poterat aliud dicere philoſophus, qui non ſolùm non amabat Deum, ſed ne de amore quidem eius fortè vnquam locutus fuerat? qui tamen Dei amor omnino ex nobis ipſis procedit; imò & iuxta inclinationem naturalem noſtræ voluntatis, ſicut declaraui in primo libro.

Voluntas certè ſic dedicata, ſicque conſecrata eſt bonitati, vt ſi bonitas aliqua infinita clarè ſit illi propoſita, non ſit poſſibile, niſi impediatur miraculo, quo minus ſummè illam amet; ita Beati rapiuntur, & neceſſariò,

Digitized by Google

ceſſariè, nullâ tamen vi adhibitâ Deum diligunt, dum clarè vident ſummam eius pulchritudinem. Quod ſacra Scriptura apertè ſatis oſtendit, quando comparat gaudium & lætitiam, quâ perfruuntur habitatores Hieruſalem, torrenti & fluuio impetuoſo, quorum vndæ cohiberi non poſſunt, quò minus ſe effundant ſuper occurrentes planities.

At nos in hac vita mortali, Theotime, non tenemur illum eo ſublimi modo, quo Beati in immortali, amare; quia ita clarè eum non cognoſcimus: at verò in cælo, vbi eum videbimus facie ad faciem, & ex toto corde eum amabimus; id eſt, ſicuti videbimus (quilibet autem juxta menſuram gratiæ, cui reſpondebit menſura gloriæ) infinitatem eius pulchritudinis viſione ſummè clarâ; ita etiam rapiemur amore eius infinitæ bonitatis; & hoc quidem raptu maximè forti, cui non volemus, neq; poterimus velle vnquam reſiſtere; verùm hic in terra, vbi non videmus ſupremam bonitatem in ſua pulchritudine, ſed ſolummodo inter vitæ huius obſcuritates introſpicimus, inclinamur quidem & allicimur, at minimè cogimur ad amandum eam plus quàm nos ipſos, ſed potius ad contrarium: quamuis enim habeamus ſanctam iſtam inclinationem naturalem ad amandam diuinitatem ſuper omnia, non habemus tamen vires eam exercendi, niſi ipſamet diuinitas ſupernaturaliter perfundat corda noſtra ſanctiſſimâ ſuâ charitate.

Verum tamen eſt, quòd ſicuti clara viſio diuinitatis producit infallibiliter neceſsitatem, vt ſe amemus magis, quàm nos ipſos; ita introſpectio (id eſt, notitia naturalis diuinitatis) producit infallibiliter inclinationem & propenſionem ad illam amandam plus quàm nos ipſos. Age dic Theotime, voluntas omnino deſtinata & determinata ad amorem boni, poſſétne vel tantillum cognoſcere ſupremum bonum, & non eſſe, vel tantillùm ſaltem inclinata ad ſummè illud amandum? Inter omnia bona, quæ non ſunt infinita, noſtra voluntas ſemper præferet in ſuo amore illud bonum, quod ſibi maximè eſt proximum, ſupra omnia autem bonum proprium eſt proximum. Verùm tam parum proportionis eſt inter infinitum & finitum, vt voluntas noſtra, quæ cognoſcit bonum infinitum, dubio procul, ſeipſam ſit inclinatura & motura ad præferendam amicitiam abyſsi iſtius bonitatis infinitæ omni alterius generis amori, & adhuc inſuper amori erga nos ipſos.

Digitized by Google

Comprimis verò fortis eſt hæc inclinatio, eò quòd ſimus magis in Deo, quàm in nobiſmetipſis; viuimus enim magis in illo, quàm in nobis; & ſumus ita ex illo, per illum, propter illum, & illius, vt non poſsimus, ſedato animo, cogitare id, quod nos illi ſumus, & quod ille nobis eſt, quin cogamur exclamare: *ſum tuus Domine, & alterius non debeo eſſe, quàm tuus; anima mea tua eſt, & non debet viuere, niſi per te; mea voluntas tua eſt, & amare non debet, quam te; amor meus eſt tuus, & in alium non debet tendere, quàm in te; ego te amare debeo, vt primum meum principium, ſiquidem ſum ex te; debeo te amare, vt meum finem & quietis terminum ſiquidem propter te ſum; debeo te amare plus quam meum proprium eſſe, ſiquidem meum eſſe ſubſiſtit per te; debeo ego te amare, plus quam me ipſum ſiquidem totus ſum tuus, & in te totus.*

Quod ſi eſſet, vel eſſe poſſet aliqua ſuprema bonitas, à qua penitus eſſemus independentes, poſito quòd nos ei vnire poſſemus per amorem, adhuc incitaremur ad eam bonitatem amandam plus quàm nos ipſos; infinitas enim eius ſuauitatis ſemper in ſummo gradu eſſet fortior ad attrahendam noſtram voluntatem ad ſuum amorem, quàm omnes aliæ bonitates, & noſtra etiam propria.

Verùm ſi per imaginationem rei impoſsibilis eſſet infinita bonitas, ad quam nullo modo ſpectaremus, & cum qua nequiremus habere aliquam vnionem, neq; communicationem, faceremus certè illam pluris, quàm nos ipſos: nam cognoſceremus, quòd ea exiſtens infinita, pluris eſſet æſtimanda & amanda, quàm nos ipſi: & quod hinc ſequitur, poſſemus facere ſimplicia quædã vota de eadẽ amanda: ſed propriè loquendo eam non amaremus; amor enim reſpicit vnionem; multò autem minus poſſemus habere charitatem aduerſus illam; charitas ſiquidem eſt amicitia; amicitia autem non poteſt eſſe niſi reciproca, habens pro fundamento communicationem, & pro fine vnionem. Dico hoc propter ingenia quædã vana & Chimæris ſimilia, quæ ſuper imaginationes impertinentes ſæpe formant diſcurſus melancholicos, quibus magnopere affliguntur; ſed quantum ad nos, chare Theotime, probè videmus nos veros homines eſſe non poſſe ſine inclinatione ad amandum Deum, plus quàm nos ipſos; neque veros Chriſtianos, niſi iſtam inclinationem exerceamus. Amemus igitur eum pluſquàm nos ipſos, qui nobis plus eſt, quàm quodcunq; aliud, & pluſquam nos ipſi. Amen, verum eſt.

Quomodo

Quomodo ſanctiſsima Charitas producat amorem proximi.

Capvt XI.

Sicut Deus creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ita etiam ordinauit amorem erga hominem ad imaginem & ſimilitudinem amoris, qui debetur ſanctæ Diuinitati: *Diliges Dominum DEVM tuum toto corde tuo; hoc eſt primum & maximum mandatum: ſecundum autem ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Quare Deum amamus, Theotime? Cauſa ob quam Deus amatur, inquit Sanctus Bernardus, eſt ipſemet Deus; quaſi diceret, nos ideò amare Deum, quia ille eſt ſuprema & infinita bonitas. Quare autem nos ipſos amamus in charitate? quia nos ſumus imago & ſimilitudo Dei. Et ſiquidem omnes homines hanc conſecuti ſunt dignitatem, eos etiam amamus tanquam nos ipſos. Id eſt, quatenus ſunt ſanctiſsimæ & viuaciſsimæ imagines Diuinitatis: quia eatenus, Theotime, ad Deum pertinemus tam arcto fœdere, & vnicè amabili dependentiâ, vt non abnuat ſe dicere Patrem noſtrum, & nos filios ſuos nominare. Hæc, hæc circumſtantia efficit, quòd capaces ſimus vnionis diuinæ eſſentiæ perfruitionem ſupremæ bonitatis, & æternæ felicitatis: eiuſdem circumſtantiæ beneficio recipimus gratiam: quin & noſtræ mentis ſanctiſsimo illius ſinui, effectæ diuinæ eius naturæ, vt inquit S. Leo, conſortes conſociantur. Charitas igitur, quæ producit actus amoris Dei eadem producit ſimul & actus amoris proximi. Et hoc fere ad eundem modum, quo Iacob vidit eandem ſcalam tangentem cælum & terram, æqualiter ſeruientem Angelis ad deſcendendum & ad aſcendendum. Scimus etiam, quòd eadem dilectio ſe extendit ad amandum Deum & proximum, nos attollens ad vnionem noſtri intellectûs cum diuino, & reducens ad amabilem ſocietatem proximorum; ita tamen, vt amemus proximum, quà eſt imago & ſimilitudo Dei, creatus ad communicandum cum diuina bonitate, ad participandam gratiam, & ad fruendum gloriâ ſempiternâ.

Digitized by Google

Theotime, amare proximum per charitatem, eſt amare Deum in homine, vel hominem in Deo; eſt amare ſolum propter amorem ipſiusmet Dei, & creaturam propter Deum. Cùm iunior Tobias, comite Angelo Raphaële, ingreſſus fuiſſet domum Raguelis Conſanguinei ſui; cui omnino ante erat ignotus; vix intuitus cum Raguel dixit An-
Tob. 7. 2. næ vxori ſuæ: *quàm ſimilis eſt Iuuenis iſte conſobrino meo? Et cùm hæc dixiſſet, ait, Vnde eſtis iuuenes, fratres mei?* At illi dixerunt: *ex tribu Nephtali ſumus*, ex captiuitate Niniue, *dixitque illis Raguel: Noſtis Tobiam fratrem meum, qui dixerunt, nouimus. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, Pater iſtius eſt. Et miſit ſe Raguel, & cum lacrymis oſculatus eſt eum, & plorans ſupra collum eius dixit: Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni & optimi Viri filius es. Et Anna Vxor eius, & Sara ipſorum filia, lacrymatæ ſunt.* Notáſne, quòd Raguel nec cognitum adhuc iuniorem Tobiam amplectitur, eique ſanctè blanditur, eum oſculatur, plorat præ amore ſuper illum? vnde prouenit amor hic, niſi ex eo amore, quo complectebatur ſeniorem Tobiam Patrem, quem Juuenis hic tam bene referebat? *Benedictus es tu*, dixit ille: ſed quare? non certè, quod ſis probus Iuuenis: nam id adhuc ignoro, ſed quia es filius, & ſimilis Patri tuo viro optimo.

Hem, Theotime, quando videmus in noſtro proximo imaginem & ſimilitudinem Dei, nonnè alijs dicere: *Ecce, videte hanc creaturam, quàm ſimilis eſt creatori!* nonné in eius collum ruere & eam honorare, eique charitatem exhibere, quin & plorare præ amore propter illam deberemus! Nonné infinitas ei benedictiones adprecari? quid ergo? idné propter amorem illius creaturæ faceremus, minimè certè, quia neſciremus adhuc an digna ſit amore, vel odio in ſe ipſa. Quare igitur? ò Theotime, propter Dei amorem, qui eam formauit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; & quod hinc ſequitur, eam effecit capacem participandæ ſuæ bonitatis in gratia & in gloria. Propter amorem Dei dico, à quo illa eſt, cuius illa eſt, per quem eſt, in quo eſt, propter quem eſt, & quem refert modo prorſus ſingulari. Et hoc eſt cur ſæpe amor diuinus non ſolùm ſæpè imperat amori proximi, ſed etiã producit illum & diffundit in cor humanum, velut ſuam ſimilitudinem & imaginem: quia ſicut homo eſt imago Dei, ita ſacer hominis amor erga hominem eſt vera imago amoris cæleſtis hominis aduerſus Deum. Sed diſcurſus hic de amore proximi requirit integrum & particu-

particularem tractatum; quem, vt ſupremus hominum amator Deus inſpiret alicui excellentium ſuorum ſeruorum, ſupplex rogo; complementũ ſiquidem amoris diuinę bonitatis conſiſtit in perfectione amoris noſtrorum fratrum & ſociorum.

Quomodo amor producat zelum.

CAPVT XII.

QVemadmodum amor tendit in bonum rei amatæ, vel ſibi in eo complacet, ſi iam id habet; vel illi deſiderat & procurat, ſi necdum habet; ita idem amor producit odium, per quod fugit malum, quod contrarium eſt rei amatæ; vel deſiderat & procurat illud ab ea remouere, ſi iam ei adeſt, vel diuertit & impedit ne veniat, ſi necdum adeſt. Quod ſi malum non poteſt impediri neq; remoueri, minimùm amor ſtudet, vt malum illud in odio & deteſtatione habeatur. Quando igitur amor eſt ardens, & iam peruenitur ad auferendum, & diuertendum id, quod oppoſitum eſt rei amatæ, vocatur zelus: vnde zelus propriè loquendo non eſt aliud, quàm amor, qui eſt in ardore; vel potius ardor, qui eſt in amore. Et ideò qualis eſt amor, talis eſt & zelus, qui eſt ardor eius. Si amor eſt bonus, zelus etiam eſt bonus, ſi amor eſt malus, malus eſt & zelus. Quando autem loquor de zelo, intendo etiam loqui de zelotypia: zelotypia enim eſt ſpecies zeli: & ni fallar, non eſt niſi hæc differentia inter vnum & alterum, quòd zelus reſpiciat totale bonum rei amatæ, vt ab ea remoueat malum illi contrarium; zelotypia autem particulare bonum amicitiæ, ad repellendum omne id, quod illi opponitur.

Quando igitur amamus ardenter res mundanas & temporales, v. g. pulchritudinem, honores, diuitias, dignitates &c. hic zelus, id eſt, ardor huius amoris, terminatur & deſinit ordinariè in inuidiã: eò quòd res ſublunares admodum ſint humiles, paruæ, particulares, limitatæ, finitæ & imperfectæ, vt quando vnus eas poſsidet, non poſsit alter eaſdẽ integrè poſsidere. Vnde cùm communicatæ fuerint pluribus, communica-

municatio illa eſt minor pro quolibet. Verùm quando in particulari vehementer deſideramus nos amari, zelus, vel certè ardor eius amoris fit zelotypia, quia amicitia humana, eſto ſit virtus, tamen hanc habet imperfectionem propter noſtram imbecillitatem, quòd diuiſa pluribus, pars cuiuslibet minor ſit. Ideoque ardor vel zelus, quem habemus, vt amemur, pati nequit nos habere ſocios, vel corriuales; imò verò, ſi imaginemur nos habere, ſubitò ingredimur grauem zelotypiæ paſsionem, quæ quidem, negari non debet, habet aliquam ſimilitudinem cum inuidia, ſed non ideo non habet ſua diſcrimina ab illa. I. enim inuidia ſemper eſt iniuſta, at zelotypia ſubinde eſt iuſta, modò tamen ſit moderata: nam iuncti matrimonio, exempli causâ, nónne conſentaneè rationi impediunt ne ſua amicitia capiat diminutionem per aliquam diuiſionem? II. Per inuidiam triſtitiâ afficimur, quòd proximus habet bona maiora, aut noſtris paria, eſto, nihil tollat eorum, quæ nos habemus. In quo inuidia prorſus nuda eſt ab omni ratione, dum nos inducit, vt exiſtimemus bonũ proximi, noſtrum eſſe malum. Verùm zelotypia non mouetur ex hoc, quòd proximus habeat bona, modò non habeat noſtra. Nam zelotypus non turbatur, neque mouetur ex eo, quòd eius ſocius ametur ab alijs fœminis, modo id non fiat à ſua, imò verò, propriè loquendo, neque zelotypus indignatur ſuo corriuali, niſi poſtquam æſtimat ſe acquiſiuiſſe amicitiam perſonæ amatæ. Quodſi ante hoc ſit aliqua paſſio, ea non eſt zelotypia, ſed inuidia. III. non præſupponimus imperfectionem in eo, cui inuidemus; ſed potius eum æſtimamus habere illud bonum, quod ei inuidemus. præſupponimus autem eum, cuius zelotypiã habemus, eſſe imperfectum, mutabilem, corruptibilem & varium. IV. Zelotypia procedit ex amore, inuidia autem contrario modo: prouenit enim ex defectu amoris. V. Zelotypia nunquam in alia deprehenditur materia, quàm amoris; ſed inuidia extendit ſe in omnes omnium bonorum materias, in honores, fauores, formas, &c. Quodſi quandoque vnus quiſpiam inuidet ob amorem, qui alicui defertur, id non eſt propter amorem, ſed propter fructus, qui inde pendent. Inuido non magnæ curæ eſt, quòd ſocius ſuus ametur à principe, modò ei ſplendida munera, & occurrentia paſsim beneficia non conferantur.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo DEVS æmuletur pro nobis.

CAPVT XIII.

DEVS ſic dicit: *ego ſum Dominus DEVS tuus fortis zelotes.* Exodi.
Dominus Deus pro ſuo nomine habet zelotes. Deus 20.v.5.
igitur eſt zelotypus; ſed qualis eſt, Theotime, eius zelotypia? certè primo intuitu videtur eſſe zelotypia concupiſcentiæ, qualis eſt maritorum propter ſuas vxores. Nam vult nos ita ſuos eſſe, vt nullo prorſus modo ſimus alterius, ſed illius ſolùm. *Nemo,* inquit ille, *poteſt duobus Dominis ſeruire.* Petit is totum noſtrum cor, totam animam, totum intellectum, omneſq; vires. Eaque de cauſa vocatur noſter ſponſus; & animæ noſtræ vocantur eius ſponſæ. Ideoque omnis generis à ſe receſſum vocat FORNICATIONEM & ADVLTERIVM. Et ſi meritiſsimo iure magnus Deus noſter, totus & vnicè bonus, ſibi perfectiſſimè depoſcat noſtrum cor, (quod tam exiguum eſt, vt non valeat ſatis amoris ſuppeditare ad dignè amandam eius diuinam bonitatem.) nonne conueniens eſt, vt cùm nequeat dare totum amorem, qui requiritur, minimùm det, quem poteſt. Bonum quod eſt ſummè amandum, nonne debet ſummè amari? Summè autem amare, eſt omnino, & ex totis viribus amare.

Zelotypia tamen hæc, quam Deus habet propter nos, reipſa non eſt zelotypia concupiſcentiæ, ſed ſummæ amicitiæ, dum non ob eius commodum, illum amamus, ſed ob noſtrum. Amor noſter illi eſt inutilis, ſed nobis plurimùm adfert vtilitatis. Et ſi illi eſt gratus, ideò gratus eſt, quia nobis prodeſt. Nam cum ſit ſupremum bonum, gaudet, ſe communicando per ſuum amorem, nullo omnino illi accedente commodo. Vnde exclamat, querendo de peccatoribus: *duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ieremi. 2.v.13. Aduerte, obſecro, Theotime, parumper, quomodo diuinus hic amator delicatè exprimat nobilitatem & generoſitatem ſuæ zelotypiæ: *dereliquerunt me,* inquit, me inquam, qui ſum ſcaturigo aquæ viuæ. Ac ſi diceret: non queror, quòd me dereliquerint ob damnum aliquod, quod ex eorum deſertione & derelictione mihi poſſet emergere. Nam quid detrimenti accipere poteſt viua aquæ ſcaturigo;

rigo,ſi ex eadẽ aqua non hauriatur? Ideóne ceſſabit riuorum inſtar fluere ac fluctuare ſuper terram? Sed quod mihi dolorem parit, eorum eſt infortunium, qui me derelinquentes, foderunt ſibi ciſternas inutiles, & quæ aquas non valent continere. Quodſi per cogitationem rei impoſſibilis potuiſſent alicunde nanciſci alium fontem aquæ viuæ, ferrem haud grauatè eorum à me receſſum, nullum ſiquidem emolumentum aliud ex eorum amore prætendo, quàm eorum bonum; ſed me derelinquere, vt pereant, à me recedere, vt ſe præcipitent, hoc eſt quod mihi admirationem & moleſtiam adfert ob eorum dementiam. Amore igitur noſtri eſt, quod velit ſe amari à nobis, quia nequimus ceſſare eum amare, niſi ſimul incipiamus perire, & quicquid illi ſubtrahimus de noſtro amore, totum id voluntariè deperdimus.

Cant9. Cant. *Pone me*, inquit diuinus Paſtor ad Sulamitidem, *Vt ſignaculum ſuper cor tuum, Vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Sulamitis equidem poſſidebat cor plenum amoris cæleſtis ſui Dilecti, qui eſto poſſideat totum, tamen non eſt eo contentus, ſed velut per diffidentiam ſacræ zelotypiæ, vult adhuc eſſe ſupra cor, quod poſsidet, & ipſemet illud obſignare, ne quid ex amore, qui eſt totus pro & propter illum, effluat, & ne quid ad eum intret, quod permixtionem aliquam inferat: non enim eſt expletus amore, quo anima Sulamitidis eſt plena & cumulata, niſi ille ſit inuariabilis, purus totus, & vnicè pro ſe; vult enim frui non ſolùm affectione amoris noſtri cordis, ſed etiam effectibus & operibus manuum noſtrarum; quin & eſſe vult inſtar ſigilli ſupra dextrum noſtrum brachium, vt neque ſe extendat neque impendat alijs operibus faciendis, quàm ſui obſequij. Ratio autem huius petitionis diuini Amatoris eſt, quòd quemadmodum mors ita fortis eſt, vt animam ab omnibus rebus, etiam à proprio ſuo corpore ſeparet; ita amor Sacer, poſtquam pertigit ad gradum *zeli*, ſeparat & remouet animam ab omnibus alijs affectionibus, expurgatq; ab omni permixtione: adeò vt non ſolùm ſit fortis, vt MORS, ſed etiam aſper, inexorabilis, durus & vehemens ad caſtigandam omnem iniuriam ſibi illatam, quando alios, præter ſe admittit riuales: ſicut infernus in puniendis damnatis violentus, & inſuper ſicut infernus plenus horrore, furiâ, & atrocitate, non recipit aliquam mixtionem amoris; ita amor zelotypicus non recipit permixtionem alterius affectionis: vult enim omnia eſſe pro dilecto. Nihil ita mite eſt vt columbus, ſed

nihil

Digitized by Google

nihiletiam illo violentius aduerſus comparem ſuam columbam, quando vel minima laborat zelotypia. Si reflexiſti aliquando, Theotime, aduertiſti, mite alioquin hoc animalculum, rediens ex ſuo volatu & inueniens ſuam comparem columbam vnà cum ſocijs ſuis columbis, non poſſe ſe ita continere; quin aduertatur aliquid gerere diffidentiæ, quâ efficitur aſperior, & nonnihil varius. Vnde ſtatim atque ad ſuam comparem reuolauit, eam circumdat, muſsitans, ſtatum varians, tripudians etiam aliquantulum alarum remigio percutiens illam, eſto probè nôrit illam eſſe fidelem, quam etiam hic & nunc totam candore & innocentiâ pœnitentem conſpicit.

Cùm die quodam ſancta Catharina Senenſis in aliquo raptu, qui tamen omnino ei non tollebat vſum ſenſuum, exiſteret, & DEUS mira quædam ei oſtenderet, vnus quidam è fratribus tranſijt prope illam, qui facto ſtrepitu aliquo, eam diuertit, ita vt momento vnico ſe vertterit ad reſpiciendum. Parua hæc diſtractio ex improuiſo adueniens, neque peccatum, neq; infidelitas fuit, ſed ſola peccati vmbra, ſolaque imago infidelitatis: & nihilominus ſanctiſſima cæleſtis ſponſi Mater, eam ita durè obiurgauit, & glorioſus ſanctus Paulus eam ita magna confuſione affecit, vt putaret ſe penitus in lacrymas reſoluendam. Et Dauid gratiæ reſtitutus per amorem perfectum, quomodo fuit exceptus, & tractatus propter vnicum peccatum veniale, quod commiſit ineundo numerum populi ſibi ſubditi?

At, Theotime, qui vult videre hanc zelotypiam delicatè & excellenter expreſſam, legat oportet documenta, quæ Seraphica S. Catharina Genuenſis conſcripſit ad declarandas puri amoris proprietates. Inter quas hanc maximè vrget & inculcat: amorem ſcilicet perfectum, id eſt eum, qui iam vſque ad zelum pertigit, non poſſe ferre interuentionem, vel interpoſitionem, neque etiam mixtionem vllius alterius rei; ne ipſamet quidem DEI dona; quin vſque ad eum pertingere rigorem, vt non ſinat expeti & affectari ipſam beatitudinem, niſi ad amandam perfectius bonitatem illius, qui confert beatitudinem. Vnde lampades puri iſtius amoris carent oleo, lychno, & fumo, quia ipſæ totæ ſunt ignis & flamma, quas nihil in mundo poteſt extinguere: & qui habent has lampades ardentes in ſuis manibus, habent etiam ſimul timorem caſtarum ſponſarum, non autem fœminarum adulterarum. Illæ timent,

ment, & hæ etiam timent, ſed magno diſcrimine, inquit S. Auguſtinus. Caſta ſponſa timet abſentiam ſui ſponſi; adultera præſentiam ſui; illa timet ne à ſe diſcedat, hæc autem ne apud ſe maneat; illa ita eſt amoroſa, vt tota quanta ſit zelotypa; hæc non eſt zelotypa, quia nec amans, nec amoroſa: hæc timet ne caſtigetur, & illa timet ne non ſatis ametur: imò in veritate propriè loquendo non timet ne non ametur, vti faciunt aliæ zelotypæ, quæ amant ſe ipſas, & volunt amari; at timet caſta ne non ſatis amet eum, quem videt tam amabilem eſſe, & nequeat dignè eum amare ſecundum gradum & magnitudinem, quâ amorem meretur, vti paulò ante dixi. Hinc eſt quod illa non ſit zelotypa zelotypiâ, quæ quærat proprium commodum, ſed zelotypiâ purâ, quæ non oritur ex aliqua concupiſcentia, verũ ex nobili & ſimplici amicitia; zelotypiâ inquã, quæ poſtea ſe extendit vſq; ad proximum, cum cuius amore illa oritur: amamus ſiquidem proximum propter Deum, ſicut nos ipſos: & ita quidem amamus, vt mortem oppetere parati eſſemus ad impediendum quò minùs ille periret.

Sicut autem zelus eſt ardor quidam inflammatus, vel ardens inflammatio amoris; ita requirit, vt ſapienter & prudenter exerceatur, alioquin ſub prætextu illius violarentur termini modeſtiæ, aut diſcretionis, & ſic non difficulter à zelo ad choleram, & ex iuſta affectione ad puram putam paſſionem fieret gradus. Sed non eſt hic locus ad notandas & tractandas conditiones zeli, hoc ſolùm, Theotime, te commoneo, vt pro executione illius, ſemper habeas recurſum ad eum, quem tibi Deus dedit ductorem vitæ tuæ ſpiritualis.

De zelo vel zelotypia, quam habemus pro DEO.

CAPVT XIV.

NObilis quidam ex Equeſtri ordine petijt ab excellenti, & celebri pictore ſibi depingi equum in ſitu currentis, quem cùm pictor exhibuiſſet in ſitu volutantis ſe ſupra dorſum, incepit nobilis indignari; tum pictor depictam equi imaginem vertens, & ponens ſupra, quod erat infra, Domine, inquit, ne indigneris ob mutationem

tationem ſitûs equi currentis, in ſitum ſe volutantis: ſolùm enim inuertenda eſt imago, vt habeas tuum intentum. Theotime, qui perfectè vult videre; qualem zelum, vel qualem zelotypiam habere debeamus pro Deo, ſolùm oportet exprimere bene zelotypiam, quam habemus pro rebus humanis, & deindè eam inuertere: talis enim eſſe deberet illa, quam Deus pro ſe requirit à nobis.

Imaginare tibi, Theotime, comparationem, quæ eſt inter illos, qui lumine ſolis perfruuntur, & eos, qui non habent niſi exiguam claritatem vnius lampadis; illi, nullam adinuicem habent zelotypiam: nam probè ſciunt lumen ſolis eſſe ſufficientiſſimum omnibus. Sciunt etiam fruitionem vnius non impedire alterius, & vnumquemque non minus poſsidere, (eſto omnes poſsideant in communi) quàm ſi vnus ſolus in particulari poſsideret. Sed quantùm ad claritatem lampadis attinet, quia eſt parua, exigua & inſufficiens pro pluribus, quilibet in ſuo cōclaui eam vult habere, & qui habet, ei inuidetur ab alijs. Bonum rerum mundanarum adeò eſt miſerum & vile, vt quando vnus eo fruitur, alterum eodem priuari neceſſe ſit. Amicitia item humana ita eſt breuis ac infirma, vt quā menſurâ ea ſe communicat aliquibus, eâdem ſe reddat debiliorem & infirmiorem ad ſe communicandam alijs: & hinc oritur, quòd æmulemur, & ægrè feramus, dum in eo habemus ſocios & corriuales; Dei autem cor ita abundans eſt in amore, eiuſque bonum ita eſt infinitum, vt omnes illud poſsint poſsidere, nec tamen vnusquiſpiam minus integrè illud habeat, quia infinitas eius bonitatis nequit exhauriri; quamuis omnes totius vniuerſi repleat mentes: poſtquam enim omnes omnino ſunt vſque ad ſummum impletæ, eius infinitas ſemper remanet integra, abſque vlla omnino diminutione. Sol non minus reſpicit & calefacit vnam roſam cum mille millionibus aliorum florum, quàm ſi roſam illam ſolùm reſpiceret. Deus item non minus perfundit vnam animam rore ſui amoris, (quamuis amet infinitas alias) quam ſi non niſi illam ſolam perfunderet: vis & efficacia eius dilectionis non imminuitur ob multitudinem radiorum, quos expandit, ſed manet ſemper plena ſuæ immenſitatis.

In quo igitur conſiſtit zelus, æmulatio vel zelotypia, quam habere debemus pro diuina bonitate? Theotime, 1. eius officium eſt odiſſe, fugere, impedire, deteſtari, reijcere, oppugnare & expugnare, ac proſter-

proſternere, ſi fieri poteſt, quicquid Deo eſt contrarium, id eſt eius vo-
Pſ.118. luntati, gloriæ, nominiſq; ſanctificationi. *Iniquitatem odio habui*, inquit Dauid:
v.163. *& abominatus ſum. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Tabeſcere me fecit zelus*
meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. In matutino interficiebam omnes peccatores
bid: *terra, vt interficerentur omnes operantes iniquitatem.* Aduerte & obſerua, ob-
v.139. ſecro, Theotime, magnum hunc Regem, quo animatus ſit zelo, & quomodo potentias animæ ſuæ impendat ſeruitio ſanctæ æmulationis! non odit ſimpliciter iniquitatem, ſed abominatur; contabeſcit triſtitia eam videndo, quin & animo deficit præ indignatione, illam perſequitur, illam deuaſtat & exterminat. Ita Phinees accenſus ſancto Dei zelo, vno ictu gladij effrontem illum Iſraelitam, & impuram Madianitidem, quos in turpi & infami actu deprehendit, transfodit; ita & zelus ille, qui Chriſti cor comedebat, eundem accendit, vt remoueret & ſimul irreuerentiam & prophanationem, quam vendentes & ementes exercebant in templo, vlciſceretur.

II. Zelus ardenter æmulari nos facit puritatem animarum,
2. Cor. quæ ſunt ſponſæ Chriſti, iuxta quod dicit Apoſtolus: *æmulor vos Dei æ-*
11 v. 1. *mulatione: deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Eliezer vehementi æmulatione æmulatus fuiſſet, ſi caſta ac formoſa Rebecca, quam ducebat futuram ſponſam & vxorem filij Domini ſui, fuiſſet in aliquo periculo, ne violaretur; & dubio procul dicere potuiſſet caſtæ & eximiæ illi virgini: æmulor te æmulatione, quam gero pro Domino meo, deſpondi enim te viro, vt te exhibeam virginem caſtam filio Domini mei Abraham. Ita intendit etiam glorioſus Apoſtolus dicere Corinthijs: miſſus ſum à Deo ad veſtras animas, ad tractandum matrimonium æternæ vnionis inter eius filium Saluatorem noſtrũ, & vos; & promiſi me illi exhibiturum vos, tanquam Virginem caſtam diuino ſponſo. Et ecce quare æmuler, non mea quidem æmulatione, ſed Dei, cuius nomine vobiſcum tractaui. Æmulatio iſta, Theotime, quotidiana deliquia & mortes pariebat Apoſtolo: *Quotidie morior per*
1. Cor. *veſtram gloriam: quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?*
15. v. 31 Videte, dicebant Antiqui, videte, inquam, qualem curam, qualem & æmulationem habeat mater gallina pro ſuis pullis: (Dominus enim non putauit hanc comparationem indignam ſuo Euangelio.) gallina eſt gallina, id eſt animal, timidum aliàs, ſine animo & generoſitate aliqua;

qua; at effecta mater habet cor leonis, incedit ſemper eleuato capite, eius oculi intenti ſunt ad omnia, viſum voluit in omnes partes, (eſto vix aliqua ſit ſpecies periculi) ob ſuorum pullorum ſalutem. Non eſt inimicus, in cuius obtutum ſuos non iaciat oculos pro defenſione ſui fœtûs; pro quo continuam gerit ſolicitudinem: quæ cauſa eſt, vt quocunque pergat, glocitet & queratur. Quodſi aliquis ex pullis pereat, quos non oſtendit dolores, qualem non exercit choleram? Eſt & æmulatio Patrum & matrum pro ſua prole, paſtorum pro ſuis ouibus, fratrum pro ſuis fratribus; quis zelus, quæ fuit æmulatio filiorum Jacob Patriarchæ, poſtquam reſciuerunt Dinam ſororem ſuam eſſe violatam? Quis zelus Jobi ob apprehenſionem & timorem, quem habebat, ne filij ſui Deum offenderent? Quis zelus ſancti Pauli pro ſuis fratribus ſecundum carnem, & pro ſuis filijs ſecundum Deum, pro quibus voluiſſet eſſe anathema? Quis zelus Moyſis aduerſus ſuum populum, pro quo certè quodam modo petebat deleri de libro vitæ?

III. In æmulatione humana timemus ne res amata ab alio quopiam poſſideatur: ſed zelus, quem gerimus aduerſum Deum facit contrarium, vt ſcilicet timeamus ſuper omnia, ne non ſimus ſatis integrè per illum poſſeſsi. Æmulatio humana facit nos apprehendere, quaſi non ſatis amemur; æmulatio autem Chriſtiana timere nos facit, ne non ſatis amemus. Hinc eſt quòd S. Sulamitis clamabat: *O dilecte mi, indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Verebatur, ne non tota eſſet ſacri ſui Paſtoris, & ne, licet modicum, ſe detineret apud eos, qui volebant eſſe ſponſi corriuales: nam nullo modo vult, vt oblectationes mundanæ, honores & bona exteriora vel minimùm occupent & diſtrahant ſuum amorem, quem integrè dedicauit ſuo Saluatori. Cant. 1. 6.

Monita pro directione ſancti zeli.

Capvt XV.

Quia zelus eſt ardens & vehemens quidam amor, opus habet vt ſapienter gubernetur, alioquin modeſtiæ & diſcretionis terminos transgredietur; non ideò quidem, quòd diuinus amor quantumuis ſit vehemens, poſſit excedere in ſe ipſo, aut in ſuis motionibus & propenſionibus, quas imprimit mentibus; ſed cum executioni ſuorum propoſitorum adhibeat intellectum, præſcribens ei, vt omni ſtudio inueſtiget media ad efficiendum, vt res præſens progreſſum habeat, impendat audaciam, quin &, ſi neceſſe eſt, etiam choleram ad ſuperandas obuias paſſim occurrentes difficultates; euenit enim perſæpe, vt intellectus proponat, & inducat hominem ad ingrediendum vias nimiùm aſperas, & violentas. Hinc fit, vt cholera, vel audacia ſemel commota, & non potens ſe continere intra limites rationis, abripiat cor ad inordinationem; ita vt zelus per hunc modum indiſcretè & inordinatè excitatus, malus & reprehenſibilis efficiatur. David miſit Joab cum ſuo exercitu contra perfidum & rebellem ſuum filium Abſolonem; cui ſeriò prohibuit ne filius tangeretur, ſed quibuſcunque euentis, magna illius vitæ ratio haberetur, & ſaluus ſeruaretur. At Joab intentus rei bene gerendæ & vehementer inflammatus ad proſequendam victoriam, ipſe propriâ manu miſerum occidit Abſolonem, nullo habito reſpectu eorum omnium, quæ dixerat Rex. Eodem modo zelus adhibens choleram contra malum, ei ſemper expreſsè mandat, ne, deſtruendo iniquitatem & peccatum, deſtruantur (vbi ſeruari poſſunt) peccator & iniquus: ſed cùm illa ſemel excitata fuerit, & velut furijs agitata, non ſecus atque equus forti ore, recalcitrans ac indomitus ſe clàm ſubtrahit, & hominem, qui ei inſidet, effert extra ſtadium, nec amplius paret, niſi deficiente ſpiritu. Eximius Paterfamilias, quem deſcribit Chriſtus in Euangelio, bene nouerat ardentes, & violentos ſeruos in more poſitum habere, vt tranſeant vltra intentionem ſui Domini; nam cùm ſe offerrent ad colligenda zizania in agro, ait illis:

non

non; ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Certè Theotime, cholera eſt ſeruus, qui cum ſit fortis, animoſus & audens res magnas ſuſcipere, multum breui tempore conficit operis; ſed ita eſt ardens, ſeditioſus, inconſideratus & impetuoſus, vt vix boni quid ordinariè faciat, quin ſimul faciat plurima mala. At non benè adminiſtrantur res domeſtica, dicunt Agricolæ, dum domi ſeruantur Pauones, quia, quamuis venentur araneas, & euertant earum domicilia, ita nihilominus deſtruunt tecta, vt eorum vtilitas non ſit comparanda damnis & vaſtationibus, quas faciunt. Cholera eſt ſuccurſus à natura rationi datus, & additus ac conceſſus in gratiam & bonum zeli, pro executione eorum, quæ animo deſignauit, ſed ſuccurſus iſte periculoſus eſt, ac proinde vix deſiderandus; nam ſi veniat cum manu forti, vult dominari, & vbi dominatus fuerit, auctoritatem rationis, & amabiles zeli leges euertit; quòd ſi cum exigua & debili veniat, nihil facit, quod zelus per ſe ſolus facere non poſſit; & ſic ſemper meritò timet, ne vires ſuas adaugens occupet cor & zelum, ea ſuæ ſubijciens tyrannidi, ſicut facit ignis artificialis, qui vno momento tales in flammas ædificium aliquod redigit, vt perquam difficile ſit eas extinguere. Deſperationis actus eſt ponere in aliqua munitione præſidium, & ſuccurſum extraneum: quia poſſet in ea præualere, & primatum ſibi vendicare.

Proprius amor ſæpe nos decipit, & nobis ſplendidè imponit, exercens ſuas proprias paſsiones ſub zeli nomine; zelus antea ſubindè videbatur cholerâ, nunc autem contrarium experimur, dum cholera vtitur zeli nomine, & ſub eius tegumento latitat ignominioſa eius inordinatio. Dico choleram vti zeli nomine: quia non poteſt eo vti in ſe ipſo; zelus ſiquidem proprius eſt omnibus virtutibus; comprimis autem charitati; cuius charitatis ipſe zelus talis eſt dependentia, ſeu circumſtantia ita bona, vt nemo eâ valeat abuti.

Die quodam peccator famoſus venit ad templum, & abiecit ſe ad pedes boni & probi Sacerdotis, teſtando cum magna animi ſubmiſſione, ſe veniſſe ad quærendum remedium ſuis malis, id eſt ad recipiendam ſanctam abſolutionem pro ſuis peccatis; Monachus quidam nomine Demophilus, videns, ſuo indicio, miſerum hunc pœnitentem nimis propè accedere ad altare, tam violentâ aduerſus eum exarſit cholerâ, vt in illum irruens pedum truſionibus inde expulerit; coniectis inſu-

per compluribus iniurijs & conuitijs in probum illum Sacerdotem, qui iuxta officij ſui obligationem omni cum decentia receperat dictum pœnitentem. Deinde monachus hic currens ad altare, res ſacras, quæ in eo erant, ſuſtulit, timens, vti volebat alijs perſuadere, ne acceſſu iſtius peccatoris eæ prophanarentur. Porrò, cùm inſignem zelum, vt ſibi videbatur exercuiſſe, in hoc non perſtitit, ſed gloriabundus, quaſi re bene peractâ, ad S. Dionyſium Areopagitam litteras ſcripſit, quibus ei ſuum factum ſignificabat; & reſponſum accepit dignum ſpiritu viri Apoſtolici, quo magnus hic S. Pauli diſcipulus præditus & animatus erat. Poſuit enim illi clarè ob oculos zelum, quem iactitabat, fuiſſe indiſcretum, imprudentem, & ſimul impudentem: quia, eſto, zelus & honor debitus Sanctis rebus, ſit bonus & laudabilis; tamen iſte planè fuit contra omnem rationem, carens omni conſideratione, omnique iudicio; ſiquidem pedum ictibus pœnitentem malè exceperat; conuitia, iniurias & reprehenſiones in loco & occaſione in homines, quos debuiſſet dignè honorare, amare & veneratione magna afficere, coniecerat. Vnde zelus hic minimè poterat eſſe bonus, quia magna cum confuſione exercitus fuerat. Verùm in hac ipſa reſponſione magnus S. Dionyſius refert aliud exemplum admirabile magni quidem zeli procedentis alioquin à viro probo, ſed deſtructi & vitiati per exceſſum choleræ, quam excitârat.

Paganus aliquis Chriſtianum quendam Cretenſem, nouiter conuerſum ad fidem, & idololatriam reduxerat: quam ob rem Carpus vir eminens in puritate, & vitæ ſanctitate, qui, (videtur fuiſſe Epiſcopus Cretenſis) adeò magnam concepit choleram, vt in eo nunquam ſimilis viſa fuerit. Quid multis? tantum progreſſus eſt in iſta paſſione, vt cum media nocte ſurrexiſſet ad perſoluendas conſuetas preces, concluſerit apud ſe ipſum, non eſſe rationi conſonum, vt homines impij vlterius viuerent. Vnde magnâ cum indignatione rogauit diuinam bonitatem, vt duos iſtos homines, ſeductorem, & ſeductum ictu fulminis ſimul è medio tolleret. Sed audi, Theotime, quid Deus fecerit ad corrigendam aſperitatem paſſionis, quâ Carpus erat occupatus. Primò ei velut alteri ſancto Stephano oſtendit cælum apertum, & Chriſtum Dominum ſedentem ſuper inſignem thronum, magnâ multitudine Angelorum circumdatum, qui ei in forma humana aſſiſtebant; deinde vidit in

terris,

Digitized by Google

terris velut horribilem, & vaſtum gurgitem, & duos illos, deceptorem & deceptum, quibus innumera mala optârat, ſupra illud præcipitium trementes, qui ferè præ nimio horrore animo deficiebant, quia in procinctu erant, vt caderent; trahebantur enim vna ex parte à multitudine ſerpentium, qui exeuntes ex inferni abyſſo, eorum ſe cruribus circumvoluebãt, & caudis ſuis titillabant, eos prouocantes ad lapſum; ex altera autem parte homines aliqui eos impellebant percutiendo, vt ſi poſſent, cadere, facerent; vnde futurum omnino videbatur, vt iam iam in barathrum illud præcipites agerentur. Conſideres velim Theotime, violentiam paſsionis Carpi; nam vt ipſemet poſtea referebat ſancto Dionyſio, non ei curæ erat contemplari Chriſtum, & Angelos, qui ei miniſtrabant in cælo; tam delectabatur videndo horribiles, & infernales anguſtias miſerorum iſtorum duorum! hoc ſolùm eum affligebat, quod cito non perirent: ideoque tentabat ipſemet eos præcipitare. Quod cùm facere non poſſet, incredibile dictu eſt quantopere indignabatur, maleque ijs precabatur; vſque dum tandem attollens oculos in cælum, vidit dulciſsimum ac miſericordiſsimum Saluatorem, qui motus maximâ pietate & commiſeratione ob ea quæ fiebant, ſurgens è throno ſuo, & deſcendens vſque ad locum, in quo erant duo illi miſerabiles, auxiliatricem porrexit manum. Tunc etiam Angeli omni ex parte eos retinebant, impedientes, ne ruerent in horribilem illum gurgitem. Et pro concluſione, amabiliſſimus & benigniſſimus Iesus conueniens iratum Carpum ei dixit; accipe Carpe, & percute me poſthac: nam paratus ſum adhuc ſemel pati ad ſaluandos homines, & hoc mihi pergratum eſſet, ſi fieri poſſet ſine peccato hominum; ſed inſuper cogita, quid tibi eſſet melius, an morari in illo gurgite cum ſerpentibus, an vero habitare cum Angelis, qui tam eximij ſunt hominum amici? Theotime, ſanctus Carpus, cauſam habebat aſſumendi zelum pro duobus iſtis hominibus, & zelus iuſtè excitârat choleram contra eos, ſed mora ſemel cholera reliquerat rationem & zelum à tergo, & progrediens vltra omnes limites, & transgrediens terminos ſancti amoris, & conſequenter zeli, cuius ipſa eſt feruor; conuerterat odium peccati, in odium peccatoris, & dulciſsimam charitatem in furioſam crudelitatem.

Ita nonnulli ſunt homines, qui non putant haberi poſſe multùm zeli, niſi multùm habeatur cholera, credentes nihil poſſe conciliari nihil

Digitized by Google

accommodari, niſi deſtruendo omnia: cùm tamen verus zelus vix vnquam adhibeat choleram: nam ſicuti non applicatur ferrum & ignis infirmis, niſi quando aliter ſanari non poſſunt, ita ſanctus zelus non adhibet choleram, niſi ſumma adſit neceſsitas.

Exemplum plurium Sanctorum, qui videntur exercuiſſe zelum cum cholera, nihil continere contra doctrinam ſuperioris capitis.

CAPVT XVI.

VErum eſt, nec negari poteſt, mi Theotime, Moyſen, Phineen, Eliam, Mathatiam, & plures alios eximios Dei ſeruos, vſos fuiſſe cholera in multis ſingularibus occaſionibus ad exercendum ſuum zelum. Sed notes velim eos fuiſſe excellentes & eximios viros, qui probè nôrant ſuas paſſiones tractare & choleram frænare. Erant pares magno illi duci Euangelico, qui militibus ſuis dicebat; *ire, & ibant; venite, & veniebant;* at nos parui homunciones non tantum imperij habemus in noſtros motus; equus noſter non ita bene inſtructus eſt, vt eum propellere, & ſiſtere poſsimus ad libitum. Sagaces, & probè edocti canes vel excurrunt in campos & ſyluas, vel à curſu abſtinent, iuxta vocem ſui directoris, qui equo inſidens, ijs ceruum perſequentibus, inſtat à tergo; at iuuenes, qui necdum ſunt inſtructi, huc & illuc vagantur, nec promptè obtemperant voci ſui venatoris. Magni Sancti, qui ſuas paſſiones & affectus multis mortificationibus per exercitium virtutis ſapientes effecerunt, poſſunt etiam choleram ſuam ad libitum habere, laxare & retrahere, prout placet. Nos autem, qui adhuc noſtras indomitas, iuuenes, vel minimùm malè edoctas gerimus, nõ poſſumus fræna dare noſtræ choleræ, niſi cum periculo magnæ confuſionis & inordinationis, quia cùm ſemel emiſſa fuerit in campum libertatis, neque amplius retineri, neque gubernari poteſt, vti deceret.

Sanctus Dionyſius loquens huic Demophilo, qui nomine zeli ſuam rabiem & furiam inſignire nolebat: *ille*, inquit, *qui vult alios corrigere, omnium primò impedire debet, ne cholera rationi è manu ſceptrum, quod Deus, ei dedit*

Digitized by Google

*ei dedit in animam, eripiat; ne etiam excitet rebellionem, ſeditionem & confu-
ſionem intra nos ipſos. Vnde nullo modo approbo impetuoſitates tui indiſcreti ze-
li, eſto innumeris vicibus mihi renoces Phineen, & Eliam in memoriam. Talia
enim verba non placuerunt Chriſto, quando ei dicta ſunt a ſuis diſcipulis, qui nec-
dum intimè participarant dulcem & benignum magiſtri ſui ſpiritum.* Phi-
nees, Theotime, videns infelicem illum Iſraëlitam grauiſsimè Deum
cum Moabitide offendentem, vtrumque interfecit. Elias præ-
dixerat mortem Ochoziæ: qui ob iſtam prædictionem indignatus, miſit 4. Reg.
ad eum duos principes quinquagenarios, adiunctis cuilibet quinqua- 1.v.9.
ginta militibus, qui apprehenſum ad ſe adducerent: homo autem Dei
fecit ignem deſcendere de cælo, qui eos vnà cum ſuis deuorauit.

Cæterùm, die quodam, cùm *Dominus transiret per Samariam miſit nun-
cios ante conſpectum ſuum in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi; habitatores au-
tem illius ſcientes Chriſtum eſſe natione Iudaum,* & pergere Hieroſolymam, non
receperunt eum: quod cùm vidiſſent diſcipuli eius, Ioannes & Iacobus,
dixerunt: *Domine vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo & conſumat illos? Et
conuerſus increpauit illos dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis: Filius hominis non venit ani-
mas perdere, ſed ſaluare.* Et hoc eſt, Theotime, quod dicit ſanctus Dio-
nyſius Demophilo, qui allegabat exemplum Phineæ, & Eliæ: nam S. Io-
annes & Iacobus, qui volebant imitari Eliam, faciendo ignem deſcende-
re de cælo ſuper incolas illius ciuitatis, reprehenſi ſunt à Domino & e-
docti ſpiritum & zelum ſuum eſſe ſuauem, benignum &, gratioſum, qui
non indignetur, neque irâ accendatur, niſi rariſsimè: tunc ſcilicet,
quando nulla affulget ſpes rem aliter promouendi. Sanctus Thomas de
Aquino magnum illud Theologiæ aſtrum, cùm decumberet morbo, quo
mortuus eſt, in monaſterio Foſſæ nouæ ordinis Ciſterciensium, rogatus
à Religioſis illius loci, vt breuiter exponeret ſacrum canticum Cantico-
rum ad imitationem ſancti Bernardi reſpondit illis: chari patres, date
mihi ſpiritum ſancti Bernardi, & ego interpretabor vobis diuinum iſtud
Canticum ſicut S. Bernardus. Certè eodem modo, ſi nobis paruis,
miſeris, imperfectis & vilibus Chriſtianis dicatur, vtamini veſtra irâ, &
indignatione veſtri zeli, vti vſi ſunt Phinees, Elias, Mathatias, Sancti, Pe-
trus & Paulus, reſpondere debemus: exhibete nobis ſpiritum perfe-
ctionis, & puri zeli vnà cum interiori lumine iſtorum eximiorum San-
ctorum,

ctorum, & tunc nos, vti illi, cholerâ animabimur. Non eſt cuiuſq; ſcire iraſci, quando oportet, & ſicut oportet.

Magnis illis ſanctis ab ipſomet Deo proximè & immediatè erat inſpiratum, ideoque rectè poterant exercere ſuam choleram ſine periculo vllius peccati. Idem enim ſpiritus, qui eos animabat ad tales actus, eoſdem continebat intra terminos iuſtæ iræ, ne tranſgrederentur limites, quos eis poſuerat. Ira, quæ eſt inſpirata, vel excitata per Spiritum ſanctum, amplius non eſt ira hominis: eſt autem ira hominis, quæ fugienda eſt, quia vt dicit glorioſus ſanctus Iacobus *iuſtitiam* Dei *non operatur*. Et re ipſa, quando eximij Serui Dei iram exercebant, erat propter occaſiones comprimis ſolennes, & crimina ita magna, vt nullũ eſſet periculum, ne pœna excederet culpam.

Ideóne, quia eximius Apoſtolus Paulus ſemel vocauit Galatas INSENSATOS, Cretenſes, ob malas ſuas propenſiones, MENDACES, & in facie reſtitit glorioſo ſancto Petro Superiori ſuo, ſumenda eſt licentia iniurijs afficiendi peccatores, taxare nationes, cenſere & redarguere ſuos Prælatos, & Duces in via ſpirituali? Certè non eſt quilibet ſanctus Paulus vt ſciat omnia, quæ oportet in tempore & loco adhibere: ſed homines acerbi, plus æquo anxij, inquieti, præſumptuoſi & maledici, ſeruientes & inhærentes ſuis inclinationibus, humoribus, auerſionibus & arrogantiæ, ſuam iniuſtitiam pallio zeli volunt tegere. Et ſic qui talis eſt, ſub nomine ſacri ignis, finit ſe comburi à proprijs paſſionibus. Zelus ſalutis animarum facit deſiderare Prælaturam, ſi ambitioſo credamus; idem zelus facit vt Monachus, choro deſtinatus, huc & illuc diſcurrat, vt perſuadere vult homo inquietus; quin & idem zelus facit vt ferantur graues cenſuræ, excitenturq; periculoſæ murmurationes contra Prælatos Eccleſiæ, & principes temporales, vt aſſerit arrogans; quid multis? ſermo alius non eſt niſi de zelo, & tamen nullus comparet zelus, ſed ſolummodo maledicentia, cholera, odia, inuidiæ & inquietudines ſpiritûs & linguæ.

Tribus modis exercetur zelus I. Faciendo magnos & arduos actus iuſtitiæ ad malum propellendum, & hoc ſolùm pertinet ad eos, qui muneribus publicis funguntur, quibus incumbit corrigere, cenſere & reprehendere, quà ſuperiores; vt ſunt Principes, Magiſtratus, Prælati, Prædicatores, ſed quia officium hoc eſt ſpecioſum, & humani reſpectûs plenum,

Digitized by Google

num, quilibet illud ſuſcipit, quilibet ſe in id ingerit. II. Adhibetur ze-
exercendo opera magnæ virtutis ad dandum alijs bonum exem-
m..., ad ſuggerenda remedia malo; exhortando, vt ea impendan-
, operando oppoſitum malo, quod exterminatum volumus; quod
umbit vnicuique, ſed tamen perpauci reperiuntur, qui id facere ve-
III. Omnium excellentiſſimè exercetur zelus multa tolerando,
patiendo ad impediendum & auertendum malum; ah! nemo fere
hoc genus zeli. Zelus ſpecioſus eſt affectatus, & ambitionis plenus,
ic eſt, in quo quilibet exercere vult ſuum talentum, non aduertendo
eſſe zelum, qui quæritur, ſed gloriam, ſed expletionem arrogantiæ,
...ſolicitudinis inanis, inquietudinis ſuperfluæ, aliarumque paſſio-
a & affectionum ſiniſtrarum. Certè Chriſti Domini zelus præcipuè
iſus, quando mortuus eſt in cruce, ad deſtruendam mortem & pec-
hominum; exactiſſimè Sanctus Paulus vas electionis & di-
ionis imitatus eſt Dominum ſuum, vti ob oculos ponit magnus
latus magnus Sanctus Gregorius Nazianzenus verbis prorſus
is: nam loquens de ſancto hoc, ſic dicit: *Pro omnibus dimicat,*
omnibus precatur, zelo omnes proſequitur, pro omnibus inflammatur, tam
e aliquis, qui ſub lege ſubiectis, Gentium concionator, Iudæorum Patronus,
etiam maius aliquid pro ſuis ſecundùm carnem fratribus auſus eſt; (vt ip-
oq; aliquid audeam hoc dicens) eos ad Chriſtum loco ſuo introduci pro ſua
itate optat. O ingentem animi præſtantiam! ò ingentem ſpiritûs feruorem!
ſtum, qui noſtra omnia maledictum factus eſt, qui infirmitates noſtras ſuſce-
morbos portauit, imitatur, aut, vt moderatius dicam, primus poſt Chriſtum,
n cauſa, etiam tanquam impius, aliquid perpeti non recuſat, modo ipſi ſa-
conſequantur.

Quemadmodum igitur, Theotime, Saluator noſter fuit cæſus, con-
natus, crucifixus, vt homo deuotus, deſtinatus & dedicatus ad por-
a & ſufferenda opprobria, ignominias & pœnas debitas omnibus
di peccatoribus, & vt eſſet ſacrificium generale pro peccato, factus
anathema, ſeparatus & derelictus à Patre æterno: ita prorſus ſe-
ſum veram doctrinam magni Nazianzeni, glorioſus Apoſtolus Pau-
eſiderauit impleri ignominiâ, crucifigi, ſeparari, derelinqui & ſacri-
i pro peccato Judæorum, vt pro illis eſſet anathema, & ferret pœ-
, quam merebantur. Et quemadmodum Saluator noſter totius

 mundi

ctorum, & tunc nos, vti illi, cholerâ animabimur. Non eſt cuiuſq; ſcire iraſci, quando oportet, & ſicut oportet.

Magnis illis ſanctis ab ipſomet Deo proximè & immediatè erat inſpiratum, ideoque rectè poterant exercere ſuam choleram ſine periculo vllius peccati. Idem enim ſpiritus, qui eos animabat ad tales actus, eoſdem continebat intra terminos iuſtæ iræ, ne tranſgrederentur limites, quos eis poſuerat. Ira, quæ eſt inſpirata, vel excitata per Spiritum ſanctum, amplius non eſt ira hominis: eſt autem ira hominis, quæ fugienda eſt, quia vt dicit glorioſus ſanctus Iacobus *iuſtitiam* DEI *non operatur*. Et re ipſa, quando eximij Serui Dei iram exercebant, erat propter occaſiones comprimis ſolennes, & crimina ita magna, vt nullū eſſet periculum, ne pœna excederet culpam.

Ideóne, quia eximius Apoſtolus Paulus ſemel vocauit Galatas INSENSATOS, Cretenſes, ob malas ſuas propenſiones, MENDACES, & in facie reſtitit glorioſo ſancto Petro Superiori ſuo, ſumenda eſt licentia iniurijs afficiendi peccatores, taxare nationes, cenſere & redarguere ſuos Prælatos, & Duces in via ſpirituali? Certè non eſt quilibet ſanctus Paulus vt ſciat omnia, quæ oportet in tempore & loco adhibere: ſed homines acerbi, plus æquo anxij, inquieti, præſumptuoſi & maledici, ſeruientes & inhærentes ſuis inclinationibus, humoribus, auerſionibus & arrogantiæ, ſuam iniuſtitiam pallio zeli volunt tegere. Et ſic qui talis eſt, ſub nomine ſacri ignis, finit ſe comburi à proprijs paſſionibus. Zelus ſalutis animarum facit deſiderare Prælaturam, ſi ambitioſo credamus; idem zelus facit vt Monachus, choro deſtinatus, huc & illuc diſcurrat, vt perſuadere vult homo inquietus; quin & idem zelus facit vt ferantur graues cenſuræ, excitenturq; periculoſæ murmurationes contra Prælatos Eccleſiæ, & principes temporales, vt aſſerit arrogans; quid multis? ſermo alius non eſt niſi de zelo, & tamen nullus comparet zelus, ſed ſolummodo maledicentia, cholera, odia, inuidiæ & inquietudines ſpiritûs & linguæ.

Tribus modis exercetur zelus I. Faciendo magnos & arduos actus iuſtitiæ ad malum propellendum, & hoc ſolùm pertinet ad eos, qui muneribus publicis funguntur, quibus incumbit corrigere, cenſere & reprehendere, quà ſuperiores; vt ſunt Principes, Magiſtratus, Prælati, Prædicatores, ſed quia officium hoc eſt ſpecioſum, & humani reſpectûs plenum,

plenum, quilibet illud ſuſcipit, quilibet ſe in id ingerit II. Adhibetur zelus exercendo opera magnæ virtutis ad dandum alijs bonum exemplum; ad ſuggerenda remedia malo; exhortando, vt ea impendantur, operando oppoſitum malo, quod exterminatum volumus; quod incumbit vnicuique, ſed tamen perpauci reperiuntur, qui id facere velint. III. Omnium excellentiſſimè exercetur zelus multa tolerando, & patiendo ad impediendum & auertendum malum; ah! nemo ferè vult hoc genus zeli. Zelus ſpecioſus eſt affectatus, & ambitionis plenus. Et hic eſt, in quo quilibet exercere vult ſuum talentum, non aduertendo non eſſe zelum, qui quæritur, ſed gloriam, ſed expletionem arrogantiæ, cholerꝏ, ſolicitudinis inanis, inquietudinis ſuperfluæ, aliarumque paſſionum & affectionum ſiniſtrarum. Certè Chriſti Domini zelus præcipuè eſt viſus, quando mortuus eſt in cruce, ad deſtruendam mortem & peccata hominum; exactiſsimè Sanctus Paulus vas electionis & dilectionis imitatus eſt Dominum ſuum, vti ob oculos ponit magnus Prælatus, magnus Sanctus Gregorius Nazianzenus verbis prorſus aureis: nam loquens de ſancto hoc, ſic dicit: *Pro omnibus dimicat, pro omnibus precatur, zelo omnes proſequitur, pro omnibus inflammatur, tam à lege alienis, quàm legi ſubiectis, Gentium concionator, Iudæorum Patronus. Quin etiam maius aliquid pro ſuis ſecundum carnem fratribus auſus eſt: (vt ipſe quoq; aliquid audeam hoc dicens) eos ad Chriſtum loco ſuo introduci pro ſua charitate optat. O ingentem animi præſtantiam! ò ingentem ſpiritûs feruorem! Chriſtum, qui noſtra cauſa maledictum factus eſt, qui infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portauit, imitatur, aut, vt moderatius dicam, primus poſt Chriſtum, eorum cauſa, etiam tanquam impius, aliquid perpeti non recuſat, modo ipſi ſalutem conſequantur.*

Quemadmodum igitur, Theotime, Saluator noſter fuit cæſus, condemnatus, crucifixus, vt homo deuotus, deſtinatus & dedicatus ad portanda & ſufferenda opprobria, ignominias & pœnas debitas omnibus mundi peccatoribus, & vt eſſet ſacrificium generale pro peccato, factus eſt vt anathema, ſeparatus & derelictus à Patre æterno: ita prorſus ſecundum veram doctrinam magni Nazianzeni, glorioſus Apoſtolus Paulus deſiderauit impleri ignominiâ, crucifigi, ſeparari, derelinqui & ſacrificari pro peccato Iudæorum, vt pro illis eſſet anathema, & ferret pœnam, quam merebantur. Et quemadmodum Saluator noſter totius

Digitized by Google

mundi peccata ita tulit, & factus eſt anathema, & oblatus pro peccato, & derelictus à Patre, vt non deſierit perpetuò eſſe dilectus filius, in quo Pater ſibi bene complacebat; ita ſanctus Paulus deſiderauit quidem eſſe anathema, & ſeparari à ſuo magiſtro, ſeu Domino, vt derelictus ab eo traderetur & opprobrijs & pœnis debitis populo Iudæorum; ſed non ideò deſiderauit vnquam priuari charitate & gratiâ ſui Domini: à qua charitate nihil vnquam eum potuit ſeparare: id eſt, deſiderauit ſe tractari vt hominem à Deo ſeparatum, ſed re ipſa & effectu non deſiderauit ab eo ſeparari, neque eius gratiâ priuari, quia hoc nequit ſanctè deſiderari. Ita cæleſtis ſponſa confitetur amorem eſſe fortem inſtar mortis, quæ ſeparat animam à corpore; zelum autem qui eſt amor ardens, longè adhuc eſſe fortiorem; nam ſimilem eſſe inferno, qui ſeparat animam à viſione Dei noſtri: At nunquam dictum eſt, neque dici poteſt, quòd amor vel zelus ſit ſimilis peccato, quod vnicum & ſolum ſeparat à gratia Dei. Et quomodo fieri poſſet, vt ardor amoris faceret deſiderare ſeparari à gratia: ſiquidem amor eſt ipſa gratia, vel minimùm non poteſt eſſe ſine gratia? zelus autem magni Apoſtoli Pauli exercitus fuit modo aliquo, vt mihi videtur, per paruum ſanctum Paulum; volo dicere per ſanctum Paulinum, qui, vt liberaret mancipium ex ſeruitute, ſe ipſum fecit mancipium & ſeruum, ſacrificans & tradens ſuam libertatem, vt libertatem redderet ſuo proximo.

Qualiter D. Paulus pro Iudæis voluerit eſſe anathema.

O quàm beatus eſt is, inquit S. Ambroſius, qui ſcit diſciplinam zeli! admodum facile, inquit S. Bernardus, diabolus ludibrio habebit tuum zelum, ſi tu negligas ſcientiam; ſit igitur zelus tuus inflammatus charitate, excultus ſcientiâ, ſtabilitus conſtantiâ; verus zelus eſt filius charitatis; nam ardor eius eſt: ideoq; ſicut illa patiens eſt, benignus eſt, non turbulentus, non contentioſus, ſine odio, ſine inuidia, gaudens veritate. Ardor veri zeli eſt ſimilis venatori, qui eſt diligens, ſolicitus, actiuus, laborioſus, & comprimis ſtudioſus in inueſtigandis & capiendis feris, ſed ſine cholera, ſine ira, ſine turbatione. Nam ſi labor venatorum eſſet cholericus, iræ obnoxius, anxius, non ita amaretur, neque expeteretur; eodem modo verus zelus extremos habet ardores, ſed conſtantes, firmos, dulces, laborioſos, æqualiter amabiles, & infatigabiles; contrà, falſus zelus eſt turbulentus, inquietus, inſolens, ferus, cholericus, inſtabilis, impetuoſus pariter & inconſtans.

Qualiter

Qualiter Chriſtus Dominus excellentiſsimos queſq; actus amoris exercuerit.

CAPVT XVII.

POſtquam de ſacris actibus diuini amoris longum feci ſermonem, vt facilius & ſanctius eius conſeruares memoriam, eius tibi offero compendium & epitomen. *Charitas Chriſti vrget nos*, dicit Apoſtolus: ita certè, Theotime, vrget nos illa, & quaſi vim nobis infert per infinitam ſuam dulcedinem, quam exercet in toto noſtræ redemptionis opere & œconomia. In qua apparuit benignitas & amor DEI aduerſus homines; quid enim diuinus hic amator non fecit circa omnia ea, quæ ſpectant amorem erga nos?

I. Enim amauit nos amore beneuolentiæ; nam eius deliciæ fuerunt eſſe cum filijs hominum, eoſque ad ſe hominem factum attrahere.

II. Amauit nos amore beneuolentiæ, iaciens, vt ſic dicam, propriam ſuam diuinitatem in hominem, vt homo fieret DEUS.

III. Venit ad nos per coniunctionem omnino incomprehenſibilem, quâ adhæſit, inſeuitque ſe noſtræ naturæ, adeo fortiter, adeo indiſſolubiliter & infinitè, vt nihil vnquam ita arctè iunctum fuerit humanitati, vt nunc eſt ſacroſancta Diuinitas in perſona filij DEI.

IV. Totum ſe in nos effudit, & velut profudit ſuam magnitudinem, vt eam reduceret in formam & figuram noſtræ paruitatis: hinc vocatur ORIGO AQVÆ VIVÆ, ROS ET PLUVIA CÆLESTIS.

V. Fuit in ecſtaſi, non tantùm in eo, quòd, vt dicit ſanctus Dionyſius, ratione amabilis exceſſus ſuæ bonitatis factus ſit quodammodo extra ſe ipſum, extendens ſuam prouidentiam ſuper res vniuerſas, in ijſdem exiſtens ac operans; ſed etiam in eo, quòd, ſicut dicit ſanctus Paulus, ſeipſum modo quodam admirabili dereliquit, ſe exinaniuit, magnitudine ſuæ gloriæ expoliauit, è throno incomprehenſibilis ſuæ Maieſtatis demiſit, &, ſi ſic loquendum eſt, abiecit ſemetipſum, vt ad

Digitized by Google

noſtram deſcenderet humanitatem, replens nos ſuâ diuinitate, cumulans ſuâ bonitate, eleuans ad ſuam dignitatem, & tribuens, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Et is, de quo toties Scriptura dicit, *Viuo ego ipſe, dicit Dominus;* dicere potuit iuxta ſermonem Apoſtoli, *Viuo ego ipſe, non iam ego ipſe, ſed viuit in me homo, Vita mea eſt homo,* & mori pro homine lucrum. Vita mea abſcondita eſt cum homine in Deo. Is, qui habitabat in ſe ipſo, nunc habitat in nobis. Et is, qui erat viuens per æterna ſæcula, in ſinu Patris æterni, fuit deinde mortalis in gremio matris temporalis. Is, qui viuebat æternaliter vitâ ſua diuina, vixit temporaliter vita ſuâ humanâ: & is, qui ab æterno non fuerat niſi Deus, erit æternaliter etiam homo; ita amor hominis Deum traxit & in ecſtaſi poſuit!

VI. Sæpe per intimam dilectionem hominem admiratus eſt, vt centurionem, & mulierem Cananæam.

VII. Contemplatus eſt Iuuenem illum, qui ad id vſque tempus ſeruârat mandata, & deſiderabat peruenire ad perfectionem.

VIII. Cœpit in nobis amoroſam quietem, & etiam aliqua cum ſenſuum ſuſpenſione in medio ventris materni, & in ſua infantia.

IX. Ducebatur admiranda teneritudine in paruos (quos accipiebat inter brachia, iiſque blandiebatur) in Martham, in Magdalenam, in Lazarum, ſuper quem mortuum fleuit, ſicut & ſuper ciuitatem Hieroſolymam.

X. Fuit animatus zelo incomparabili, qui, vt dicit S. Dionyſius, ſe conuertit in æmulationem & zelotypiam; auertens, quantum in eo fuit, omne malum à dilecta humana natura, etiam cum periculo, imò & pretio propriæ ſalutis; expellens Diabolum principem huius mundi, qui videri poterat eius riualis & ſocius.

XI. Innumeros habuit languores, eoſque amoris pleniſſimos: nam vnde alias procedere poterant diuina hæc verba. *Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Videbat ille horam, qua baptizandus erat: amore, quem aduerſum nos gerebat, eum premente, vt nos per ſuam mortem liberaret à morte æterna. Ita fuit triſtis, vt præ anguſtijs in horto Olìueti ſanguinem ſudarit; & hoc non tantùm propter extremũ dolorem, quẽ eius anima in parte inferiore rationis ſentiebat; ſed etiã ꝓpter ſum̃um amorẽ, quo nos complectebatur in ſuperiori

portione

Digitized by Google

portione eiuſdem, dolore inferente mortis horrorem, amore autem illi exhibente ingens deſiderium illius; ſic, vt accerima pugna & crudeliſsima agonia inter deſiderium mortis, & horrorem eiuſdem exſurrexerit vſque ad magnam effuſionem ſanguinis, qui fluxit velut ex viua ſcaturigine riuulorum inſtar, vſque ad ipſam terram.

XII. Tandem, Theotime, diuinus hic amator mortuus eſt inter flammas & ardores dilectionis, propter infinitam charitatem, quam habuit erga nos, & per vim & virtutem amoris, id eſt mortuus eſt in amore, per amorem, propter amorem, & ex amore. Nam quamuis crudelia illa ſupplicia fuerint ſufficientiſsima ad mortem cuilibet alij inferendam; tamen mors nequibat vnquam impetere vitam eius, qui habebat claues vitæ & mortis, niſi diuinus amor, qui claues gerit, portam illi aperuiſſet, vt diuinum eius corpus occideret, & vitam raperet. Non ſatis erat amori mortalem feciſſe propter nos, niſi etiam nobis mortuum traderet. Mortuus eſt per electionem, non autem per vim tormentorum: dicit enim: Ioann.
Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam 10. v. 17
à me ipſo; & iterum: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo ſumendi eam. Oblatus eſt, inquit Iſaias, *quia voluit.* Nota, non eſſe dictum, quod eius Spiritus egreſſus ſit ab eo, eum dereliquerit, & ſe ſeparârit ab illo: ſed contrarium, quòd emiſerit ſpiritum, quòd exſpirârit, quod in manus Patris, commendârit. Vnde S. Athanaſius notat quòd inclinato capite emiſerit ſpiritum, vt oſtenderet conſenſum & propenſionem ſuam in mortem aduenientem: quæ alioquin minimè auſa fuiſſet ad eum approximare. *Et clamans voce magnâ reddidit Spiritum Patri.* Quo facto teſtatus eſt, quòd quemadmodum ſatis ſuperque virium & virtutis habebat ad reſiſtendum morti; ita haberet etiã tantum amoris & charitatis, vt amplius viuere nollet, niſi per ſuam mortem reſuſcitatis ad vitam ijs, qui (niſi moreretur ipſe) nunquam poſſent mortem euitare, neque veram vitam ſperare. Quare mors Saluatoris verum fuit ſacrificium, & non qualecunque, ſed ſacrificium holocauſti, quod ipſemet obtulit Patri, vt noſtra eſſet redemptio. Nam licet pœnæ & dolores eius paſſionis tam magnæ & tam vehementes fuerint, vt ſufficere poſſent ad tollendum quemlibet alium è medio, tamen quòd ad illum attinebat, nunquam fuiſſet mortuus, niſi voluiſſet, & ignis infinitæ ipſius charitatis vi-

Digitized by Google

LIBER VNDECIMVS.

De

SVPREMA AVCTORITATE, QVAM HABET SACER AMOR SVPRA OMNES virtutes, actiones & perfectiones Animæ.

Quam grata ſint omnes virtutes DEO.

CAPVT I.

VIRTVS naturâ ſuâ ita eſt amabilis, vt vbicunque & in quocunque DEVS eam reperiat, non intermittat fauore aliquo honeſtare. Ethnici quamuis diuinæ Maieſtatis inimici, nonnunquam tamen humanas & ciuiles exercebant virtutes: quarum tamen conditio non excedebat vires ingenij rationalis. Tu, Theotime, cogita quàm id exiguum quid fuerit: quamuis enim huiuſmodi virtutes apud eos magnam exterius ſplendoris ſpeciem oſtentarent, re ipſa tamen parui e-

Digitized by Google

rant momenti, ob humilitatem intentionis eorum, qui eas exercebant: quia nimirum non niſi fere propter honorem, vt dicit S. Auguſtinus, vel propter prætenſionem aliquam admodum leuem ijs ſtudebant, v. g. ad conſeruationem ſocietatis ciuilis, aut propter modicam propenſionem, quam habebant ad bonum: quæ cùm magnam non haberet contrarietatem, eos inducebat ad minutas aliquas virtutis actiones, exempli causâ, vt ſe inuicem ſalutarent, amicis ſuccurrerent, ſobriè viuerent; res alienas clàm non tollerent; Dominis fideliter ſeruirent; mercedem ſeruis & operarijs redderent. Et licet id ita eſſet exiguum, & pluribus imperfectionibus omni ex parte permixtum, Deus tamen grato eas animo ab illis miſeris paganis acceptabat, easque abundè compenſabat.

Obſtetrices illæ, quibus Pharao omnes infantes maſculos Iſraëlitarum, cum prodirent in lucem, occidere mandarât, erant procul dubio Ægyptiacæ & paganæ; nam excuſantes ſe, quòd Regis voluntatem non eſſent executæ, dicebant fœminas Hebræas non eſſe ſicut Ægyptiacas, quia callerent artem obſtetricandi, & antequam ad eas venirent, parerent. Quæ excuſatio non fuiſſet ad propoſitum, ſi obſtetrices illæ fuiſſent Hebrææ. Adde non videri credibile Pharaonem rem tam impiam & crudelem mulieribus Hebræis contra Hebræas, eiuſdemque nationis & Religionis commiſiſſe. Adde Joſephū id ipſum teſtari. Quantumuis autem Ægyptiacæ & paganæ fuerint, timuerunt tamen Deum (tali & tantâ crudelitate, qualis erat occidere tantam multitudinem infantium maſculorum) offendere. Et quia earum factum placuit Deo, ijs ædificauit domos, id eſt fœcundas & copioſas in prole effecit, boniſque temporalibus beauit.

Nabuchodonozor Rex Babylonis pugnârat iuſto bello contra ciuitatem, Tyrum dictam, quam diuina iuſtitia volebat caſtigatam: ideò dicit Deus apud Ezechielem, in compenſam illius facti, Ægyptū ſe illi, & exercitui eius in prædam traditurum: quia, inquit idem Deus, pro ME LABORAVIT. Hinc S. Hieronymus in commentario ait: addiſcimus ipſos paganos aliquid boni facientes, Dei iudicio recipere mercedem. Ita Daniel eundem Nabuchodonozorem, Regem alioquin infidelem hortatus eſt, vt peccata ſua eleemoſynis redimeret, id eſt, redimeret pœnas temporales peccatis debitas, quas Deus minatus fuerat. Vide igitur,

de igitur, Theotime, quàm verum ſit DEUM æſtimare virtutes, etiam exercitas per eos, qui cæteroquin mali ſunt. Certè niſi gratam habuiſſet miſericordiam obſtetricum, & iuſtitiam adminiſtratam bello Babylonico, eíne curæ fuiſſet tum obſtetrices, tum Regem mercede aliquâ remunerari? Et ſi ignotum fuiſſet Danieli infidelitatem Nabuchodonozoris impedituram, quò minus DEUS grato animo acceptaret eleemoſynas, quare conſilium elargiendi dediſſet? Apoſtolus certè docet Paganos, qui fidem non habent, facere naturaliter, quod lex iubet. Et quando faciunt, quis dubitabit illos bene facere, & quod faciunt à DEO æſtimari? Pagani cognouerunt matrimonium eſſe bonum, & neceſſarium, ac comprimis conueniens prolem in litteris, & artibus liberalibus in amore Patriæ, in vita ciuili educare, & id, quod cognouerunt bonum, fecerunt. Relinquo autem tibi conſiderandum, an non id in oculis DEI fuerit bonum, ſiquidem eo fine, eaq; intentione lumen rationis & inſtinctum naturalem communicarat.

Cùm ratio naturalis ſit arbor bona, quam DEUS in nobis plantauit, certè fructus ex ea prouenientes non poſſunt non eſſe boni; fructus equidem ſunt, ſed comparati ijs, qui procedunt ex gratia, ſunt perquam exigui pretij, & valoris; ſed non ideò tamen nullius; ſiquidem eos DEUS laudauit, & bonis temporalibus; quin & ſecundum S. Auguſtinum morales Romanorum virtutes magnitudine, ac magnificâ imperij famâ, exiſtimatione & commendatione apud exteras gentes compenſauit.

Peccatum dubio procul ſpiritum reddit infirmum & debilem, ideoque non poteſt facere magnas & excellentes operationes, poteſt tamen paruas & mediocres. Nam omnes infirmorum actiones non ſunt infirmæ: loquuntur enim adhuc infirmi, vident, audiunt, bibunt, &c. Anima in peccatis conſtituta poteſt facere bona, quæ quia ſunt naturalia, naturalibus præmijs compenſantur, ſi ſunt ciuilia eorum remuneratio eſt ciuilis & humana, quia fit per commoditates temporales. Peccator non eſt eiuſdem conditionis, cuius ſunt Dæmones; ipſorum enim voluntas ita inſeparabiliter inhæret malo, vt non poſſit velle aliquod bonum. Non, Theotime, peccator in hoc mundo non ſic eſt, ſed eſt in medio itinere inter Hieruſalem & Hiericho, vulneratus quidem ad mortem, necdum tamen mortuus: dicit enim Euangelium,

Luc.10 v.30. *eum ſemiuiuum relictum,* proinde ſi eſt ſemiuiuus, poteſt etiam actiones facere ſemiuiuas; non poteſt equidem ambulare, neque ſurgere, neque voce formata implorare auxilium, nec conſequenter articulatè loqui, niſi admodum languidè, propter deliquium cordis; ſed poteſt aperire oculos, mouere digitos, ſuſpirare, efferre aliquod verbum per modum lamentationis. Hæ actiones ita erant debiles, vt omnino ei moriendum miſerabiliter in ſuo ſanguine fuiſſet, niſi miſericordiâ mot⁹ Samaritanus *alligaſſet vulnera, infundens oleum & vinum, imponensque illum in jumentum ſuum,* duxiſſet in ſtabulum, & curam eius egiſſet, prouidendo de medicinis, &c.

Naturalis ratio magnopere læſa & ſemieneſta per peccatum, tam male eſt conſtituta, vt nequeat ſeruare omnia mandata. Quod tamen facere, videt admodum rationi eſſe conſonum. Quid ſui ſit officij bene nouit, ſed præſtare non poteſt. Eius oculi plus claritatis habent ad monſtrandum iter, quàm crura virium ad illud ſuſcipiendum & conficiendum.

Peccator poteſt quidem aliqua ex mandatis ſeparatim accepta obſeruare, ſed exiguo tempore; tunc ſcilicet, quando non exurgunt & vrgent obiecta ardua, in quibus exercendæ ſunt virtutes præceptæ mandato; vel quando non inſtat tentatio vrgens ad committendum peccatum aliquod lege prohibitum. Vt autem peccator viuat longo tempore in peccato, & illi noua non adijciat, id verè fieri non poteſt ſine ſpeciali Dei protectione. Inimici enim hominis ardent odio contra hominem, tumultuantur, & id vnum perpetuò agunt, vt eum præcipitent: quando autem non vident euenire occaſionem exercendi virtutes lege præſcriptas, ſexcentas exſuſcitant tentationes, vt nos cadere faciant in res prohibitas: & tunc natura ſpoliata dono gratiæ non poteſt ſe ſatis tueri à præcipitio; nam ſi vincimus, Deus eſt qui nobis dat victoriam per Iesum Chriſtum ſicut dicit S. Paulus: *Vigilate & orate, ne intretis tentationem.* Si Deus ſolùm diceret, *vigilate,* putaremus nos poſſe per nos ipſos ſatis facere, ſed quando adiungit, *orate,* oſtendit, niſi ipſe cuſtodiat animas noſtras tempore tentationis, fruſtrà vigilare eos, qui illas cuſtodiunt.

Ab amore

Ab amore ſacro reddi virtutes longè gratiores DEO, quàm ſint propriâ naturâ.

CAPVT II.

Rerum ruſticarum periti recentem innocentiam & puritatem fragorum admirantur: eò quòd, quamuis repant ſuper terram, & continuè à ſerpentibus, lacertis, & beſtijs alijs venenoſis conculcentur, nullam tamen ab ijs veneni impreſſionem recipiunt, nec malignitatem vllam contrahunt. Quod ſignum eſt, ea nullam habere affinitatem cum veneno. Tales, Theotime, ſunt virtutes humanæ, quæ licet ſint in humili corde terreſtri, & magnopere obnoxio peccato, nullo tamen modo malitiâ illius inficiuntur, cùm ſint naturâ & innocentiâ ita liberæ, vt nequeant corrumpi ſocietate iniquitatis, etiam iuxta dictum ipſiuſmet Ariſtotelis: qui ait: *virtutem eſſe habitum, quo nemo abuti poſſit.*

Quod ſi virtutes in ſeipſis bonæ exiſtentes, non compenſentur æternâ mercede, dum per infideles, & eos, qui in peccatis ſunt, exercentur, nemo mirari debet: ſiquidem cor, ex quo procedunt, mortali peccato inquinatum non eſt capax vitæ æternæ, poſtquam ſe auertit à DEO, & conuertit ad creaturas. Adde quòd hæreditatem cæleſtem, quæ eſt filij DEI, nemo adeat niſi ſit in Chriſto, eiuſque frater adoptiuus: taceo quòd promiſsio *vitæ æternæ* facta à DEO ſolùm reſpiciat eos, qui in eius ſunt gratia, & quòd virtutes peccatorum non habent dignitatem, neq; valorem alium, quàm qui prouenit ex natura earum virtutum, qui & conſequenter non poteſt eas eleuare ad meritum præmiorum ſupernaturalium; quæ & ea ipſa de cauſa vocantur ſupernaturalia, quia neque natura, neque quid ab ea dependens, poteſt ea conferre, aut mereri.

Verùm virtutes, quæ commorantur in amicis DEI, quamuis non ſint niſi morales & naturales ex propria ſua conditione, ſunt tamen nobilitatæ & exaltatæ ad ſancta opera, ratione excellentię cordis, quod eas producit. Vna eſt è proprietatibus amicitiæ, quòd gratum efficiat amicum, ſicut & omne id, quod in eo bonum & honeſtum eſt: amicitia

Digitized by Google

ſpargit ſuam gratiam & fauorem ſuper omnes actiones eius, qui amatur, ſi tamen ſint idoneæ ad eam recipiendam. Acerbitates amicorum ſunt dulcedines; dulcedines autem inimicorum ſunt acerbitates; omnia opera cordis, Deo intimè adhærentis, Deo ipſi ſunt dedicata. nam cor, quod ſe ipſum dedit, quomodo omnia, quæ à ſe dependent, ſimul nō dederit? certè qui dat arborē ſine exceptione, etiā dat folia, flores & fruct⁹: *Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini, florebit in atriis domus Dei noſtri.* Quandoquidem iuſtus plantatus eſt in domo Dei, eius folia, flores & fructus ibidem creſcunt, & ſunt conſecrata ſeruitio eius maieſtatis: *& tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo, ſed nec ipſius folia defluent, ſed omnia quæcunq; faciet, proſperabuntur.* Non ſolùm autem fructus charitatis & flores operum, quæ facit, ſed etiam folia ipſa virtutum moralium & naturalium trahunt ſpecialem quandam proſperitatem amoris cordis, quod illas producit. Si inſeras roſetum ſeu roſatium, & in fiſſura caulium, thyrſorum, ſeu quod idem eſt, ſcaporum imponas granum muſci, omnes roſæ inde prouenientes, referent odorem muſci. Finde igitur cor tuum per ſanctam pœnitentiam, & in fiſſura illius pone Dei amorem; deinde inſere in eo virtutem talem, qualem vis habere, & opera, quæ inde prouenient, admirandum ſanctitatis odorem ex ſe, nullo aliunde adſcito, producent.

Pſal. 1.

Spartani pulchram aliquam ſententiam prolatam ex ore hominis mali, non exiſtimârunt recipiendam eſſe, niſi prius iterum pronunciaretur ore Viri boni. Vt igitur digna receptione haberetur, nihil aliud requirebant quàm vt iterum ore hominis virtutum ſtudioſi pronunciaretur. Si velis virtutem humanam & moralem, Epicteti, v. g. Socratis, aut Demadis efficere ſanctam, fac ſolummodo vt exerceatur per hominem verè Chriſtianum, id eſt qui habeat Dei amorem. Ita Deus reſpexit primo probum Abel, & deinde munera eius; ita vt munera ſuam dignitatem & gratiam ante oculos Dei ex bonitate & pietate illius, qui offerebat, acceperint. O ſumma magni Dei noſtri bonitas! quæ vſqueadeò amat, & fouet ſuos amatores, vt etiam minimas eorum actiones charas habeat (eſto parum in ſe contineant bonitatis) excellenterque eas nobilitet, tribuendo illis titulum & nomen Sanctarum. Hem! facit id intuitu dilecti filij ſui, ob quem vult adoptiuos honorare, ſanctificans

Gen. 4. v. 4.

quicquid

quicquid in eis boni eſt, oſſa, crines, veſtes, ſepulchra, quin & vmbram corporum, fidem, ſpem, amorem, Religionem, imò & ſobrietatem, humanitatem, & affabilitatem cordium. *Itaq; fratres mei dilecti,* 1.Cor.
dicit Apoſtolus: *ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper.* 15. v. 58.
Nota, Theotime, omne opus virtute conditum æſtimari opus Dei; etiam tunc quando exercetur per infidelem: nam diuina bonitas dicit Ezechieli, quòd Nabuchodonozor & eius exercitus pro ſe laborauit, quando legitimum & iuſtum bellum geſſerunt contra Tyrios; ſatis per hoc oſtendens iuſtitiam iniuſtorum eſſe ſuam, atque ad ſe pertinere; licet iniuſti, qui eius faciunt iuſtitiam, non ſint illius, ad eum non tendant, multò minus ad eum pertineant. Nam ſicut magnus Propheta & princeps Job, quamuis oriundus fuerit ex Paganiſmo, & habitârit in terra Hus, non ideò non pertinebat ad Deum; ita virtutes morales, quamuis proueniant ex corde grauibus peccatis inquinato, non rectè ex hoc inferes eas ad Deum non pertinere. Verùm quando hæ ipſæ virtutes reperiuntur in corde verè Chriſtiano, id eſt dotato ſancto amore; tunc non ſolum ſpectant ad Deum, nec inutiles ſunt Domino, ſed ferunt fructum, & pretioſæ ſunt ante oculos eius bonitatis. Tribue homini cuipiam charitatem, dicit S. Auguſtinus, & omnia proſunt; tolle ab eodem charitatem, & reliqua nihil proſunt. *Et eis, qui amant DEVM, omnia cooperantur in bonum,* inquit Apoſtolus. Serm. 50. de verbis Dñi.

Eſſe virtutes aliquas, quas præſentia diuini amoris extollit ad altiorem dignitatis gradum, quàm alias.

Capvt III.

SVnt nonnullæ virtutes, quæ ratione naturalis confœderationis & mutui reſpectûs cum charitate, longè magis ſunt capaces ad recipiendam pretioſam amoris ſacri influentiam, & conſequenter, communicationem excellentioris valoris, quàm aliæ. Tales autem ſunt fides, & ſpes, quæ vnà cum charitate immediatè reſpiciunt Deum;

Deum; tales item Religio, pœnitentia & deuotio, quæ ſe totas quantas impendunt honori diuinæ maieſtatis augendo. Eæ enim virtutes ex propria conditione habent ita magnum reſpectum ad Deum, & ita auidè recipiunt impreſſiones cæleſtis amoris, vt ad participandam ſanctitatem illius, nihil aliud requiratur, quam vt illi amori, ſeu, quod idem eſt, cordi Deum amanti, ſint coniunctæ. Sic ad ſaporem oliuarum communicandum vuis, ſolum vites plantandæ ſunt inter oliuas: nam nullo inter eas interueniente contactu, plantæ iſtæ per ſolam vicinitatem ineunt reciprocum commercium, & ſuos inuicem fauores communicant ac proprietates; tàm illæ magnam propenſionem, tamq; arctam inter ſe conuenientiam habent!

Flores certè omnes, exceptis arboris, nuncupatæ triſtis, & nonnullis alijs naturâ monſtroſis; omnes dico, viſo ſole per calorem vitalem, quem ex eius radijs recipiunt, lætantur, ſe expandunt, & veluti decorem induunt: at veró omnes flaui flores, & præſertim ille, quem nos, ſecuti Græcos, appellamus heliotropium, non ſolùm lætantur, ſibique applaudunt ad ſolis præſentiam, ſed etiam per amabilem circuitum, attractus radiorum ſequuntur, reſpiciunt, & verſus illum ab ortu vſq; ad occaſum, velut ſupplices ſe vertunt. Sic omnes virtutes nouum recipiunt decus, excellentemque dignitatem per ſacri amoris præſentiam; ſed fides, ſpes, timor Dei, pietas, pœnitentia, & omnes aliæ virtutes, quæ ex ſeipſis ſpecialiter tendunt ad Deum, & ad eius honorem, non ſolùm recipiunt impreſſionem diuini amoris, per quam eleuantur ad magnam æſtimationem, ſed omnino inclinant ſe verſus illum, ſeſe aſſociantes, illum ſequentes & obſeruantes omni occaſione. Nam tandem, chare Theotime, verbum diuinum certam quandam vim & proprietatem ſaluandi, ſanctificandi, & glorificandi, fidei, ſpei, pietati, Dei timori, & pœnitentiæ attribuit, apertè teſtificans virtutes iſtas magni eſſe valoris, & ſi exerceantur in corde habente Dei amorem, effici longè fructuoſiores & ſanctiores, quàm ſint aliæ, quæ ex ſua natura, non habent tantam conuenientiam cum ſacro amore. Et is, qui clamat:
1.Cor *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſũ:*
ep. 13. oſtendit profectò, quòd cum charitate fides plurimùm poſſit. Chari-
v. .. tas igitur eſt virtus, quæ nullam ſibi habet ſimilem; quæ non ſolùm illuſtrat cor, in quo ſedem habet, ſed etiam benedicit & ſanctificat omnes

alias

Digitized by Google

alias virtutes, quas in eo deprehendit, eas ſuâ præſentiâ velut balſamo, & odore cæleſti condit, ſuoque interuentu gratiſsimas reddit oculis Dei. Iſtum tamen effectum longè excellentiorem producit in fide, in ſpe, & in ijs virtutibus, quæ ex ſe ipſis naturalem propenſionem habent ad pietatem, quàm in alijs. Quapropter, Theotime, inter omnes actiones, virtutis æmulas & ſtudioſas, comprimis diligenter exercere oportet eas, quæ ſpectant ad Religionem & cultum diuinum, quem debemus rebus diuinis; eas etiam, quæ ad Dei timorem, fidem & ſpem pertinent; ſæpe loquendo de rebus cæleſtibus, cogitando & aſpirando ad æternitatem, frequentando Eccleſias & loca, in quibus Deo grata præſtantur obſequia, legendo item libros pios, obſeruandoque cæremonias Religionis Chriſtianæ. Nam ſanctus amor his pijs actionibus ad votum inter talia exercitia, velut inter lilia, ſe paſcit, & abundantius effundit ſuper ea ſuas gratias & proprietates, quàm ſuper actiones virtutum ſimpliciter humanarum: ad eum ferè modum, quo iris, ſeu arcus cæleſtis efficit odoriferas omnes plantas, ſuper quas cadit, ſed magis ſine comparatione aſpalathum, ſeu lignum Rhodium, vt vocatur in officinis.

A diuino amore magis adhuc, & excellentius ſanctificari virtutes, quando ea modo ab eo præſcripto exercentur.

CAPVT IV.

PVlchra Rachel, poſtquam magnopere deſiderârat habere prolem ex ſuo marito Iacobo Patriarcha; duobus modis effecta eſt fertilis. Vnde etiam filios habuit in duplici differentia; nam in principio ſui matrimonij, non potens habere proles è proprio ſuo corpore, ſubſtituit, & velut mutuum dedit corpus ſuæ ancillæ, quæ dicebatur Bala, quam in ſuam ſocietatem, ad exercendam functionem ſui matrimonij traxit; dicens marito ſuo: *Habeo famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeã ex illa filios*, & exinde dedit illi Balam in coniu- Gen.3 3.

Google

gem; & certè euenit iuxta eius votum. Nam Bala concepit & peperit plures filios ſuper genua Rachel, quos recipiebat verè vt proprios, quia procreati erant ex duobus corporibus, quorum Jacobi ad eam pertinebat lege matrimonij, Balæ autem ratione obligationis ſeruitij & debiti. Adde, quòd inſuper filiorum generatio facta erat ex eius diſpoſitione, & voluntate. Habuit deinde duos filios, non iam ex mandato & ordinatione per illam facta, ſed ipſamet concepit & procreauit ex proprio corpore, Joſeph ſcilicet, & charum Beniamin.

Nunc dico, chare Theotime, charitatem & dilectionem ſacram, menti humanæ maritatam, continuè optandâ, producere ſanctas operationes, centies eſſe pulcheriorem Rachele. Quod ſi principiò non pariat ex ſe ipſa, & ex proprio genere, auxilio vnionis ſacræ, quæ illi vnicè eſt propria, aduocat alias virtutes vt fideles famulas, eaſque conſortes ſui facit matrimonij, & demandat cordi, vt illas adhibeat, quatenus ex ipſis producat ſanctas operationes, operationes dico, quas illa ſibi adoptat & æſtimat vt proprias, eò quòd ſint productæ eius ordinatione & mandato, ſicut & ex corde ad illam ſpectante: quia, vti diximus alibi, amor eſt dominus cordis, & conſequenter omnium operum aliarum virtutum ſuo conceſſu factorum. Sed præter hos actus diuina dilectio duos alios ex ſe ipſa ortos propriè habet: quorum alter eſt amor actiuus ſeu effectiuus, qui velut alter Joſeph ex plenitudine auctoritatis Regalis, vniuerſum populum noſtrarum facultatum, potentiarũ, paſſionum, & affectionum voluntati Dei ſubijcit & ſubmittit, vt ea ametur, ei obediatur & ſeruiatur abſque vlla contradictione & exceptione, hoc
Deut. 6 modo mandans executioni magnum cæleſte mandatum: *Diliges Dominum*
5. *Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua;* alter eſt amor affectiuus ſeu affectuoſus, qui velut paruus Beniamin, multùm eſt delicatus, tener, gratus, amandus: ſed in hoc felicior eſt, quàm Beniamin, quòd charitas, eius mater, non moriatur illum pariendo, ſed, vt videtur, accipit nouam vitam per ſuauitatem, quam redolet.

Sic igitur, Theotime, actiones virtutum ſtudioſæ, quæ ſunt filiorum Dei, pertinent omnes ad ſacram dilectionem: aliquæ, quia illa ipſa producit eas propriâ ſuâ naturâ; aliæ, quia ſanctificat eas per vitalem ſuam præſentiam; aliæ denique per auctoritatem & mandatum, quibus vtitur ſuper alias virtutes, ex quibus eas naſci facit. Et hæ quidem, ſicut

in veritate

Digitized by Google

in veritate non ſunt ita eminentes in dignitate, vt ſunt actus & actiones, quæ propriè & immediatè profluunt ex dilectione; ita excellunt incomparabiliter actiones,quæ omnem ſuam ſanctitatem habent ex ſola præſentia & ſocietate charitatis.

Pone tibi ob oculos excellentem quempiam Generalem Ducem totius alicuius exercitûs, qui obtinuerit victoriam in aliqua inſigni pugna: is,dubio procul habebit honorem vniuerſæ victoriæ, & non abſq; ratione: quia pugnauerit ipſemet in capite exercitûs, edens complures & eximios armorum actus; præterea diſpoſuerit exercitum, ordinarit acies ad pugnandum; mandârit denique omnia, quæ in illo prælio geſta ſunt. Vnde æſtimatur ille omnia feciſſe, vel per ſe ipſum, pugnando proprijs manibus, vel per ſuam directionem alijs mandando. Quodſi etiam amicæ aliquæ copiæ ex improuiſo ſuperuenerint, & pugnaturæ iunxerint ſe exercitui, quicquid præclarè geſſerint, Generali huic Duci tribuetur. Et hoc quia, eſto ijs non imperârit, tamen iuxta eius intentionem & voluntatem pugnârunt. Deinde tamen, vbi vniuerſim & generatim Duci illi victoriæ gloria tributa eſt, ſingulis in ſpecie partibus exercitus ſua laus adſcribitur, dicendo, prima acies præclarè aggreſſa hoſtem, eius fregit ordinem; agmen & robur ipſius exercitûs eam ſequens fecit admirandam ſtragem; ſed & tertiarij non ſiuerunt ſuam deſiderari ſtrenuitatem. Refertur etiam qualiter Galli, Itali, Germani, Hiſpani rem geſſerint, quin imò, qui facta aliqua ſingularia in prælio ediderunt in particulari laudantur; ita inter omnes virtutes, mi chare Theotime, gloria noſtræ ſalutis, & victoria de inferno obtenta defertur diuino amori; qui velut princeps & dux generalis totius exercitûs virtutum, ea edit facinora, per quæ nos & victoriam, & triumphum obtinemus. Amor enim ſacer ſuas habet proprias actiones, quæ ex eo immediatè procedunt ac profluunt; per quas is hoſti admirandas infert clades: præterea diſponit, imperat & ordinat actiones aliarum virtutum, quæ ea de cauſa nominantur actus imperati vel ordinati ab amore Quod ſi tandem aliquæ virtutes, producunt operationes ſine eius mandato, dum eius intentionem ſequuntur, qui eſt honor D E I, non diffitetur, imò candidè fatetur eſſe ſuas. Tamen licet generatim loquendo, dicamus, imitati Apoſtolum quod *charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet,* & verbo, quod omnia facit: nihilominus non

Digitized by Google

intermittimus attribuere in particulari laudem ſalutis Beatorum alijs virtutibus, iuxta quod quælibet earum excelluit. Dicimus enim, quòd fides aliquos ſaluârit, eleemoſyna etiam alios, temperantia, oratio, humilitas, ſpes, caſtitas alios: eò quod actiones iſtarum virtutum maximè floruerint in his & illis Sanctis. Semper tamen reciprocè: poſtquam enim data laus eſt virtutibus his particularibus, earum omnis honos referendus eſt in ſacrum amorem, qui omnibus, quam habent ſanctitatem, dedit. Quid enim aliud dicere vult glorioſus Apoſtolus inculcans, quòd charitas ſit benigna, patiens, quòd omnia credat, omnia ſperet, omnia ſufferat, quàm quòd charitas ordinet, & imperet patientiæ vt patienter agat, ſpei vt ſperanda ſperet, & fidei, vt credenda credat, &c? Verum eſt, Theotime, quòd præter hoc, indicet inſuper amorem eſſe animam, & vitam cæterarum virtutum; quaſi vellet dicere; patientiam non eſſe ſatis patientem, fidem non ſatis fidelem, ſpem non ſatis confidentem, benignitatem non ſatis mitem, niſi amor eas animet, & viuificet. Et hoc ipſum qui ſupra docet Apoſtolus, quando dicit ſine charitate, nihil alia omnia prodeſſe, imò nihil ſe eſſe; eſt enim idem, ac ſi diceret, ſine amore non ſum patiens, non ſum benignus, non ſum conſtans, non ſum fidelis, non ſpero, vti conuenit, vt dicar, et ſim ſincerus & fidelis Dei ſeruus: quod verum & vnicum eſt, quod ſummo deſiderio deſiderare debet omnis homo.

Quomodo ſacer amor miſcet ſuam dignitatem inter alias virtutes, eas in particulari perficiens.

Caput V.

VIdi, inquit Plinius, Tiburi, arborem omnibus modis, quibus inſeri poſſunt in caules ſeu ſcapos ſurculi, inſitam: quæ omnis generis fructus ferebat; nam vno in ramo inueniebantur ceraſa, in alio nuces, in alijs vuæ, ficus, mala granata, poma communia, & generaliter omnes propè, fructuum ſpecies. Hoc, Theotime, erat admirabile, ſed longè adhuc magis admirabile eſt, videre in vno homine Chriſtiano di-

uinam

Digitized by Google

uinam dilectionem, cui omnes omnino virtutes ſunt inſitæ, ita vt, quemadmodum dici poterat de arbore illa, quod erat ceraſus, pomus, nux, malus punica; ita dici poſsit de charitate, quòd ſit patiens, ſuauis, ſtrenua, iuſta, vel potius, quod ſit ipſa patientia, ſuauitas, & ipſamet iuſtitia.

Verùm fragilis illa arbor Tiburtina diu non durauit, vt ipſemet Plinius teſtatur: nam varietas illa productionum tot diuerſorum fructuum ſtatim radicitus eam arefecit & exſiccauit, vt eam perire fuerit neceſſe; cùm è contrario dilectio ſe roboret, & vigorem hauriat ad magnam fructuum multitudinem, varietatemque in exercitio omnium virtutum producendam. Imò, vt notarunt SS. Patres, eſt inſatiabilis in affectu, quem habet ad fructus ferendos: quo fit, vt nunquam non cor in quo reperitur, premat, vti Rachel ſuum premebat maritum, dicens ei: *da mihi liberos, alióquin moriar.*

Fructus autem arborum inſitarum ſemper ſunt ſimiles calamo, ſeu ſurculo; ſi is ſit ex pomo, producet poma, ſi ſit ex ceraſo, ceraſa procreabit; ſic tamen vt fructus illi ſemper retineant ſaporem ipſius trunci. Eodem modo, Theotime, actus noſtri, nomen & ſpeciem ſuam accipiunt ex virtutibus particularibus, ex quibus profluxerunt; ſed charitas eſt radix & origo totius Sanctitatis in homine. Et quemadmodum truncus ſaporem ſuum communicat omnibus fructibus, quos calami producunt, ita tamen, vt quilibet fructus retineat proprietatem naturalem calami, ex quo proceſſit: ita charitas communicat ſuam excellentiam & dignitatem actionibus aliarum virtutum, vt nihilominus ſinat vnamquamque illarum retinere valorem, & bonitatem particularem, quam habet ex ſua conditione naturali.

Omnes flores perdunt vſum ſui decoris & gratiæ inter nocturnas tenebras, ſed mane ſol reddit eoſdem flores viſibiles & gratos oculis, non æqualem tamen efficit eorum pulchritudinem & gratiam; ſicut nec eius claritas expanſa æqualiter ſuper omnes, eos æqualiter facit claros & lucidos ac ſplendentes, ſed iuxta quod plus vel minus apti ſunt ad ſuſcipiendos effectus illius ſplendoris. Et lumen ſolis, licet æqualiter luceat ſuper violam & roſam, non ideò tamen vnquam æquabit pulchritudinem illius cum pulchritudine huius, ſicut nec decus & gratiam margaritæ gratiæ lilij; tamen ſi lumen ſolis valde clarè luceret ſuper vio-

lam, & admodum obſcurè, & per nebulas ſuper roſam, tunc ſine dubio lumen illud gratiorem redderet oculis violam, quàm roſam; ita, mi Theotime, ſi æquali cum charitate vnus quiſpiam ſubit mortem martyrij, & alter patitur famem ex ieiunio: quis non videt valorem ieiunij, non æquaturum pretium martyrij? Non, Theotime, non: quis enim præſumeret dicere martyrium in ſe ipſo non eſſe excellentius ieiunio? Quodſi eſt excellentius, charitas ſuperueniens, nec tollens illi excellentiam, quam habet, ſed perficiens, conſequenter relinquet illi prærogatiuas, quas habebat naturaliter ſupra jeiunium. Profectò nemo ſapiens coæquabit caſtitatem nuptialem Virginitati, neque bonum vſum diuitiarum perfectæ abnegationi illarum. Quis etiam audebit dicere, quód charitas ſuperueniens his virtutibus, ijs tollat ſuas proprietates & priuilegia: ſiquidem illa non eſt virtus, quæ deſtruat, vel paupertatem inducat, ſed quæ benefaciat, viuificet, & ditet omne id, quod inuenit in animabus, quas illa gubernat? Tantum autem abeſt vt amor cæleſtis tollat à virtutibus præeminentias & dignitatum prærogatiuas, quas habent naturaliter, vt contrá, vnà ex eius proprietatibus ſit illuſtrare & perficere, quas inuenit in ijs perfectiones; & quidem eâ proportione, vt quas inuenit maiores perfectiones, eaſdem etiam magis perficiat: ſicut ſaccharum in condituris, ſeu condimentis conficiendis, omnes quidem fructus condit ſuâ dulcedine, ſed ita, vt inæquales ſint in ſapore & ſuauitate, prout naturâ ſuâ ſunt inæqualiter ſapidi: neque enim vnquam mala perſica, neque nuces ita efficit ſuaues & gratas, atq; mala Armenica & Myrobolana, vt vocant Apothecarij.

Verum tamen eſt, quodſi dilectio ſit ardens, potens & excellens in aliquo corde, ditabit & perficiet magis omnia opera virtutum, quæ inde procedunt. Tolerari poteſt mors & ignis propter Deum, abſente etiam charitate, ſicut præſupponit S. Paulus, & hoc ipſum alibi declaraui; à fortiori autem eadem tolerari poſſunt cum exigua valde charitate. Dico autem, Theotime, fieri poſſe, vt perexigua virtus habeat plus valoris in anima aliqua, in qua ſacer amor feruenter regnat, quàm martyrium ipſum in vna alia anima, quam inhabitat amor languens, debilis & lentus. Ita minutiores virtutes B Virginis & S. Ioannis, aliorumque magnorum ſanctorum majoris pretij & æſtimationis erant in oculis Dei,

quàm

quàm illuſtriſſimæ plurium ſanctorum inferioris gradûs : ſicut multæ, exiguæ quidem, ſed amoroſę ſuſpirationes Seraphinorum majori amore inflammatæ, quàm maximè ſublimes Angelorum vltimi ordinis. Sicut cantus Philomelarum, adhuc addiſcentium magis ſine comparatione eſt harmonicus, quam carduelis optimè inſtructi.

Pireicus vltimis vitæ ſuæ annis non pingebat niſi in paruo volumine, & res exigui momenti, vt officinas Barbitonſorum, ſutorum, paruos aſinos, herbis & ſimilibus quiſquilijs oneratos: quod faciebat, teſte Plinio, vt magnam ſui nominis celebritatem ſopiret. Vnde in fine vocabatur pictor infimi pretij: & nihilominus magnitudo eius artis ita illuſtris apparebat in leuioris armaturæ operibus, vt diſtraherentur, & venderentur magis, quàm magna aliorum pictorum opera. Ita, Theotime, paruæ ſimplicitates, abiectiones & humiliationes, in quibus magni ſancti ſibi complacuerunt, ad latitandum, & abdendum ſe toto corde contra vanam gloriam, cùm factæ fuerint magna cum excellentia artis, & ardore amore cæleſtis, pluris fuerunt ante oculos Dei, quàm magna, & illuſtria opera plurium aliorum, quæ facta fuerunt exigua cum charitate & deuotione. Sacra ſponſa vulnerat ſuum ſponſum *Vno crinium colli ſui*, quos ille tanti facit, vt eos comparet gregibus caprarum Galaad: Cant. 4 v. 10. & vix laudauit oculos deuotæ amantis, qui ſunt partes totius vultûs nobiliores, cùm ecce ſtatim laudat cæſariem, quæ eſt maximè fragilis, vilis & abiecta, vt cognoſceretur, quod in vna quapiam anima capta diuino amore, exercitia, quæ videntur vilia, maximè nihilominus ſint grata diuinæ eius maieſtati.

De excellentia valoris ſeu pretij, quod ſacer amor tribuit actionibus, quæ ex ipſomet amore procedunt, & ijs, quæ ab virtutibus alijs profluunt.

Capvt VI.

DIces Theotime, quale, obſecro eſt pretium illud, quod ſanctus amor noſtris communicat actionibus? Verè Theotime non fiderem id dicere, niſi ipſemet Spiritus ſanctus expreſſis terminis per ſanctum Apoſtolum Paulum declaraſſet. Sic autem ait: 2. Cor.
Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum 4. v. 17.

modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Amabò, hæc perpendamus verba: *Tribulationes noſtræ,* quæ ita ſunt leues, vt momento vno tranſeant; *operantur in nobis* ſolidum & ſtabile *pondus gloriæ*: vide obſecro quàm mira dicat! tribulatio producit gloriam, leuitas exhibet pondus, & momenta operantur æternitatem. At quid eſt, quod poteſt momentis iſtis tranſeuntibus, & leuibus tribulationibus tantam virtutem tribuere? Coccus & purpura, vel coccinum violaceum eſt pannus comprimis pretioſus & regalis; at valor illius & excellentia non prouenit ex lana, ſed ex tinctura. Eodem modo opera proborum Chriſtianorum tanti ſunt valoris, vt pro illo detur illis cælum. Verùm, Theotime, non eſt hoc ex eo, quòd procedant ex nobis, ſicut lana noſtrorum cordium, ſed quia tincta ſunt ſanguine filij DEI; volo dicere: quia hoc habent ex eo, qnod Saluator ea ſanctificet per meritum ſui ſanguinis. Sarmentum vnitum & iunctum trunco vitis fert fructum, non ex propria virtute, ſed ex virtute ſtirpis. Cæterùm, nos per charitatem vniti ſumus noſtro Redemptori, vt membra capiti, ideó fructus noſtri & operationes bonę trahentes ſuum valorem ex illo, merentur vitam æternam. Virga Aaron erat ſicca, proinde incapax ad ferendum fructum ex ſe ipſa, ſed ubi in ea exſculptum fuit nomen ſummi Sacerdotis, intra noctem vnam protruſit folia, flores & fructus ſuos; ſicci ſumus nos ex nobis, inutiles, infructuoſi, *qui non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed noſtra ſufficientia ex DEO eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.* Et ideò ſtatim atque per ſanctum amorem nomen Saluatoris, magni Epiſcopi animarum noſtrarum, inſculptum eſt in cordibus noſtris, incipimus ferre delicioſos fructus pro vita æterna Et quemadmodum grana, quæ non producerent ex ſe ipſis aliud, quám melones inſulſos, producunt ſacchari & moſchi ſaporem & guſtum referentes, ſi ſint condita in aqua ſaccharo & moſcho conſperſa; ita corda noſtra, quæ nec vnicam quidem bonam cogitationem pro DEI ſeruitio valerent producere, imbuta ſacrâ dilectione per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis, producunt ſacras actiones, quæ tendunt, & nos ſecum deferunt ad immortalem gloriam. Opera noſtra, quæ ex nobis procedunt, non ſunt niſi viles arundines: verùm arundines vitæ fiunt aureæ per charitatem, & per eas menſuratur cæleſtis Hieruſalem, quæ nobis etiam datur ſecundum illam menſuram. Nam tam hominibus, quàm Angelis

gelis gloria ſecundum charitatem, eiuſque actiones diſtribuitur; ita vt menſura Angeli, ſit etiam menſura hominis; & Deus reddit, & reddet vnicuique ſecundum opera, vti vniuerſa Scriptura diuina docet, quæ nobis aſsignat felicitatem & æternam cæli lætitiam pro compenſa laborum, & bonarum actionum, quas in terra exercuerimus.

Compenſa profectò magnifica, & quæ teſtimonium reddit magnitudini munificentiæ & excellentiæ Domini, cui ſeruimus; qui in veritate, Theotime, poterat, ſi ei placuiſſet, iuſtiſsime à nobis exigere obedientiam & ſeruitutem, nullo nobis propoſito præmio & mercede, tum quia eius ſumus innumeris, legitimiſque titulis; tum etiam quia nihil poſſumus facere, quod alicuius ſit momenti, niſi in illo, per illum, propter illum, & quod non ſit ex illo. Illius tamen bonitas non ſic diſpoſuit, ſed propter filium ſuum Saluatorem noſtrum, egit & tractauit nobiſcum de præmio & mercede noſtrorum laborum, nos conducens, & ſuo ſe aduerſum nos promiſſo obligans & oppignorans, quòd nobis iuxta noſtra opera velit dare mercedem, quæ eſt vita æterna. Et hoc non ex eo, quòd noſtrum ei ſeruitium ſit neceſſarium aut vtile, quia poſtquam omnia fecerimus, quæ nobis mandauit, fateri debemus humillima veritate, vel veriſsima humilitate nos re ipſa eſſe ſeruos inutiles, & infructuoſos noſtro Domino. Qui ob ſuam eſſentialem ſuperabundantiam bonorum omnium, nequit ex nobis commodum aliquod capere: ſed conuertens omnes noſtras operationes ad proprium noſtrum profectum & emolumentum, facit vt ſibi & pro ſe inutiliter ſeruiamus illi, nobis autem vtiliſſimè laboremus: quippe qui per opera admodum exigua lucramur maxima præmia.

Non erat igitur obligatus ad ſoluendum nobis ſeruitium, quod illi exhibemus, niſi promiſiſſet; non ideo tamen cogites Theotime, quòd in eo promiſſo ita voluerit manifeſtare ſuam bonitatem, vt oblitus fuerit glorificare ſuam ſapientiam; æqualitatis ſiquidem exactè ſeruauit regulas, miſcens admirabiliter decorum & decentiam cum liberalitate. Nam opera noſtra verè ſunt minima, & nullo modo in quantitate comparanda gloriæ, ſed illi ſunt nihilominus valde proportionata in qualitate, & hoc propter Spiritum ſanctum, qui habitans in cordibus noſtris per charitatem, facit illa opera in nobis, per nos, & pro nobis arte tam exquiſitâ, vt eadem opera tota quidem ſint noſtra; ſed dicam

Vuu melius,

Digitized by Google

melius, tota illius: eò quòd, ſicut ille producit in nobis opera, nos eadem reciprocè in illo producamus; ſicut ea facit pro nobis, ſic nos facimus pro illo, & ſicut ille operatur nobiſcum, ita etiam nos operamur cum illo.

Porrò Spiritus Sanctus habitat in nobis, ſi ſimus viua membra Chriſti Domini: qui propter hoc dicebat ſuis diſcipulis: *qui in me manet, & ego in illo, hic fert fructum multum.* Et hinc eſt, Theotime, quòd qui manet in illo, operatur iuxta diuinum eius Spiritum, qui eſt in medio cordis humani, ſicut viua ſcaturigo, quæ iacit & eiaculatur aquas vſque in vitam æternam. Ita oleum benedictionis fuſum ſuper Saluatorem, vt ſuper caput Eccleſiæ tam militantis, quàm triumphantis, ſe diffundit & diſpergit ſuper ſocietatem beatorum, qui adinſtar ſacræ diuini Saluatoris barbæ, ſemper ſunt affixi glorioſæ eius faciei; diſtillat etiam ſuper ſocietatem fidelium, qui, velut veſtimenta corpori ſunt iuncti & vniti per dilectionem diuinæ maieſtati. Vtraque hæc congregatio, ſeu ſocietas velut compoſita ex fratribus germanis, habens hac occaſione argumentum & motiuum exclamandi, non negligit illam, ſed clamat: *O quàm bonum, & iucundum habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, vſq; ad oram veſtimenti eius!

Ita igitur opera noſtra, inſtar paruuli grani ſinapis, nullo modo comparari poſſunt in magnitudine cum arbore gloriæ, quàm producunt; ſed tamen habent vigorem & virtutem operandi, eò quòd procedant à Spiritu Sancto, qui per admirandam infuſionem ſuæ gratiæ in corda noſtra, opera noſtra efficit ſua, ſimulq; relinquit adæquatè noſtra, eò quòd ſimus membra capitis, cuius ille eſt ſpiritus, & inſiti in arbore, cuius ille diuinus eſt humor. Et quia hoc modo facit in nobis opera, & quia nos etiam noſtro modo operamur, vel cooperamur eius actioni, relinquit nobis pro parte noſtra totum meritum, & præmium noſtrorum ſeruitiorum, & bonorum operum; nos autem ei etiam permittimus omnem honorem & laudem, fatentes principium, progreſſum, & finem totius boni, quod facimus, dependere ab eius miſericordia, per quam venit ad nos, & præuenit nos: venit in nos, & nobis aſsiſtit, venit nobiſcum, & nos dirigit, perficiens id, quod cæpit. O, Theotime, quanta miſericordia bonitatis diuinæ reſplendet in iſta partitione nobiſcum facta! nos ei damus gloriam noſtrarũ laudum, & ille nos efficit

compotes

Digitized by Google

compotes gloriæ ſuæ. Paucis: per leues & tranſeuntes labores acquirimus bona in omnem æternitatem duratura, Amen.

Nullas perfectarum virtutum vnquam eſſe ſine alijs.

Caput VII.

Dicitur prima hominis pars eſſe cor, quod per vnionem animæ incipit viuere; oculi autem vltima: contrarium omnino fit in morte naturali; oculus enim primò incipit mori, & cor vltimò. Porrò, quando cor incipit viuere, antequam reliquæ partes ſint animatæ, vita illius admodum eſt debilis, tenera & imperfecta, ſed quò ea ſe integrius ſtabilit in corpore reliquo, vegetior etiam efficitur in qualibet parte, peculiariter autem in corde. Videmus quòd quando vita male afficitur in aliquo corporis membro, in alijs omnibus langueat. Si homo vulneratus ſit in pede, vel in brachio, quicquid reliquum eſt in corpore, male afficitur, commouetur, dolore occupatur, & ab illo vulnere alteratur. Si laboramus ſtomacho, oculi, vox, tota facies male afficitur. Tanta eſt inter omnes hominis partes conuenientia, ſympathia, & conſenſus ad recreandam & releuandam vitam naturalem.

Omnes virtutes non ſimul eodem inſtanti acquiruntur, ſed aliquæ citius, aliquæ tardiùs, ſecundùm quod ratio, quæ eſt velut noſtri corporis anima, apprehendit modo hanc, modo aliam paſſionem moderandam & gubernandam: & ordinariè vita animæ noſtræ ſumit ſuum principium in corde noſtrarum paſſionum, quod eſt amor, & extendens ſe ſuper omnes alias, tandem per contemplationem viuificat ipſum intellectum: cùm contrario modo mors moralis ſeu ſpiritualis primum ingreſſum faciat in animam per inconſiderationem (mors intrat per feneſtras dicit ſacer textus) & vltimus effectus conſiſtat in peſſundando bonum amorem, quo ſublato, tota vita moralis à nobis tollitur. Quamuis autem haberi poſſint aliquæ virtutes ab alijs ſeparatæ, tamen eæ non poſſunt aliæ eſſe, quàm virtutes languentes, imperfectæ, & debiles: rationi enim, quæ eſt vita animæ noſtræ, nunquam ſatis fit, neq;

Digitized by Google

vnquam bene eſt, niſi occupet & poſſideat omnes facultates & paſſiones; & quando offenditur & læditur in aliqua noſtrarum paſſionum & affectionum, omnes aliæ amittunt ſuam fortitudinem, & vigorem, mirumque in modum languent.

Vides certè, Theotime, omnes virtutes eſſe virtutes per conuenientiam, vel conformitatem, quam habent ad rationem, nec actio aliqua dici poteſt virtute exornata, niſi procedat ex affectione, quam cor defert honeſtati & pulchritudini rationis. Iam ſi amor rationis poſſidet & animat ſpiritum, faciet quicquid ratio, quacunque occurrente occaſione, volet; & conſequenter in vſu habebit omnes virtutes. Si ſanctus Jacob amabat Rachelem, quia erat filia Laban, quare contemnebat Liam, quæ erat non tantùm filia, ſed primogenita eiuſdem Laban? Sed quia amabat Rachelem propter pulchritudinem in ea repertam, nunquam potuit ita amare Liam, licet fœcundam & ſapientem puellam, quia non erat tam pulchra, vti ipſe voluiſſet. Qui amat vnam quampiam virtutem propter amorem rationis & honeſtatis, quæ in ea relucet, amabit etiam omnes alias; quia in omnibus reperiet eandem amandi rationem, & earum aliquas plus vel minus amabit, iuxta quod ratio plus vel minus apparens reſplendebit. Qui amat liberalitatem, & non caſtitatem, ſatis oſtendit ſe non amare liberalitatem propter pulchritudinem rationis: nam pulchritudo iſta maior adhuc eſt in caſtitate. Vbi autem cauſa eſt fortior, ibi etiam effectus debent eſſe fortiores. Signum igitur eſt euidens, cor illud non ferri in liberalitatem ex motiuo & intuitu rationis. Ex quo ſequitur liberalitatem illam, quæ videtur eſſe virtus, non niſi ſpeciem & apparentiam habere: ſiquidem minimè procedit ex ratione, quæ eſt verum motiuum virtutum, ſed ex alio aliquo motiuo extraneo. Sufficit quidem puerum quempiam natum eſſe in matrimonio, vt in mundo gerat nomen, inſignia & circumſtantias alias mariti ſuæ matris; verùm, vt gerat ſanguinem & naturam, oportet eum non ſolùm natum eſſe in matrimonio, ſed etiam ex matrimonio. Actiones habent nomen, inſignia, & notas virtutum; quia naſcentes ex corde prædito ratione videntur eſſe rationales; ſed neque ſubſtantiam neque vigorem habent, ſi proueniant ex motiuo extraneo, & adulterino, non autem ex ratione. Non poteſt igitur facile fieri, vt virtutes aliquæ ſint in vno quopiam homine, in quo aliæ deſunt, ſed, ſi quid virtutibus

tutibus ſimile in ijs appareat, erunt vel virtutes adhuc naſcentes, totæ quantæ adhuc tenellæ, & velut flores flaueſcentes. Nam, vt paucis dicam, virtutes nequeunt habere veram ſuam integritatem, & complementum, niſi ſint omnes ſimul, vt omnis Philoſophia & Theologia nos docet. Dic obſecro, Theotime, qualem prudentiam habere poteſt homo intemperans, iniuſtus, & ignauus, ſiquidem is eligit vitium, & deſerit virtutem? Et qui poteſt quis eſſe iuſtus, niſi ſit prudens, fortis & temperans; iuſtitia ſiquidem aliud non eſt, quam perpetua, fortis & conſtans voluntas reddendi vnicuique quod ſuum eſt, & ſcientia, per quam ius adminiſtratur, Iuriſprudentia nominatur? Certè vt reddamus vnicuique, quod ſuum eſt, ſapienter, & modeſtè oportet nos viuere, & remouere à nobis omnes inordinationes, & abuſus intemperantiæ, vt nobis ipſis reddamus id, quod ad nos ſpectat in nobis ipſis; & vox VIRTUS, nonnè ſignificat fortitudinem & vigorem ſpectantem ad animam vt proprietatem, ſicut dicitur de herbis & lapidibus pretioſis, quòd habeant talem & talem virtutem vel proprietatem?

Sed prudentia nónne in homiue intemperante eſt imprudens? fortitudo, ſine prudentia, ſine iuſtitia, & ſine temperantia, non eſt fortitudo, ſed furia: ſed & iuſtitia in homine ignauo, qui illam non audet adminiſtrare, in intemperante, qui ſinit ſe à ſuis paſſionibus abripi, & in imprudente, qui neſcit diſcernere inter iuſtum & iniuſtum, eſt iniuſta. Iuſtitia non eſt iuſtitia, niſi ſit prudens, fortis & temperans; nec prudentia eſt prudentia, ſi deſtituatur temperantiâ, iuſtitia & fortitudine: ſed neque fortitudo eſt fortitudo; niſi ſit iuſta, prudens & temperans; temperantia ſimiliter non eſt temperantia, ſi non ſit prudens fortis & iuſta. Breuiter, virtus quæcunque non eſt virtus perfecta, niſi comites habeat omnes alias virtutes.

Verum eſt, Theotime, non poſſe exerceri ſimul omnes virtutes, eò quod earum obiecta non ſimul occurrant exercenti vnam, vel etiam plures: imò aliquæ ſunt virtutes, quas aliqui, etiam ex maximis ſanctis, nunquam habuerunt occaſionem exercendi. Nam S. Paulus v. g. primus Eremita, quam potuit habere cauſam & occaſionem remittendi iniurias, oſtendendi affabilitatem, magnificentiam & comitatem? Verumtamen tales animæ ita ſunt affectæ erga rationis honeſtatem, vt, licet non habeant omnes virtutes quoad effectum, habeãt tamen quoad

affectum, dum promptæ,& paratæ ſunt ſequi, & obſequi in omnibus occaſionibus rationi ſine vlla exceptione.

Sunt nonnullæ inclinationes & propenſiones, quæ æſtimantur virtutes, & non ſunt, ſed prærogatiuæ quædam & priuilegia naturæ. Quam plurimi enim ſunt homines, qui per innatam ſibi conditionem naturalem ſunt ſobrij, ſimplices, mites, taciturni; quin & caſti & honeſti. Et hæc quidem omnia videntur eſſe virtutes, ſed non ſunt, neque vllum producunt meritum,ſicut nec malæ inclinationes, vituperium aut conuitium vllum incurrunt, antequam ſuper huiuſmodi propenſiones & humores naturales inſeuerimus liberum & voluntarium conſenſum. Non eſt virtus parum comedere per naturam, ſed bene abſtinere à multo cibo per electionem; non eſt virtus hominem eſſe taciturnum per inclinationem, ſed bene per rationem linguam refrænare. Multi homines putant ſe habere virtutes, quando non committunt vitia virtutibus contraria. Is, quem nemo vnquam inuaſit, poteſt ſe quidem iactare, quòd non fuerit timidus & fugax, ſed non poteſt cum veritate dicere ſe fuiſſe ſtrenuum; qui nullas habet afflictiones,nôn poteſt laudare ſe, quòd non ſit impatiens, non vero quòd ſit patiens. Sic complures videntur ſibi habere virtutes, qui tamen non habent niſi bonas inclinationes. Et propterea, quòd harum inclinationum nonnullæ ſunt ſine alijs,videri poſſent etiam virtutes aliquæ eſſe ſine alijs.

Certè magnus Auguſtinus in vna ſuarum Epiſtolarum ad ſanctum Hieronymum, oſtendit nos poſſe habere vnius generis virtutem ſine alijs, & nihilominus non poſſe nos habere perfectas, niſi habeamus omnes.

Sed quod ad vitia ſpectat, haberi poſſunt alia ſine alijs; imò impoſsibile eſt omnia ſimul habere: ſic, vt ex hoc non ſequatur, quòd qui omnium virtutum fecit iacturam, habeat omnia vitia: habent enim fere omnes virtutes duo vitia ſibi oppoſita, non ſolùm contraria virtuti, ſed etiam contraria inter ſe ipſa. Qui amiſit ſtrenuitatem per temeritatem, non poteſt eodem tempore habere vitium timiditatis: & qui perdidit liberalitatem per prodigalitatem, non poteſt etiam eodem tempore argui tenacitatis. Catilina, dicit S Auguſtinus, fuit ſobrius, vigilans, patiens ad ferendum frigus iuxtà ac calorem, ſicut & famem; ideoque ille ſibi ſuiſque complicibus valde conſtans videbatur. Sed fortitudo

titudo illa non erat prudens,ſiquidem eligebat malum loco boni; non erat temperans, quia ſe proijciebat & demittebat ad turpiſſima & fœdiſſima quæq;: non erat iuſta, quia coniurabat contra propriam patriam. Non erat igitur conſtantia, ſed pertinacia, quæ,ad decipiendos fatuos,gerebat nomen conſtantiæ.

Quomodo charitas omnes virtutes comprehendat.

CAPVT VIII.

FLuuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuidebatur in quatuor capita. Homo eſt in loco deliciarum, vbi DEUS facit oriri fluuium rationis & luminis naturalis ad irrigandum omnem cordis noſtri paradiſum: & fluuius iſte diuiditur in quatuor capita,id eſt in quatuor ramos, ſeu fluuios, ſecundum quatuor regiones animæ. I. enim fluit ſuper intellectum,quem vocant practicum, id eſt, qui diſcernit actiones, quæ faciendæ ſunt,vel fugiendæ: lumen naturale effundit prudentiam, quæ inclinat noſtrum intellectum, ad iudicandum ſapienter malum, quod euitare & propulſare; & bonum, quod facere ac procurare debemus. II. Super voluntatem, ex qua procedit iuſtitia; quæ aliud nihil eſt, quàm perpetua & firma voluntas reddendi vnicuique, quod ei debetur. III. ſuper appetitum concupiſcibilem effluere facit temperantiam,quæ moderatur paſsiones, IV. Super appetitum iraſcibilem vel choleram, egredi facit fortitudinem, quæ frænat & moderatur motus iræ.

Porrò quatuor iſti fluuij ſic ab inuicem ſeparati, poſtea in plures alios ſe ſe diuidunt, vt omnes humanæ actiones poſſint dirigi & deduci ad honeſtatem & felicitatem naturalem. Verùm præter hæc volens DEUS Chriſtianos ſpeciali gratiâ & fauore ditare,facit vt ſupra ſummitatem partis ſuperioris eorum intellectûs erumpat fons ſupernaturalis, quem nuncupamus GRATIAM, quæ comprehendit quidem fidem&ſpem, ſed conſiſtit nihilominus in charitate,quæ animam ab omni peccato purificat,

rificat, ornat deinde & condecorat pulchritudine omnino delectabili; & tandem ſuas aquas effundit ſuper omnes facultates & operationes illius: & hoc ad communicandam intellectui prudentiam cæleſtem; voluntati ſanctam iuſtitiam; appetitui concupiſcibili ſacram temperantiam; & tandem iraſcibili deuotam fortitudinem, vt totum cor humanum tendat ad honeſtatem & ſupernaturalem felicitatem, quæ conſiſtit in vnione cum Deo. Quodſi quatuor iſti fluuij charitatis incidant in animam quampiam habentem aliquam è quatuor virtutibus naturalibus, eam reducunt ad ſuam obedientiam, illi ſe permiſcendo, vt eandem perficiant; ſicut aqua odorifera perficit naturalem, quando ſimul permiſcentur. Si autem ſancta dilectio ſic effuſa non reperiat virtutes naturales in anima, ipſamet tunc exercet omnes earum operationes, prout tempus & occaſio requirit.

Sic amor cæleſtis inueniens plures virtutes in S. Paulo, in S. Ambroſio, in S. Dionyſio, in S. Pachomio, expandit & effundit ſuper illos gratam claritatem, omnes reducens ad ſuum obſequium; at in Magdalena, in Sancta Maria Ægyptiaca, in bono, vt vocant, latrone, & in ſexcentis alijs talibus pœnitentibus, qui magni fuerant peccatores, non inueniens diuinus amor illam virtutem, obit functiones & opera omnium virtutum, efficiens ſe in ijs patientem, mitem, humilem & liberalem. Seminamus in hortis magnam granorum ac ſeminum varietatem, & ea omnia terrâ cooperimus, vſque dum adueniens fortior ſol, eadem attollat, & ſi ita dicere lubeat, reſuſcitet tunc quando producunt folia & flores cum nouis granis: quodlibet autem ſecundum ſuam ſpeciem: & ſic vnicus calor cæleſtis facit diuerſitatem productionum per ſemina, & grana, quæ in ſinu terræ abſcondita deprehendit. Equidem, Theotime, Deus in nos effudit & iecit ſemina omnium virtutum, quæ nihilominus noſtrâ imperfectione & debilitate ita ſunt cooperta, vt non compareant, vel ſi compareant, valde modicè, vſquedum vitalis calor ſacræ dilectionis veniat ea animare & ſuſcitare, producens per illa actiones omnium virtutum, vt, quemadmodum manna continebat in ſe varietatem ſaporum omnium ciborum, & excitabat guſtum in ore Iſraëlitarum: ita amor cæleſtis comprehendat in ſe diuerſitatem perfectionum omnium virtutum, modo ita excellenti & ſublimi,

Digitized by Google

limi; vt illa producat omnes actiones in tempore & loco, iuxta occurrentes occaſiones. Ioſue profectò Dei inimicos ſtrenuè, glorioſèq; per bonam directionem copiarum ſibi commiſſarum profligauit; Samſon adhuc glorioſius, qui manu apprehensâ maxillâ aſini mille viros occidit. Ioſue ſuo mandato, & bona militari diſciplinâ ac ordine ſeruato, adhibens ſtrenuitatem ſuarum copiarum, mira faciebat; ſed Samſon propriâ fortitudine, nullo alio adhibito, miracula patrabat. Ioſue robur complurium militum ſub ſe habebat; ſed Samſon in ſe ipſo habebat & poterat ſolus tantùm, quantùm Ioſue vna cum magna militum manu potuiſſet: amor cæleſtis in vtroque excellit: nam inueniens virtutes in vno quopiam (ordinariè autem vt minimùm inuenit fidem, ſpem & pœnitentiam) illas animat, illis imperat, iiſque feliciter vtitur ad Dei obſequium. Pro reliquis autem virtutibus, quas non inuenit, ipſemet earum muneribus defungitur, habens tantam, & etiam maiorem fortitudinem ſolus, quam omnes ſimul vnquam poſſint habere.

Certè magnus Apoſtolus Paulus non ſolùm dicit charitatem nobis exhibere patientiam, benignitatem, ſimplicitatem: ſed illam ipſam dicit eſſe patientem, benignam, conſtantem. Proprium autem eſt ſummarum virtutum inter Angelos & homines, poſſe non ſolùm ordinare & mandare inferioribus, vt operentur: ſed etiam poſſe per ſe ipſas facere, quod mandant alijs. Epiſcopus confert omnia munia, & dat poteſtatem exercendi omnes Eccleſiaſticas functiones, aperiendi Eccleſiam, legendi, exorcizandi, explicandi, concionandi, baptizandi, ſacrificandi, communicandi, peccata remittendi; & ille ipſe etiam poteſt illa facere, imò & facit, habens in ſe ipſo eminentem virtutem, quæ comprehendit omnes alias inferiores. Ita S. Thomas motus verbis S. Pauli aſſerentis, quòd charitas ſit patiens, benigna, fortis; charitas, inquit, facit & complet omnia opera aliarum virtutum; & S. Ambroſius ſcribens ad Demetriadem, vocat patientiam & alias virtutes membra charitatis; & eximius Doctor & Sanctus Auguſtinus dicit amorem comprehendere omnes virtutes, & facere omnes earum operationes in nobis. Ecce eius verborum ſummam: *quod dicitur virtus diuidi in quatuor, (intelligit quatuor virtutes cardinales) meo iudicio dicitur propter diuerſas affectiones, quæ proueniunt ex amore*: ita vt non dubitem ſic definire quatuor virtutes, vt temperantia ſit amor, qui integrè ſe Deo tradat; forti-

Digitized by Google

tudo item amor, qui ſuperet omnes res voluntariè propter Deum: iuſtitia vis quædam ſoli Deo ſeruiens, & propter hoc quæ imperet rectè quicquid ſubiectum eſt homini; prudentia amor, qui eligat quicquid prodeſt, vt ſe vniat cum Deo, & reijciat quicquid eſt nociuum. Is igitur, qui habet charitatem, habet intellectum exornatum pulchrâ nuptiali veſte: quæ, adinſtar Ioſephi Patriarchæ, eſt conſita omni virtutum varietate: vel potius habet perfectiouem, quæ continet virtutem omnium perfectionum, vel perfectionem omnium virtutum. Et ſic charitas eſt patiens, benigna, nemini inuidet, eſt verecunda, nullam committit leuitatem, ſed eſt prudens: non inflatur ſuperbiâ, ſed eſt humilis,
1 Cor. non eſt ambitioſa, vel faſtuoſa, ſed amabilis & affabilis, *non quærit quæ ſua ſunt*,
13. v. 4. ſed eſt ſincera & indulgens, non irritatur, ſed eſt pacifica, *non cogitat malum*,
& ſeq. *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert*, omnia, quæ ei dicuntur credit, *omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, non eſt pertinax, non eſt contentioſa, non diffidens de proximo, non cogitat niſi bona, nunquam abijcit animum, nec curam deponit procurandæ nobis ſalutis; ſuſtinet omnia, expectans ſine inquietudine, quod illi proximum eſt. *Et pro concluſione, charitas eſt aurum illud ignitum, probatum, quod Dominus ſuadet Epiſcopo Laodicenſi, vt à ſe emat, vt locuples fiat, aurum hoc continet pretium rerum omnium, omnia poteſt, & omnia facit*,

Quod virtutes accipiant & trahant perfectionem ſuam ex ſacro amore.

Capvt IX.

Charitas igitur eſt vinculum perfectionis, ſiquidem in illa & per illam omnes animæ perfectiones congregatæ continentur, & ſine illa non ſolùm non poteſt haberi integra virtutum aggregatio; ſed ne vnius quidem virtutis perfectio haberi poteſt abſque illa. Si abſit cæmentum, quo lapides & muri ligantur inter ſe, totum ædificium corruere neceſſe eſt. Item ſine neruis, ſine muſculis & tendonibus totum corpus corruere oportet: & ſine charitate virtutes nequeunt ſe inter ſe

con-

conſeruare. Chriſtus ſemp plenitudinē legis alligat &attribuit charitati: *qui habet*, inquit, *mandata mea, & obſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui me non diligit, non ſeruat mandata mea. Si quis me diligit, verba mea ſeruabit.* Quod repetens dilectus diſcipulus dicit, qui ſeruat Dei mandata, charitas Dei perfecta eſt in illo, & hæc eſt charitas Dei, vt eius ſeruemus mandata. Hinc bene inferes, eum, qui haberet omnes virtutes, ſeruaturum etiam omnia mandata. Qui enim haberet virtutem Religionis, ſeruaret tria prima mandata; qui pietatem, ſeruaret quartum; qui manſuetudinem & benignitatem, cuſtodiret quintum. Per caſtitatem obſeruaret ſextum; per liberalitatem, caueret ne violaret ſeptimum; per veritatem, octauum ſeruaret; & per parſimoniam & pudicitiam, cuſtodiret nonum & decimum. Quodſi non poſſunt obſeruari mandata ſine charitate, à fortiori, vt loquuntur philoſophi, ſine illa haberi non poſſunt virtutes.

Poteſt equidem quiſpiam habere aliquam virtutem, & aliquo breui tempore Deum non offendere, etiam non habito diuino amore: ſed quemadmodum videmus arbores aliquas ſubinde euulſas è terra, aliqua producere, non tamen perfecta, neq; ad longum tempus, ita cor ſeparatum à charitate poteſt quidem aliquos virtutis actus facere, ſed nonniſi breui tempore.

Omnes virtutes, quæ ſeparatæ ſunt à charitate, admodùm ſunt imperfectæ: ad ſuum ſiquidem finem, qui eſt hominem efficere beatum, ſine illa pertingere non poſſunt. Apes in ſuo ortu non ſunt niſi parui vermiculi, ſine pedibus, ſine alis, ſine forma; ſed ſuccedente tempore mutantur, & quando fiunt fortes, & ad iuſtum pertigerunt augmentum, dicuntur apes formatæ, factæ & perfectæ, quia habent id, quod requiritur ad volandum, & ad mel conficiendum. Virtutes habent ſuum principium, progreſſum, & perfectionem: nec nego ego, quin ſine charitate naſci poſſint, imò & facere progreſſum: ſed quòd habeant perfectionem, quæ requiritur, vt titulo perfectarum, formatarum & completarum virtutum inſigniantur, penitus nego: hoc enim dependet à charitate, quæ dat vires volandi in Deum, & colligendi ex eius miſericordia mel veri meriti & ſanctificationem cordium, in quibus illæ virtutes inueniuntur.

Charitas inter virtutes eſt, quod ſol inter ſtellas; omnibus enim ſuam

Digitized by Google

claritatem & bonitatem diſtribuit. Fides, ſpes, timor & pœnitentia communiter ante illam veniunt in animam, vt domicilium præparent. Cùm autem aduenerit, illi obediunt & ſeruiunt, vt capiti omnium virtutum, illa autem ſuâ præſentiâ omnes animat, exornat & viuificat.

Aliæ virtutes poſſunt reciprocè & inuicem ſe iuuare, & mutuò in ſuis operibus & exercitijs excitare: quis enim ignorat à caſtitate iuuari & excitari ſobrietatem, ab obedientia nos ferri in liberalitatem, ab oratione ad humilitatem? per iſtam enim communicationem, quam habent inter ſe, participant de perfectionibus aliarum. Nam caſtitas obſeruata per obedientiã duplici gaudet dignitate, propriâ ſcilicet, & obedientiæ. Sed plus habet de obediẽtiæ dignitate, quã de propria: nam ſicut dicit Ariſtoteles: qui furatur, vt fornicetur, magis eſt fornicator, quã latro, quia eius affectio tota tendit in fornicationẽ, & ſolùm vtitur furto, vt tranſitu quopiam ad perueniendum. Sic qui ſeruat caſtitatẽ vt obediat, magis eſt obediens, quàm caſtus, ad obſequium ſiquidẽ obedientiæ adhibet caſtitatem; ſed tamen ex mixtione obedientiæ cum caſtitate non poteſt exurgere virtus completa & perfecta; vltima ſiquidem perfectio, quæ eſt amor, deeſt ambabus; ita vt, ſi fieri poſſet, omnes virtutes ſimul inuenirentur, in homine, & ſolâ charitate deſtitueretur, congregatio earum virtutum eſſet equidem corpus perfectiſſimè completũ ſuis partibus, tale ſcilicet, quale fuit Adami, quando Deus magiſtrali ſua manu, illud formauit ex limo terræ: ſed corpus tamen hoc eſſet ſine motu, & ſine vita, & ſine gratia, vſq; dum Deus inſpiraret in illud *ſpiraculum vitæ*, id eſt ſacram charitatem, ſine qua nihil nobis prodeſt ad ſalutem.

Cæterùm perfectio amoris diuini ita eſt excellens & ſublimis, vt omnes omnino virtutes perficiat, nec tamen per illas poteſt ipſa perfici, ne per ipſammet quidem obedientiam, quæ tamen vna, plus cæteris poteſt perfectionis conferre. Nam, quamuis amor ſit imperatus, & ita, amando exerceamus obedientiam, tamen amor non trahit ſuam perfectionem ab obedientia, ſed à bonitate eius, quem amat. Quò ſit, vt amor non ideò ſit excellens, quòd ſit obediens, ſed quod amet bonum excellens. Certè amando obedimus, ſicut obediendo amamus. At ſi obedientia iſta excellenter eſt amabilis, ideò eſt, quòd tendat ad excellentiam amoris. Adde, quòd eius perfectio dependeat

Digitized by Google

deat non ex hoc, quòd amando obediamus, ſed quòd obediendo amemus. Sic, vt quemadmodùm Deus æqualiter eſt vltimus finis omnis boni, atque etiam prima origo: ita amor, qui eſt origo omnis bonæ affectionis, ſit pariter vltimus eiuſdem finis & perfectio.

Digreſſio ſuper imperfectionem virtutum Paganorum.

Capvt X.

Olim mundi Sapientes magnificos diſcurſus in honorem virtutum moralium, imò etiam in fauorem Religionis fecerunt. Verùm, quod Plutarchus obſeruauit de Stoicis, longè adhuc magis eſt ad propoſitum pro reliquis omnibus Paganis. Videmus, inquit ille, naues habentes perilluſtres inſcriptiones: aliquæ vocantur Victoria, aliquæ Strenvitas, nonnullæ etiam Sol: non ideò tamen propter iſtas inſcriptiones immunes ſunt à ventorum, & fluctuum iniuria; ſic Stoici ſe iactitant vt exemptos à paſſionibus, timore v. g. triſtitia, ira, vt homines immutabiles & inuariabiles. Verùm re ipſa ſubiecti ſunt turbationibus, inquietudini, impetuoſitati, & motibus alijs impertinentibus.

Dic amabò, Theotime, quales virtutes habere poterant iſtiuſmodi homines, qui voluntariè, & quaſi ex inſtituto & pactâ mercede omnes Religionis euertebant leges? Seneca conſcripſit librum contra ſuperſtitiones, in quo magnâ cum libertate reprehendit impietatem Paganorum. Hæc autem libertas, inquit S. Auguſtinus, reperitur in eius ſcriptis; non tamen in vita. Siquidem ille ipſe ſuaſit, vt ab animo eijceretur ſuperſtitio, ſed non ideò eius praxis intermitteretur in actionibus. Hæc ſunt verba eius apud ſanctum Auguſtinum: *quas ſuperſtitiones ſapiens obſeruabit, vt imperatas per leges, non autem vt gratas Dijs*: Qui poterant eſſe virtutum ſtudioſi, qui, vt refert S. Auguſtinus, æſtimabant Sapientem ſe ipſum occidere debere, quando non poſſet, vel non deberet amplius ferre calamitates huius vitæ; & tamen nolebant admittere calamitates eſſe miſerias, neque miſerias eſſe calamitoſas, ſed

Lib. 6. de Ciuit. Dei c. 10. & 11.

 ſas, ſed

ſas, ſed aſſerebant & conſtanter propugnabant Sapientem ſemper eſſe beatum, & eius vitam beatam? O qualis beata vita, inquit S. Auguſtinus, quæ vt euitetur, recurrendum eſt ad ipſam mortem! Si beata eſt, cur in ea non manetis? Etiam ille inter Stoicos & duces, qui ex eo, quòd ſe ipſum in ciuitate Vtica occidit, vt calamitatem euitaret, quam vitâ ſuâ indignam ducebat, tantopere laudatus fuit à prophanis illis cerebellis; fecit hanc actionem cum tam exigua virtute, vt, inquit Auguſtinus, non profiteretur animum euitare volentem ignominiam, ſed animam infirmam, quæ non auderet expectare aduerſitatem. Quia ſi exiſtimabat magnam ſibi inde inuſtum iri infamiam, ſi ſub Cæſare victore vitam traduceret; quare commendauit alteri, vt ſperaret in clementia Cæſaris? quomodo non ſuaſit filio, vt ſecum moreretur, ſi mors erat melior & honeſtior vitâ? ſe igitur occidit, vel quia inuidebat gloriam Cæſari, quàm conſecuturus erat ſibi donando vitam: vel quia apprehendit ignominioſum ſibi eſſe viuere ſub victore, quem peius cane & angue oderat. In quo quidem laudari fortaſsis poteſt ab animi firmitate, & magnitudine, non autem à ſapientia, fortitudine, & conſtantia. Sæuitia quæ exercetur ab animo ſedato & quieto, (Galli dicunt frigido ſanguine) omnibus alijs eſt crudelior. Et idem omnino eſt de deſperatione. Nam is, qui maximè lentus eſt in deliberando & ſtatuendo id, quod facere intendit, eſt & minimè excuſabilis, & maximè deſperatus. Quod ad Lucretiam attinet, (ne obliuiſcamur merita ſexûs minus animi habentis) vel illa fuit caſta inter vim & violentiam, quam ei intulit filius Tarquinii, vel non fuit; ſi non fuit caſta, cur igitur laudatur eius caſtitas? Si autem fuit caſta & innocens eo in caſu, nónne fuit nequam & improba, quod ſe ipſam occiderit innocentem? Si fuit adultera, quare tantopere laudatur? ſi autem fuit pudica, cur ſibi ipſi violentas manus intulit?

Sup. Lib. 19. de Ciuit. c. 4.

Qui ſup. Li. 1. c. 22. & 23.

Aug. li. 1. Ciui. c. 19.

Sed timebat opprobrium & ignominiam pati ab ijs, qui credere poterant ignominiam illam, & pudorem, quem inuitè & violenter paſſa fuerat, dum viueret, fuiſſe voluntariam, ſi poſt illud factum manſiſſet in vita. Timuit igitur ne haberetur complex, & ſocia facinoris, ſi id quod in illa turpiter commiſſum erat, ferret patienter. Ad fugiendam igitur ignominimam, & opprobrium, quæ ſolùm dependent ab opinione hominum, obruendus eſt innocens, & iuſtus occidendus? Ergóne bonor

tuendus

tuendus eſt in diſpendium virtutis, & fama cum periculo violandæ
æquitatis? Tales fuêre virtutes, quas meliores Pagani habebant erga
Deum & ſe ipſos.

Quantum attinet ad virtutes, quæ reſpiciunt proximum, primam,
quæ eſt pietas, pedibus conculcabant, & quidem inſigni cum impru-
dentia, latis per eoſmet legibus contra illam. Ariſtoteles enim, maxi-
mum inter eos ingenium, pronunciat horribilem hanc, & ſupra quam di-
ci poteſt impetuoſam ſententiam: *quantùm ad expoſitionem, id eſt quan-* 1. Poli.
tùm ad derelictionem infantium, vel eorum educationem, lex talis eſto: nihil c.16.
eſt nutriendũ, quod membro aliquo priuatum eſt; & quantùm ad alios infantes, De ira
ſi leges & conſuetudines ciuitatis prohibent ne infantes deſerantur; alicubi tamen lib. 1.
ita numero multiplicentur, vt iam habeat duplo plures alendos quàm ferant c.15.
eius facultates, praeueniendum eſt abortum procurando. Seneca, Sapiens ille;
tantopere laudatus, occidimus, inquit, monſtra, & noſtros infantes ſi manci ſint,
debiles, imperfecti, vel monſtruoſi, reijcimus & deſerimus. Hinc non ſine
cauſa Tertullianus reprehendit Romanos, quòd infantes ſuos exponant In A-
vndis, frigori, canibus, enecant fame: & hoc non vrgente paupertate: pol.c.9
nam, vt ille dicit, ipſimet præſides & magiſtratus immanem iſtam cru- & vide
delitatem exercent. O Theotime, quales ſunt iſti virtutum ſtudioſi! Lypſ.
& quales Sapientes poſſunt eſſe iſti homines, qui tam crudelem, tamque cen. 1.
brutam docent ſapientiam? Eheu! dicit Apoſtolus: *dicentes ſe eſſe ſapi-* epiſt.8.
entes, ſtulti facti ſunt, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & dati ſunt in reprobum ſenſum. Rom.1.
At quam horrendum eſt vel audire ſolùm, quod talis ac tantus philoſo- v.21.
phus ſuadeat abortum? hoc eſt verè accelerare homicidium, dicit Ter-
tulianus, impedire hominem iam conceptum, ne naſcatur. Et S. Am-
broſius reprehendens Paganos ob eandem barbariem: *tollitur, inquit,* lib.5.
hoc modo agendo, infantibus vita, antequam ijs data ſit. exha-

Certè ſi Pagani in vſu habuerunt aliquas virtutes, fuit mer. c.
id maiori ex parte in fauorem gloriæ mundanæ, & conſequenter non 18.
niſi actionem virtutis, non autem motiuum & intentionem habuerunt. Conci.
Quis autem dicet id eſſe veram virtutem, quæ vera careat intentione? Aranſ.
Concupiſcentia humana creauit fortitudinem Paganorum, dicit Conci- c.17to.
lium Arauſicanum: charitas autem diuina, fortitudinem Chriſtianorum. 7.lib.4
Virtutes Ethnicorum, dicit S. Auguſtinus, non fuerunt veræ, ſed veroſi- cont.
miles, quia non ſunt exercitæ propter finem conuenientem, ſed propter Iul.Pol
c.3.

fines,

Digitized by Google

fines, qui pereunt. Fabricius minus punietur, quàm Catilina, non quòd ille fuerit bonus, ſed quia hic fuit peior illo, non quòd Fabricius habuerit veras virtutes, ſed quòd non ita remotus fuerit ab ijs, vti alter. Quare in vltimo iudicij die virtutes Paganorum eos defendent, non vt ſaluentur, ſed vt non ita ſeuerè damnentur. Vitium vnum tollitur per alterum: inter Paganos vitijs ſibi inuicem præbentibus locum, nullus relinquebatur virtuti, & propter ſolum vnicum vitium VANÆ GLORIÆ reprimebant auaritiam, & plura alia vitia: quin etiam ſubinde contemnebant vanitatem per vanitatem. Vnde vni ex illis, qui maximè remotus videbatur à vanitate, calcanti pedibus Platonis lectum optimis paramentis exornatum, dixit Plato: quid agis Diogenes? calco reſpondit, faſtum Platonis: verum eſt, inquit Plato, calcas eum, ſed per alium faſtum. Senecam perquam vanum fuiſſe colligitur ex vltimis eius verbis: finis enim coronat opus, & hora vltima omnium præcedentium eſt iudex. Qualis obſecro vanitas non fuit agentem animam dicere amicis ſuis, vſque ad illam horam non potuiſſe ſe ijs ſatis dignè gratias agere, adeoque velle ſe, legati loco, relinquere id, quod in ſe gratiſſimum & pulcherrimum habere, quod ſi illi diligenter & ſolicitè cuſtodirent, magnas inde laudes conſequerentur: addens legatum iſtud magnificum aliud non eſſe, quàm vitæ ſuæ imaginem. Videſne, Theotime, quàm pudendâ vanitate extrema iſtius hominis ſint infecta? Non fuit certè amor honeſtatis, ſed amor honoris, qui impulit Sapientes mundanos ad exercitia virtutum; ſed & eorum virtutes tam fuerunt differentes à veris virtutibus, quàm eſt honor ab honeſtate, & amor meriti ab amore compenſationis. Qui principibus ſeruiunt propter ſua commoda, communiter exhibent obſequia magis ardentia magiſque ſenſibilia; ſed qui ſeruiunt ex amore, longè nobiliora, generoſiora, & conſequenter maiori pretio æſtimanda faciunt.

Gemmas, dictas carbunculos, nuncupant Græci duobus diuerſis nominibus: pyropos nimirum, & apyropos, id eſt ex igne, & ſine igne, vel inflammatos, & ſine flammis: vocant ignitos ab igne, carbones vel carbunculos, quia habent in ſuo fulgore & ſplendore ſimilitudinem ignis. Sed vocant ſine igne, quia flammam concipere non poſſunt, eò quòd eorum ſplendor nullum habeat calorem, neque vllo modo eum ſuſcipere poſſit. Sed nec vllus eſt ignis, qui eos poſſit calefacere. Ita

antiqui

antiqui Patres nominârunt virtutes Paganorum, virtutes ſimul & non virtutes, quia habebant ſplendorem & ſpeciem aliquam virtutum; non virtutes autem; quia non ſolùm non habebant calorem vitalem amoris Dei, qui ſolus poteſt eas perficere; ſed ne quidem eum poterant ſuſcipere, quia erant in ſubiectis infidelibus. Erant illo tempore, inquit Auguſtinus, Romani duo magni in virtute, Cæſar ſcilicet & Cato. Virtus autem Catonis longè magis accedebat ad virtutem, quàm Cæſaris. Et cùm dixiſſet in loco aliquo ſuorum ſcriptorum philoſophos deſtitutos verâ pietate fulſiſſe & ſplenduiſſe lumine virtutis, reuocat id libro retractationum, exiſtimans laudem iſtam nimis eſſe amplam pro imperfectis virtutibus, vti erant Paganorum. Quæ verè ſimiles ſunt vermibus referentibus ignem & ſplendorem, ſed ſolùm de nocte: nam vt illi oriente die perdunt ſuum fulgorem, ita virtutes Paganorum non ſunt virtutes niſi comparatæ cum vitijs, ideò, ſi conferantur cum veris Chriſtianorum virtutibus nullo modo merentur nomen virtutis.

Lib. 5. de ciuit. c. 12.

Lib. 1. retrac. 3.

Quia tamen habent aliquid boni, comparari poſſunt pomis vermiculoſis; habent enim colorem, quin & exiguam ſubſtantiam, quadam pollentem bonitate, ſed vermis vanitatis in medio, velut in throno reſidens, omnia deſtruit: proinde, qui in vtilitatem ſuam ſeu pomum, ſeu virtutem vult trahere, bonum à malo ſeparet oportet. Dicere volo, Theotime, fuiſſe aliquid firmitatis animi in Catone, & firmitatem iſtam in ſe fuiſſe laudabilem: ſed qui vſui ſuo accommodare vult eius exemplum, neceſſe eſt vt id fiat in iuſto & bono homine; non qui ſibi inferat mortem, ſed qui eam toleret, vbi & quando vera virtus id expoſcit, non propter vanitatem gloriæ, ſed propter gloriam veritatis. Vti euenit noſtris martyribus, qui inuincibili animo tot conſtantiæ & ſtrenuitatis Chriſtianæ patrârunt miracula, cum quibus nulli Catones, nulli Horatij, nulli Senecæ, nullæ Lucretiæ, nullæ Arriæ in vllam omnino comparationem venire poſſunt; Teſtes Laurentij, Vincentij, Vitales, Eraſmi, Eugenij, Sebaſtiani, Agathæ, Agnetes, Catharinæ, Perpetuæ, Felicitates, Symphoroſæ, Nataliæ, & mille millium alij, qui me in dies ſingulos faciunt admirari admiratores virtutum Paganorum: non tam, quia admirantur inordinatè virtutes imperfectas Paganorum, quam quia non admirantur perfectiſsimas Chriſtiano-

ſtianorum virtutes, infinitis paraſangis admiratione digniores, imò ſolas admiratione dignas.

Quomodo actiones humanæ ſint ſine valore & merito quando ſunt ſine vero amore.

Capvt XI.

MAgnus Dei amicus Abraham non ſuſtulit ex Sara, ſuarum coniugum principe, aliam prolem, quàm chariſſimum vnicum ſuum Iſaac, qui ſolus eius fuit hæres vniuerſalis: & quamuis ex Agar habuerit Iſmaelem, & plures alios filios ex Cætura, vxoribus ancillis, & minus principalibus; tamen ijs non dedit niſi munera&legata, ad eoſdem reijciendos&remouendos à paterna hęreditate; quia cùm non agnoſcerentur ab vxore primaria Abrahæ, non poterant ſuccedere. Porrò non fuerunt agniti, quia quantùm ad Cæturæ filios, omnes nati ſunt poſt mortem Saræ, quod autem attinet ad Iſmaelem, quamuis mater eius Agar eum concepiſſet auctoritate Dominæ ſuæ Saræ, tamen cùm videret ſe concepiſſe, eam contempſit, & filium ſuum Iſmaëlem non peperit ſupra illius genua, vti *Bala* ſuos peperit ſupra genua Rachelis. Theotime, ſolùm filij, id eſt actus ſanctiſsimæ charitatis ſunt, qui hæredes fiunt Dei, cohæredes autem Chriſti; & infantes ſiue actus, quos aliæ virtutes concipiunt, & pariunt ſupra eius genua, eâ mandante, vel minimùm ſub alis & fauore eius præſentiæ: verùm quando virtutes morales, imò ipſæ etiam ſupernaturales, producunt ſuas actiones abſente charitate, vti inter ſchiſmaticos, auctore S. Auguſtino, & ſubinde etiam inter malos Catholicos, nullum habent valorem, quo acquiri poſſit vita æterna; quorum in numero repono ipſam etiam eleemoſynam, eſto ab ea inducamur ad omnem noſtram ſubſtantiam diſtribuendam pauperibus. Eodem loco numero martyrium, licet tradamus corpus noſtrum flammis vt ardeat. Prorſus ita eſt, Theotime, omnia ſine charitate, dicit Apoſtolus, nihil proſunt, nihil valent, vti amplè alibi oſtendemus. Plus autem adhuc eſt, quando in productione virtutum

mora-

Digitized by Google

moralium voluntas ſit inobediens, & rebellat Dominæ ſuæ, quæ eſt charitas. Sicut quando per ſuperbiam, per vanitatem, perque commodum temporale, vel per aliquod aliud malum motiuum virtutes auertuntur, & dimouentur è propria natura; tunc enim actiones iſtæ factæ extorres pelluntur à domo Abrahæ, & ſocietate Saræ, id eſt priuantur fructu, & priuilegio charitatis, & conſequenter manent ſine valore & merito. Actiones enim iſtæ taliter infectæ per malam intentionem, re ipſâ plus participant de vitijs, quàm de virtutibus. Illæ ſiquidem de virtute nihil habent, niſi corpus extrinſecum, intrinſecum autem ſpectat ad vitium, quod illis ſeruit pro motiuo Huius rei teſtes ſunt ieiunia, teſtes decimæ, munera & aliæ actiones Phariſæi Euangelici.

Sed & præter hæc omnia, ſicut Iſraelitæ in Ægypto pacificè vixerunt viuentibus Joſepho & Leui: ſimulatque verò hic mortuus eſt, crudeli tyrannide redacti ſunt in deplorandam ſeruitutem (vnde ortum eſt prouerbium Judæorum: *Vno è fratribus mortuo, alij oppreſſi ſunt.* prout habetur in magna Chronologia Hebræorum, in lucem edita per doctiſſimum Aquenſem Archiepiſcopum Gilbertum Genebrardum, quem honoris cauſâ & mea cum conſolatione nomino, eò quòd eius diſcipulus, licet inutilis, fuerim, quando Pariſijs fungebatur munere lectoris Regij, & cantica canticorum exponebat) eodem modo merita & fructus virtutum tam moralium, quàm Chriſtianorum cumprimis ſuauiter & tranquillè perſiſtunt in anima, quamdiu in ea ſacra dilectio viuit, & gubernat: verùm eodem momento, quo dilectio diuina in ea moritur, omnia omnino merita & fructus aliarum virtutum ſimul moriuntur. Et hæc ſunt opera, quæ Theologi vocant mortificata, quia cùm nata ſint viua ſub fauore dilectionis, velut alter Iſmael in familia Abrahæ, perdunt poſtea vitam, & ius hæreditates adeundæ propter inobedientiã & rebellionem prouenientem ex voluntate humana, quæ earũ eſt mater.

O Theotime, quale infortunium! *ſi iuſtus ſe auerterit à ſua iuſtitia, & fecerit iniquitatẽ, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, nõ recordabuntur, in peccato ſuo morietur* c. 14. v 24. dicit Dominus in Ezechiele. Hinc intelligit per vnico peccato mortali commiſſo omnium virtutum merita extingui & exterminari. Nam quantum ad eas, quæ exercentur, dum peccatum regnat in anima, ſic naſcuntur mortuæ, vt in æternum ſint inutiles, quoad vitam æternam; quantùm autem ad illas, quæ in vſu erant antequam peccatum committeretur,

teretur, id eſt dum dilectio ſacra viueret in anima, earum valor & meritum perit & moritur, ſimulatque peccatum in animam venerit, cùm non valeant conſeruare vitam ſuam mortuâ charitate, quæ illis eam dederat. Lacus, quem prophani vocant communiter Aſphaltitem, auctores autem ſacri, mare mortuum, tantam habet maledictionem, vt nihil, quæ in eo ponuntur, poſſit viuere. Quando piſces ex flumine Iordane illuc approximant, moriuntur, niſi quàm promptiſſimè retrò viam relegant. Arbores, quæ circa illud ſunt, nihil, quod viuat, producunt. Et quamuis fructus illi habeant ſpeciem & formam exteriorem, ſimilem fructibus aliarum Regionum, nihilominus quando quis vult eos aperire, deprehenduntur cortices, calyces & putamina plena cineribus, qui ſtante vento diſperguntur. Sunt ij notæ infamium peccatorum, ob quorum punitionem regio illa olim populoſa & celebris, quippe gaudens quatuor ciuitatibus frugum vbertate abundantiſſimis, fuit conuerſa in abyſſum tetri fœtoris, & intolerandæ infectionis. Adde, quod nihil etiam videatur melius repræſentare infortunium peccati quàm abominabilis ille lacus, qui ſuam habet originem à maximè execrabili confuſione, quam humana caro poteſt committere. Peccatum igitur, vt alterum mare mortuum & mortale, occidit omne id, quod ad illud appellit, nihilque eorum quod naſcitur in anima ab illo occupata, viuit, ſed nec ea quæ circa illud creſcunt vitam vllam habent, quia non ſolùm peccatum eſt opus mortuum, ſed etiam adeò tetrum, & venenoſum, vt excellentiſſimæ etiam virtutes animæ peccatricis nullam omnino actionem viuam producant. Et quamuis aliquando actiones peccatorum habeant magnam ſimilitudinem cum actionibus iuſtorum, non ſunt tamen niſi cortices pleni vento & puluere, quas quidem reſpicit & etiam compenſat diuina bonitas aliquibus temporalibus præmijs, quæ ijs dantur vt ancillarum liberis, ſed tamen aliud non ſunt, quàm cortices: non ſapiunt, neque ſapere aut placere poſſunt guſtui diuinæ iuſtitiæ, vt præmio æterno donentur. Pereunt dum adhuc pendent in arboribus, nec conſeruari poſſunt in Dei manu, eò quòd ſint vacuæ ab omni vero valore & merito, vt dicitur in Apocalypſi Epiſcopo Sardicenſi, qui æſtimabatur arbor viua propter multas virtutes, quas exercebat, & nihilominus erat mortuus; quia cùm eſſet in peccato, eius virtutes non erant veri & viui

fructus,

fructus, ſed cortices mortui, & obiecta ad detinendos oculos, non autem poma ſapida & vtilia ad manducandum. Vnde poſſumus omnes eiaculari hanc veram vocem ad imitationem S. Apoſtoli: *Sine charitate nihil ſum*, nihil mihi prodeſt; & hanc cum S. Auguſtino: *pone in corde aliquo charitatem & omnia proſunt; tolle è corde charitatem, quicquid ibi eſt, nihil prodeſt.*

Dico autem nihil prodeſſe quoad vitam æternam, quamuis, vt alibi diximus, opera bona peccatorum non ſint inutilia, quoad vitam temporalem. Sed, amice mi, Theotime, *quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur* temporaliter, animam perdat æternaliter?

Quomodo amor ſanctus, rediens in animam, reuiuiſcere facit omnia opera, quæ peccatum priuârat vitâ, vel potius mortificauerat.

Capvt XII.

Opera igitur, quæ peccator facit, dum priuatus eſt diuino amore, non proſunt vnquam ad vitam æternam conſequendam, ideoque nuncupantur opera mortua; iuſti autem è contrario nominantur viua, eò quòd diuinus amor ea animet & viuificet ſuâ dignitate. Quod ſi deinde perdant vitam, & valorem per peccatum ſuperueniens, dicuntur opera ſine vita, extincta, vel mortificata, non autem mortua, maximè ſi quæſtio ſit de electis. Nam quemadmodum Saluator loquens in Euangelio de parua Talitha Iairi, dicit
non eſſe mortuam, ſed ſolùmmodo dormire, quia cùm mox eſſet reſuſcitanda, eius mors tam exiguo tempore erat futura, vt videretur potius ſomnus, quàm vera mors: ita opera iuſtorum, & præſertim electorum, quibus ſuperueniens peccatum infert mortem, non dicuntur opera mortua, ſed ſolùm extincta, mortificata, ſopita, aut deliquium paſſa: nam proximo reditu ſanctæ dilectionis debent, aut minimùm poſſunt ſtatim reuiuiſcere, & ad vitam reſuſcitari. Reuerſio peccati au-

Marci 5 40.

fert cordi vitam & omnia bona opera; reuerſio autem gratiæ, reddit cordi vitam cum omnibus ſuis operibus.

Hyems rigida mortificat omnes omnium camporum plantas, ita vt ſi ſemper duraret, ſemper etiam illæ in eodem ſtatu mortis manerent. Peccatum, triſtis & admodum horrida hyems animæ, mortificat omnia bona opera, quæ inuenit; et ſi ſemper duraret, nihil vnquam reciperet vitam, neque vigorem; at reuertente iucundo veris tempore, non ſolum noua ſemina in terram iacta, in fauorem eximiæ & fœcundæ tempeſtatis, pullulant, & gemmas gratas protrudunt, quodlibet iuxta ſuam ſpeciem, & naturam; ſed etiam antiquæ plantæ, quas aſperitas ſuperioris hyemis flaccidas, ſiccas & marcidas reddiderat, reuireſcunt, vigorem recipiunt, imò virtutem & vitam: eodem modo cùm peccatum fuerit abolitum & exterminatum, & gratia diuini amoris redierit in animam, non ſolùm nouæ affectiones, quas reditus ſacri veris adfert, germinant & producunt multa merita cæleſtium benedictionum; ſed opera languida & putrida ſub rigente hyeme præteriti peccati velut liberata à ſuo mortali hoſte, reſumunt priſtinas vires & vigorem animi, & velut reſuſcitata, denuo florent & fructificant, productis meritis ad conſequendam vitam æternam. Talis eſt omnipotentia cæleſtis amoris, vel amor cæleſtis omnipotentiæ: *Si impius auertat ſe à ſua impietate, & faciat iudicium & iuſtitiam, animam ſuam viuificabit: conuertimini & pœnitentiam agite ab iniquitatibus veſtris, & iniquitas veſtra non erit vobis in ruinam*, dicit Dominus omnipotens; & quid eſt dicere, *non erit vobis*, niſi quòd ruinæ, quas fecerat, reparabuntur? ſic præter infinita propè beneuolentiæ ſigna, quæ filius prodigus recepit á ſuo Patre, reſtitutus fuit & condecoratus maioribus ornamentis, gratijs, fauoribus & dignitatibus, quibus ſe ipſum ſuâ malâ vitâ ſpoliarât, quàm ante.

Et Iob innocens, imago pœnitentis peccatoris poſt amiſſionem omnium bonorum duplo plura recepit. Certè ſacrum Concilium Tridentinum vult, vt animentur pœnitentes reuerſi ad ſacram dilectionem æterni Dei, per hæc Apoſtoli verba: *abundetis in omne opus bonum, ſcientes laborem veſtrum non eſſe inutilem in Domino, non enim iniuſtus* 2. Cor. 6. v. 9. & ſeq.
eſt DEVS, vt obliuiſcatur opera veſtra & dilectionem, quam oſtendiſtis in eius nomine. Deus igitur non obliuiſcitur opera eorum, qui cùm amiſerint dilectionem per peccatum, eam recipiunt per pœnitentiam. Obliuiſcitur

autem

autem Deus opera, quando amittunt ſua merita & ſanctitatem per peccatum ſuccedens in animam, expulsâ gratiâ; eorum autem recordatur, quando redeunt ad vitam & valorem per ſancti amoris præſentiam; ſic vt fideles recipiant compenſationem ſuorum bonorum operum, tam per incrementum gratiæ & futuræ gloriæ, quàm per actualem fruitionem vitæ æternæ: non autem eſt neceſſarium, vt quis non relabatur in peccatum, ſed ſatis eſt ſecundum Concilium Tridentinum, quòd moriatur in gratia & charitate.

Promiſit Deus compẽſaturum ſe æterno præmio opera hominis iuſti: *ſed ſi iuſtus auertat ſe à iuſtitia ſua per peccatum, DEVS obliuioni tradet eius iuſtitias, & bona opera, quæ fecerat.* Quodſi nihilominus homo fragilis labatur in peccatum, ac deinde reſurgat ac reuertatur ad amorem diuinum per pœnitentiam, Deus non vltra recordabitur eius peccati; & ſi non recordabitur vltra peccati, ergo recordabitur bonorum operum præcedentium & compenſæ, quam illis promiſerat: equidem peccatum, quod ſolùm ſuſtulerat memoriam diuinam, omnino eſt obliteratum, abolitum, & annihilatum, ſic vt tunc iuſtitia Dei obliget miſericordiam, vel potius miſericordia Dei obliget iuſtitiam, vt denuo reſpiciat bona opera præterita, quaſi is illa nunquam tradidiſſet obliuioni; alioquin ſacer pœnitens Dauid non auſus fuiſſet dicere Domino ſuo: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me:* Pſa. 50. v. 13. Nam, vt vides, non ſolùm requirit nouum ſpiritum, & nouum cor, ſed contendit vt ſibi reddatur lætitia, quam peccatum rapuerat. Hæc autem lætitia aliud non eſt quam vinum cæleſtis amoris, quod lætificat cor hominis.

Non ſic tamen philoſophandum eſt de peccato, ſicut de operibus charitatis: nam opera iuſti non obliterantur, non abolentur, non annihilantur per peccatum ſuperueniens, ſed ſolùmmodo obliuioni traduntur: at peccatum hominis iniqui non ſolùm traditur obliuioni, ſed obliteratur, mundatur, deletur & annihilatur per ſanctam pœnitentiam. Hinc eſt quòd peccatum ſuperueniens iuſto non facit reuiuiſcere peccata alias condonata, quia omnino redacta fuerunt in nihilum; ſed amor rediens in animam pœnitentis reuiuiſcere facit ſancta opera aliàs facta, eò quòd non erant abolita, ſed ſolùm obliuioni tradita. Et hæc obliuio bonorum operum hominum

iuſto-

juſtorum, poſtquam deſeruerunt juſtitiam & dilectionem, conſiſtit in hoc, quòd illa effecta ſunt nobis inutilia, quamdiu ob peccatum ſumus incapaces vitæ æternæ, quæ eorum eſt fructus. Et propterea ſimulatque per regreſſum charitatis reponimur in numero & dignitate filiorum Dei, & conſequenter efficimur idonei ad recipiendam immortalem gloriam, Deus recordatur noſtrorum antiquorum bonorum operum, quæ denuo efficiuntur fructuoſa. Non eſt autem conſentaneum, vt peccatum tantùm habeat virium contra charitatem, quantum habet charitas contra peccatum. Nam peccatum procedit ex noſtra infirmitate, charitas autem ex poteſtate diuina. Si peccatum abundat malitiâ ad perdendum; gratia ſuperabundat ad reparandum; & Dei miſericordia, per quam delet peccatum, exaltat ſe ſemper, & gloriosè triumphantem ſe reddit contra rigorem Judicij, per quod Deus oblitus erat bonorum operum, quæ præcedebant peccatum. Ita ſemper in curanda ſanitate temporali, quam Dominus noſter per miraculum conferebat, non ſolùm reddebat ſanitatem, ſed etiam conferebat nouas benedictiones, faciebatq; ſanitatem potenter dominari infirmitati; tam erat ille liberalis & benignus in homines!

Quod Veſpæ, œſtra, vel muſcæ, & alia parua nociua animalcula, quando ſemel ſunt mortua poſſint reuiuiſcere, & vitam recipere, nunquam vidi, nunquam legi, nec etiam vnquam audiui dici: ſed quòd apes, muſcæ vtiles & bonæ, poſſint reſuſcitari, nemo non dicit, & ego ipſe pluries legi. Dicitur (verba ſunt Plinij) quòd ſeruando earum, quæ ſubmerſæ fuerunt, corpora mortua, in domo totâ hyeme, & vbi aduenerit ver, ad ſolem exponendo, contectæ cineribus arboris ficûs, reſuſcitentur, & æquè bonæ & vtiles ſint vt ante. Quod autem iniquitates & maligna opera reuiuiſcere poſſint (poſtquam per pœnitentiam fuerunt ſubmerſa & abolita) verè, Theotime, nunquam Scriptura, nunquam vllus Theologus dixit, quantum quidem ſcio. Quinimò contrarium auctoritate ſacri verbi & communi conſenſu Doctorum ſtabilitum & firmatum eſt. Sed quòd opera ſancta, quæ, vt ſuaues apes, faciunt mel meriti, eſto fuerint ſubmerſa in peccato, poſſint poſtea reuiuiſcere, quando cooperta cineribus pœnitentiæ exponuntur ad ſolem gratiæ & charitatis, omnes Theologi dicunt, & docent clariſſimè. Et tunc dubitandum non eſt, quin ſint vtilia & fructuoſa, ſicuti ante peccatum.

Digitized by Google

catum. Quando Nabuzardan deſtruxit Hieruſalem, & Iſrael ductus eſt in captiuitatem, ignis ſacer altaris abſconditus fuit in vno puteo, in quo ſe conuertit in lutum, quod lutum extractum ex puteo & repoſitum ad ſolé(quando reuerſi fuerant ex captiuitate Iſraelitæ)ignis mortuus excitatus & reſuſcitatus eſt,& lutum conuerſum fuit in flamas. Cùm homo iuſtus mancipium peccati factus eſt, omnia bona opera quæ fecerat,miſerabiliter traduntur obliuioni, & rediguntur in lutum; ſed in egreſſu è captiuitate, quando ſcilicet per pœnitentiam redit in gratiam, & conſequitur dilectionem diuinam, eius bona opera præcedentia extrahuntur ex puteo obliuionis, & tacta radijs miſericordiæ cæleſtis reuiuiſcunt, & in flammas tam claras ſe conuertunt, quàm vnquam alias fuerunt, vt reponantur ſuper ſacrum diuinæ approbationis altare, & habeant primum valorem, primam dignitatem, & primum pretium.

Quomodo debeamus reducere omnem praxin virtutum & actionum noſtrarum ad amorem ſanctum.

CAPVT XIII.

BEſtiæ nequeunt cognoſcere finem ſuarum actionum; tendunt tamen ad eum, ſed eum non prætendunt, &, quod idem eſt, non ex electione in eum tendunt: prætendere enim, eſt tendere in rem aliquam ex inſtituto antequam re ipſa, ſeu effectu in eam tendatur. Illæ iaciunt ſuas actiones in ſuum finem, ſed eum neq; præcogitant, neq; præmeditantur,verùm nullâ præmiſsâ electione inſtinctu ſolummodo ſequuntur. Homo autem ita eſt Dominus ſuarum actionum humanarum, vel rationalium, vt omnes propter aliquem finem faciat, eáſque valeat deſtinare & dirigere ad vnum, aut ad plures fines particulares, prout illi videtur. Nam poteſt mutare finem naturalem alicuius actionis, ſicuti quando iurat, vt decipiat: cùm finis iuramenti ſit contrarius, impedire ſcilicet deceptionem: poteſt & ad finem naturalem alicuius actionis adijcere aliquem alterius generis finem, ſicut, quando, præter intentionem ſuccurrendi pauperi, in quem tendit eleemoſyna,

moſyna, adiungit intentionem, obligandi indigentem, ad ſimile beneficium præſtandum.

Adiungimus autem nonnunquam finem minoris perfectionis, quàm ſit finis noſtræ actionis: quandoq; etiam adijcimus finem æqualem vel ſimilem perfectioni, & quandoq; inſuper adhibemus finem aliquem eminentiorem & illuſtriorem.

Nam præter auxilium, quo iuuamus indigentem, in quem eleemoſyna ſpecialiter tendit, quidnî quiſpiam poſſit prætendere, primò acquirere amicitiam, ſecundò bonum exemplum exhibere proximo, & tertiò placere Deo? qui ſunt tres diuerſi fines; eorum autem primus eſt minimus, ſecundus verò fere eiuſdem cum illo excellentiæ: Tertius autem longè eſt excellentior, quàm ordinarius finis dandæ eleemoſynæ. Atque ita poſſumus, vt vides, dare diuerſas perfectiones noſtris actionibus, iuxta varietatem motiuorum, finium & intentionum, quas nobis præfigimus, & intendimus eas producendo.

Monemur à Saluatore, vt ſimus boni negotiatores & ſerui fideles: aduertamus ergo diligenter, Theotime, ne mutemus motiua & finem noſtrarum actionum, niſi aliquid inde commodi & profectûs ſpiritualis habeamus; caueamus ſimiliter ne in hoc commercio bonum ordinem & rectæ rationis curſum perturbemus. En homo, qui & ad ſeruiendum Reipublicæ, & ad acquirendos honores publicum munus ſuſcipit; qui ſi magis intendit acquirere honores, quàm ſeruire Reipublicæ, vel æqualiter deſiderat vtrumque, errat, & fit ambitioſus; quia inuertit ordinem rationis, æquans aut etiam præferens commodum ſuum bono Republicæ; ſed ſi ſibi proponit pro fine principali ſeruire Reipublicæ, haud difficulter hoc agendo, augebit honorem ſuæ familiæ: in quo reprehendi non poteſt, quia non ſolùm duæ iſtæ intentiones ſunt honeſtæ, ſed ſunt etiam rationabiles. Alius communicat in paſchate, vt non notetur aut reprehendatur à ſuis vicinis, & vt Deo obediat: quis dubitat eum benefacere? ſed ſi communicet tàm, vel etiam magis, ad euitandam notam, & reprehenſionem, quàm ad obediendum Deo, nemo non dicet eum ineptiſsimè agere, æquantem vel præferentem reſpectum humanum obedientiæ, quam debet Deo. Poſſum ieiunare quadrageſimam vel per charitatem, ad placendum Deo, vel per obedientiam, quia Eccleſia ſic præſcribit, vel per ſobrietatem, aut per diligentiam,

gentiam, vt melius ſtudeam, vel per prudentiam, vt aliquid mihi reſeruem, vel per caſtitatem, vt corpus ſubijciatur ſpiritui, vel denique per Religionem, ad melius inſtituendam orationem. Itaque, ſi ego volo, poſſum iſtas omnes intentiones ſimul congregare & ob omnes eos fines ieiunare. Verùm in hoc bona politia tenenda eſt, in dirigendis motiuis: nam ſi ieiunarem magis principaliter ad aliquid reſeruandum, quàm ad obediendum Eccleſiæ, magis ad dandam operam litteris, quàm ad Deo placendum, quis tunc non aduerteret me ius & ordinem inuertere, ac etiam peruertere, præferentem meum commodum obedientiæ, quā præſtare debeo Eccleſiæ & diuino beneplacito? Ieiunare ad parcendum ſumptibus eſt bonum; ieiunare ad obſequendum Eccleſiæ eſt melius, ieiunare autem ad placendum Deo optimum. Sed quamuis videantur iſta tria bona non poſſe componere vllum malum, ſi tamen quis inordinatè, & non recto ordine ea collocaret, præferens minus bonum meliori, committeret ſine dubio inordinationem reprehenſibilem.

Homo, qui vnicum ex ſuis amicis inuitat, nullo pacto offendit alios, ſed ſi omnes inuitat, & det primos accubitus ijs, qui inferioris ſunt dignitatis, collocans honorabiliores in infimo loco, quis dubitat, quin tum hos, tum illos ſimul offendat? hos quidem, quia deprimit contra rationem; illos autem, quia exaltat, ſed nullo ſeruato decoro: ſic actionem aliquam facere propter vnicum motiuum rationabile, quantumuis ſit illud paruum, ratio non offenditur: ſed qui vult plura habere motiua, ea ſecundum dignitates aliaſq; circumſtantias debet ordinare; nam aliter faciens, peccat. Confuſio enim eſt peccatum, ſicut & peccatum confuſio. Qui vult placere Deo & Dominæ noſtræ, benefacit, ſed qui vellet placere Dominæ noſtræ æqualiter, vel pluſquam Deo, committeret confuſionem non tolerandam, & ei dici poſſet, quod dictum fuit Caino: *ſi bene obtuliſti, ſed male diuiſiſti, ceſſa, peccaſti.* Oportet igitur cuilibet fini locum conuenientem aſſignare, & conſequenter ei, qui principalis eſt, & qui maximè placet Deo.

Porrò ſupremum motiuum noſtrarum actionum, quod eſt cæleſtis amor, habet hanc eximiam proprietatem, quòd quò purius eſt motiuum, eò puriorem efficit actionem, quæ ab eo prouenit. Ita vt Angeli, & ſancti domus cæleſtis incolæ nullam rem ament propter

alium finem, quàm propter finem amoris diuinæ bonitatis, & per motiuum, quo volunt ei placere: amant ſiquidem omnes inter ſe ardentiſſimè, nos etiam amant, amant & virtutes, ſed totum hoc ſolum ad Deo placendum. Sequuntur & exercent virtutes, non quà ſunt illæ pulchræ & amabiles, ſed quà gratæ ſunt Deo; amant ſuam felicitatem, non quà illorum eſt, ſed quà illa placet Deo, imò etiam amant amorem, quo Deum amant, non quia in eis eſt, ſed quia tendit ad Deum, non quia eis dulcis eſt, ſed quia placet Deo, non quia illum habent & poſsident, ſed quia Deus illis eum dat, & ex hoc ſibi complacet.

Praxis eorum, quæ dicta ſunt ſuperiori Capite.

Capvt XIV.

Enitamur igitur, Theotime, totis viribus, vt omnes noſtræ intentiones ſint quàm puriſſimæ; & ſiquidem poſſumus affundere ſuper omnes virtutum actiones ſacrum aliquod diuini amoris motiuum, quid ni id faciamus, reijciendo quacunque occaſione concurrente, omne genus motiuorũ vitioſorum, vti eſt vana gloria, vti proprium commodum, & accuratè conſiderantes omnia bona motiua, quæ habere poſſumus ad aggrediendum actionem, quæ ſe tunc offert, eligamus motiuum ſancti amoris, quod eſt omnium excellentiſſimum ad aſpergenda & condienda omnia illius cæleſti rore? exempli causa; ſi periculis belli volo me ſtrenuè exponere, poſſum id facere conſiderando diuerſa motiua: nam naturale motiuum iſtius actionis, eſt motiuum fortitudinis & ſtrenuitatis, cuius eſt rationem inducere ad res periculoſas ſuſcipiendas. Sed præter illud, plura alia eſſe poſſunt motiua, vt obedientiæ aduerſum principem, cui ſum ab obſequijs; amoris erga Rempublicam, magnanimitatis item; quod in me efficit, mihi vt placeã in magnitudine ſuſceptæ actionis. Dum igitur ventum fuerit ad actionem, aggrediar periculum incitatus & impulſus omnibus iſtis motiuis, ſed vt omnia attollam ad gradum diuini amoris, & ea perfectè ab omni labe ſiniſtræ intentionis purificem, dicam in animo ex toto corde meo: ò æterne Deus, qui es puriſſimus & chariſſimus amor

mea-

mearum affectionum, ſi ſtrenuitas, ſi obedientia exhibita principi, amor in patriam, ſi magnanimitas tibi grata, & accepta non eſſent, nunquam eorum motiones, quas nunc ſentio, proſequerer; ſed quia virtutes iſtæ tibi placent, aggredior actionem hanc, vt eam in praxin reducam, & nolo ego obſecundare inſtinctui huic, & inclinationi, niſi quia tu ea motiua amas, & adimpleri deſideras.

En, vides, Theotime, nos in hac ſpiritus reflexione, & quaſi reditu omnia alia motiua odore & ſuauitate ſancti amoris ſuffire, ijs denique vim & virtutem addere: ea ſiquidem non ſequimur quà motiua ſimpliciter virtutem continentia, ſed quà motiua volita, accepta, amata & dilecta Deo. Qui furatur vt ſe inebriet, magis eſt ebrioſus, quàm fur, ſecundum Ariſtotelem. Ergo qui ſtrenuitatem, obedientiam, affectum erga patriam, magnanimitatem ad Deo placendum exercet, magis eſt amator Dei, quàm ſtrenuus miles, quàm obediens, quàm bonus ciuis & magnanimus, eò quòd tota eius voluntas in hoc exercitio fertur, atque terminatur in Dei amore, dùm ad alium finem non adhibet alia omnia motiua, quàm ad finem hunc, quo de agimus, obtinendum. Non dicimus nos ire Lugdunum, ſed Pariſios, quando non alia de cauſa imus Lugdunum, quàm vt pergamus Pariſios; neque etiam dicimus nos ire cantatum, ſed ire nos Deo ſeruitum, quando imus cantaturi ſolùm ad Deo ſeruiendum.

Quod ſi quandoque tangamur motiuo aliquo particulari, vt exempli cauſa, ſi contingeret nos amare caſtitatem ob eximiam & gratioſam eius puritatem, ſtatim ſuper hoc motiuum affundendum eſt motiuum diuini amoris hunc in modum: ò honeſtiſſime & delicioſiſſime candor caſtitatis, quàm es amabilis & amandus, ſiquidem tantū amaris á diuina bonitate, deinde vertendo ſe ad Creatorem, dicendum eſt: ò Domine, rem vnicam à te peto, ea autem eſt, quam requiro in caſtitate, intueri & exerceri in illa tuum beneplacitum, ſimul & delicias, quas ex ea capis. Et quando intramus in exercitia virtutum, ſæpe ex toto corde dicere debemus: ita Pater æterne, hoc faciam, quia ſic placitum fuit ab omni æternitate ante te. Taliter ſpiritu beneplaciti diuini animandæ ſunt omnes actiones noſtræ; id autem comprimis fit amando honeſtatem & pulchritudinem virtutum, quia id eſt gratum

Deo. Nam, chare mi Theotime, inueniuntur nonnulli homines, qui vehementer amando pulchritudinem alicuius virtutis, non ſolùm non amant charitatem, ſed etiam contemnunt. Origines & Tertullianus taliter amârunt candorem caſtitatis, vt principales charitatis leges violârint. Vnus enim potius elegit ſe contaminare pudendâ idololatriâ, quàm perpeti horribilem turpitudinem, quâ tyranni eius corpus defœdare volebant; alter ſeparare ſe à caſtiſſima Eccleſia Cathólica Matre ſua, vt melius, ſuo iudicio, mulieris caſtitati conſuleretur. Quis neſcit pauperes de Lugduno, laudando & extollendo vltra modum mendicitatem, factos hæreticos, & ex mendicis extremæ notæ nebulones? Quis neſcit vanitatem Enthuſiaſtarum, Maſſilienſium, Enchitarum, qui dilectionem & charitatem dereliquerunt, vt orationem iactarent? Quis neſcit extitiſſe hæreticos, qui, vt exaltarent charitatem in pauperes, deprimebant charitatem in Deum, attribuendo omnem hominum ſalutem virtuti eleemoſynæ, ſicut teſtatur ſanctus Auguſtinus, licet Apoſtolus prorſus clamet contrarium: *Si quis det omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus, & charitatem non habeat, nihil illi prodeſt.*

Deus ſuæ charitatis vexillum ſupra ſe extulit, inquit ſacra Sulamitis. Amor, Theotime, eſt vexillum in exercitu virtutum, eò omnes ſe ad illud recipere debent; eſt enim ſolum & vnicum ſub quo Dominus noſter, qui ſolus eſt Dux generalis iſtius exercitûs, facit eas pugnare. Reducamus igitur omnes virtutes ad obedientiam charitatis; amemus omnes quidem particulares virtutes, ſed eo maximè nomine, quòd ſint gratæ Deo; amemus tamen excellentius excellentiores, non quia ſunt excellentiores, ſed quia Deus illas amat excellentius. Si ſic agemus, ſanctus amor omnes viuificabit, omnes efficiet amantes, amabiles & ſuperamabiles.

Quomo-

Quomodo charitas in ſe S. Spiritus dona comprehendat.

CAPVT XV.

VT mens humana facile ſequatur motus & inſtinctus rationis, quo ad felicitatem naturalem, quam iuxta leges honeſtatis prætendere poteſt, pertingat; PRIMÒ ei neceſſaria eſt temperantia ad inſolentes inclinationes ſenſualitatis reprimendas. SECUNDÒ iuſtitiâ etiam opus eſt, ad reddendum DEO, proximo, & ſibi ipſi id, ad quod obligatur; TERTIÒ fortitudo, ad difficultates, quæ facienti bonum quodpiam opus remoram iniiciunt, vincendas, & malum expellendum. QUARTÒ prudentia ad diſcernendum & diſpiciendum, quæ & qualia media ſint propria ad perueniendum ad bonum, & ad virtutem. QUINTÒ, ſcientiam etiam habere oportet ad cognoſcendum verum bonum, adque illud aſpirandum, & verum malum, ad illud euitandum & conſtanter reiiciendum. SEXTÒ intellectus accedat oportet, ad bene penetrandum prima & principalia fundamenta, ſeu principia pulchritudinis, & excellentiæ honeſtatis. SEPTIMÒ ET VLTIMO Sapientia minimè excludenda eſt, illius enim eſt muneris contemplari diuinitatem, primam omnis boni ſcaturiginem. Tales ſunt conditiones & qualitates, per quas ſpiritus efficitur ſuauis, obediens & flexibilis aduerſum leges rationis naturalis, quæ in nobis eſt.

Sic, Theotime, Spiritus ſanctus, qui habitat in nobis, volens reddere animas noſtras humiles, tractabiles, & obſequentes diuinis ſuis motionibus, & cæleſtibus inſpirationibus (quæ ſunt leges eius amoris, in quarum obſeruatione conſiſtit felicitas ſupernaturalis huius vitæ præſentis) communicat nobis proprietates & perfectiones fere pares ſeptem illis, quas iam recenſuimus, quæ tùm in ſacra Scriptura, tùm in libris Theologicis, nuncupantur dona Spiritus ſancti.

Cæterùm, illæ non ſolum ſunt inſeparabiles à charitate, ſed omnibus bene conſideratis proprie loquendo, ſunt principales virtutes, proprietates & qualitates, ſeu circumſtantiæ charitatis. Primò enim SA-

PIENTIA

pientia re ipſa non eſt aliud, quàm ipſe amor, qui delibat, deguſtat, & experitur, quàm ſuauis ſit Deus; ſecundò intellectus non eſt aliud, quàm amor attentus ad conſiderandam & penetrandam pulchritudinem veritatum fidei, quò cognoſcat Deum in ſe ipſo, & deinde deſcendens longo gradu, cum conſideret in creaturis. Tertiò scientia è contrario non eſt aliud, quàm idem amor, quo reddimur attenti & accurati ad percipiendam & hauriendam noſtri ipſorum, & creaturarum cognitionem, vt rurſum faciat nos aſcendere ad perfectiorem cognitionem obſequij, quod Deo debemus. Quartò Consilium etiam eſt amor, quà per illud efficimur ſoliciti, attenti & habiles ad bene & ſanctè eligenda media, Dei ſeruitio propria. Quintò Fortitudo eſt amor, qui extimulat & animat cor, ad exequendum id, quod conſilium determinauit faciendum. Sextò Pietas eſt amor, qui ſubleuat & ſuauem reddit laborem, & facit vt ex toto corde & animo comprimis grato, nec non filiali ex affectu opera noſtra impendamus ad placendum Deo Patri noſtro. Septimò, pro concluſione Timor non eſt res alia, quàm amor, qui nos fugere & euitare facit id, quod ingratum eſt diuinæ Maieſtati.

Sic, Theotime, charitas erit nobis altera Jacobi Patriarchæ ſcala, compoſita ſeptem donis ſpiritûs ſancti, velut totidem ſacris gradibus, per quos homines Angelici aſcendent è terra ad cælum, vnituri ſe Dei omnipotentis pectori, & deſcendent è cælo in terram apprehenſuri & conducturi proximum ad ipſiuſmet cæli ſummitatem. Nam aſcendendo ad primum gradum, timor facit nos derelinquere malum; ad ſecundum pietas excitat nos, vt velimus complecti bonum, ad tertium, ſcientia facit nos cognoſcere bonum faciendum, & malum fugiendum: ad quartum per fortitudinem animamur contra omnes difficultates, quæ in noſtris reperiuntur cœptis, & propoſitis: ad quintum, per conſilium eligimus media propria ad hæc; ad ſextum vnimus noſtrũ intellectum Deo ad videnda & penetranda lineamenta, & ductus penicilli infinitæ pulchritudinis; ad ſeptimum denique iungimus noſtram voluntatem Deo, vt guſtemus & experiamur ſuauitates incomprehenſibilis eius bonitatis: nam ſummitati iſtius ſcalæ incumbens Deus verſus nos, nobis amoris figit oſcula, & ſacratiſsima ſuauitatis vbera, quæ meliora ſunt vino, ſugere nos facit.

Verùm

Verùm, ſi poſt quam fruiti ſumus delicioſè fauoribus amoroſis ac cæleſtibus, velimus reuerti in terram ad trahendum proximum ad felicitatem primi gradùs, & deinde ad ſupremi delicias, vbi repleuimus voluntatem noſtram ardentiſsimo zelo, & ſuauiſsimo ſupremæ Dei charitatis ſuffitu recreauimus, deſcendimus ad ſecundum gradum, vbi noſter intellectus accipit claritatem nulli ſecundam, & prouidet ſibi de conceptibus maximis, excellentiſſimiſque, pro gloria pulchritudinis diuinæ bonitatis; inde venimus ad tertium, vbi per donum conſilij conſideramus media, quibus inſpiremus in animas proximorum guſtum, & æſtimationem diuinæ ſuauitatis: ad quartum, nos ipſos animamus, recipientes ſanctam fortitudinem, ad ſuperandas & tranſcendendas omnes difficultates, quæ eſſe poſſunt in re ad Dei gloriam ſuſcepta: ad quintum, incipimus prædicare & concionari per donum ſcientiæ, exhortantes animas ad ſequelam virtutum, & ad fugam vitiorum; ad ſextum, ijſdem ſanctam PIETATEM imprimere conamur, vt cognoſcentes Deum vt Patrem amantiſſimum, eidem filiali timore ad nutum obediant, & ad vltimum gradum eos nos vrgemus timore iudiciorum Dei, vt miſcendo hunc damnationis timorem cum reuerentia filiali, ardentius deſerant terram, ad conſcendenda nobiſcum beatorum domicilia. Charitas interim comprehendit ſeptem dona, & refert pulchrum florem liliorum, qui habet ſex folia niue candidiora, & in eius medio pulchros, imò aureos ſapientiæ malleolos, qui in corda noſtra guſtus & ſapores ſuauiſſimos incutiunt bonitatis Patris noſtri Creatoris, miſericordiæ filij noſtri Redemptoris, nec non ſuauitatis ſancti Spiritus noſtri Sanctificatoris. Et ſic ego pono duplicem timorem in duobus vltimis gradibus, vt concordem omnes tranſlationes cum ſacra editione ordinaria. Nam ſi in Hebræorum textu vocabulum TIMORIS bis repetatur, non fit id ſine myſterio, ſed ad oſtendendum vnum eſſe donum timoris filialis, (qui aliud non eſt, quàm donum pietatis) & donum timoris ſeruilis, quod eſt principium totius noſtræ profectionis ad ſupremam ſapientiam.

Digitized by Google

De amoroſo timore ſponſarum, continuando inceptum diſcurſum.

Caput XVI.

Reg. 2. v. 26. D*Oleo ſuper te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis ſuper amorem mulierum,* flens dicebat Dauid, quaſi dicere voluiſſet; tu maiorem amorem merebaris, quàm habeant vxores aduerſus ſuos maritos. Omnia excellentia ſunt rara: imaginare tibi, Theotime, ſponſam corde columbino, quæ habeat perfectionem amoris nuptialis: amor eius eſt incomparabilis non ſolùm in excellentia, ſed etiam in magna varietate eximiarum affectionum, aliarumque eximiarum circumſtantiarum, quæ eum concomitantur. Eſt non ſolùm caſtus, ſed & pudicus; eſt item fortis, ſed gratioſus; eſt violentus, ſed tener: eſt ardens ſed reuerens: generoſus, ſed timoratus; audax, ſed obediens; & eius timor totus quantus mixtus eſt delicioſæ confidentiæ, talis certè eſt timor animæ habentis excellentem dilectionem: nam tam ſecura eſt de ſuprema bonitate ſui ſponſi; vt non timeat eum perdere, ſed nihilominus timet aliquantulum, ne non ſatis fruatur eius diuinâ præſentiâ, & ne illa occaſione quapiam vel ad momentum ſe abſentet. Confidit illa nunquam ſe ei diſplicituram, ſed timet ne non ei tantum placeat, quantum amor exigit. Amor eius eſt fortior & animoſior, quàm vt in aliquam intret ſuſpicionem, quòd minore apud eum polleat, vel aliquando pollere poſſit gratiâ: Sed eſt etiam ita attentus, vt timeat, ne non ſatis ſit ei vnita. Quin imò anima ſubinde ad tantam venit perfectionem, vt non amplius timeat, ne non ſatis ſit ei vnita, confirmante eam amore, quòd ſemper ſic vnita manebit; ſed timet ne vnio iſta ſit minus pura, minus ſimplex, & attenta; quàm eius amor eam facit prætendere. Admiranda hæc amatrix eſt, quæ vellet non amare guſtus, neque virtutum delicias, ſicut nec conſolationes ſpirituales, timens ne (eſto vel vnico temporis momento) diuertatur ab amore, quem habet erga ſuum dilectum, proteſtans eum ipſum eſſe, & non eius bona, quem illa requirit. Et ea de cauſa clamat, in hunc modum:

Indica

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

A timore hoc diuinarum ſponſarum tactæ fuerunt magnæ illæ animæ: S. Paulus, S. Franciſcus, S. Catharina Genuenſis, & alij quàm plurimi, qui nullam admixtionem in ſuis amoribus admittebant, ſed eos ita puros, ita ſimplices, ita perfectos efficere conabantur, vt neq; conſolationes, neq; virtutes ipſæ locum haberent inter eorum cor, & Deum; ita vt dicere potuerint: *Viuo ego, ſed non amplius in me ipſo, ſed IESVS Chriſtus viuit in me:* Deus meus eſt omnia, quicquid Deus non eſt, mihi nihil eſt, Iesus Christus eſt vita mea: amor meus eſt crucifixus, & ſimilia verba ex intimo ſenſu, quaſi exſtatici dicebant.

Cæterùm timor initialis, vel addiſcens procedit quidem ex vero amore, ſed amore adhuc tenero, debili, & incipiente: timor autem filialis procedit ex amore firmo, ſolido etiam tendente ad perfectionem: ſed timor ſponſarum prouenit ab excellentia & perfectione amoroſa iam omnino acquiſita. Quantum autem ad timores ſeruorum & mercenariorum, non procedunt equidem ab amore, ſed ordinariè præcedunt ipſum amorem, vt ei ſint inſtar prodromorum & hoſpitij deſignatorum, vti alibi diximus: & iſti ſæpe ſunt perutiles eius ſeruitio. Videbis nonnunquam, Theotime, quampiam honeſtam matronam nolentem panem otioſam comedere, (ſicuti non comedit illa, quam Salomon tantopere laudauit) fila ſericea in colorum pulchra varietate ſupra candidiſſimum Attalicum pannum attexere, vt conficiat Phrygium aliquod opus plurimis, pulcherrimiſque floribus contextum: quod poſtea multo auro & argento exornat & illuminat, juxta exigentiam rei ſubſtratæ. Opus hoc conficit acu, quâ materiam ſubjectam transfigit, artificiosè inducens ſericum, aurum, & argentum: veruntamen acus non infigitur in pannũ Attalicum, vt infixa in illo relinquatur, ſed ſolummodo vt per illam introducatur ſericum aurum, & argentum; eáq; ita tranſitus ijs paretur, vt quâ menſurâ ornamenta hæc intrant ſubſtratum pannum, eâdem & ipſa acus inde extrahatur.

Ita diuina bonitas volens in anima humana collocare magnam virtutum diuerſitatem, & tandem eas exornare ſacro ſuo amore, vtitur acu timoris ſeruilis & mercenarij, quâ ordinariè omnium primò corda noſtra punguntur: ſed in ijs non relinquitur, ſed ſicut virtutes in ani-

mam inducuntur, & in ea collocantur; ita timor ſeruilis & mercenarius ex eadem exeritur, iuxta dictum dilecti diſcipuli: *Perfecta charitas foras pellit timorem.* Omnino ſic eſt, Theotime: nam cum timores damnationis & amiſſionis beatitudinis ſint horribiles, pleniq́ue anguſtiarum, quomodo poſsint manere cum ſacra dilectione, quæ tota quanta eſt dulcis & iucunda?

Quomodo timor ſeruilis maneat cum amore diuino?

Capvt XVII.

Licet Matrona illa, de qua nobis fuit ſermo, nolit acum relinquere in opere, vbi ei ſupremam manum impoſuerit; tamen dum adhuc laborat in eo perficiendo, ſi alia aliqua res occurrat facienda, ob quam cogatur ab eo ceſſare, relinquit acum infixam in flore imperfecto, puta betonica, roſa aliqua, vel flore Iouis (quem alii vocant herbam Trinitatis) vel quocunque alio, qui ei prætexenti verſatur in manibus, vt rediens ad opus ſuum, ſtatim dictam acum in promptu habeat. Eodem modo, Theotime, dum diuina prouidentia, virtutum prętexturam, & opus ſui amoris in animabus noſtris facit, ſemper in eo relinquit timorem ſeruilem, vel mercenarium, vſque dum charitate omnibus ſuis numeris conſtante, tollat pungentem illam acum, & reponat in ſuo glomere. In hac igitur vita, in qua noſtra charitas nunquam ita futura eſt perfecta, vt exempta ſit à periculo, ſemper timore opus habemus; & etiam dum gaudio exilimus per amorem, debemus contremiſcere per apprehenſionem timoris.
pſal. 2. 10. *Erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.*

Magnus Patriarcha Abraham ſeruum ſuum Eliezer miſit ad eligendam & adducendam vxorem filio ſuo vnico Iſaaco. Perrexit Eliezer, & cælitùs inſtructus elegit pulchram & caſtam Rebeccam, quam ſecum ad domum ſui Domini Abraham adduxit; ſed ſapiens & nobilis virgo, ſimulatque obuium habuit Iſaac, Eliezer dereliquit, & cum in conclaue Saræ introducta eſſet, manſit ſemper poſtea ſponſa, & vxor Iſaac. Devs ſæpe mittit timorem ſeruilem velut alterum Eliezer (Elie-

zer autem

rer autem deſignat etiam Dei adiutorium) ad tractandum matrimonium inter ipſammet virtutem timorem, & diuinum amorem. Quòd ſi anima venit ſub conductu timoris, non id fit ex eo, quòd illa velit illi nubere: nam reipsâ, ſimulátque anima obuium habet amorem, ei illa ſe vnit, & deſerit timorem.

Sed notes Theotime, quòd ſicut domum reuerſus Eliezer manſit in obſequijs Iſaac & Rebeccæ: eodem modo timor poſtquam nos adduxit ad amorem, maneat nobiſcum, vt datâ occaſione ſeruiat, tùm amori, tùm animæ amoroſæ. Nam anima quamuis iuſta, ſæpe ſæpius magnis tentationibus inuaditur; & amor quantumuis ſit animoſus, multum habet negotij, vt ſe bene conſeruet propter conditionem loci, in quo eſt. Eſt autem cor humanum varium, & ſubiectum rebellionibus paſsionum. Tunc igitur, Theotime, amor timorem adhibet pugnæ, eiuſque vtitur opera, ad repellendum inimicum. Strenuus Princeps Jonathas aggreſſurus Philiſthæos inter nocturnas tenebras, voluit ſuum armigerum habere ſecum, vt quos ipſe non occideret, ſequens armiger occideret. Sic amor volens aliquid audaciùs aggredi, non ſolùm propria ſua adhibet motiua, ſed etiam motiua timoris ſeruilis & mercenarij; & tentationes quas amor non profligat, timor damnationis proſternit. Si tentatio ſuperbiæ, auaritiæ, vel delectatio aliqua carnalis me inuadat: hem! dicam ego: poſsibiléne eſt, vt propter res vanas & turpes cor meum derelinquere velit gratiam ſui dilecti? & ſi hoc ad retrahendum à malo non ſufficiat amor timorem excitabit: nónne vides ô miſerandum cor, quòd obſequens & obtemperans iſti tentationi, terrificæ inferni flammæ te expectent, & quòd huic pugnæ ſuccumbendo perdas æternam beatitudinis hæreditatem? Tali in caſu extrema quæque adhibentur remedia: ſicut & ipſe Jonathas fecit, quando pertranſiens aſperas rupes, quæ inter illum, & Philiſtæos erant interiectæ, non ſolùm adhibebat pedes ad gradiendum, ſed & arreptabat, & prorepebat manibus, prout exigebat neceſsitas.

Quemadmodum igitur Nautæ, qui è portu ſoluunt, flante Fauonio, & tempeſtate propitiâ, non ideo omittunt vnquam accipere rudentes, anchoras, & alia requiſita tempore aduerſantis tempeſtatis; ita, quamuis Seruus Dei vtatur magnâ quiete & ſuauitate ſancti amoris, non ideo debet, inquam, eſſe ſine timore diuinorum iudiciorum; ſed in

Digitized by Google

promptu eum habere, vt exundantibus procellis, & inſurgentibus tentationum fluctibus, illo vti poſſit. Adde, quòd quemadmodum putamen, ſeu cortex alicuius pomi, ex ſe alioquin non magni momenti, ſeruit tamen ad conſeruandum pomum, quod tegit; ita timor ſeruilis, manens in propria ſua conditione & natura, non eſt magni valoris, ſi cum diuino amore comparetur: ei tamen plurimùm prodeſt ad ſui conſeruationem, dum inſtant pericula huius vitæ mortalis. Et ſicut is, qui dat pomum granatum, dat quidem illud propter grana & ſuccum, quæ ei inſunt, non intermittit tamen etiam dare corticem, velut rem ab eo dependentem; ſimili modo, licet Spiritus ſanctus inter ſacra ſua dona conferat donum timoris amoroſi animabus ſuorum ſeruorum, vt illæ omni pietate timeant, & colant Deum, vti Patrem & Sponſum ſuum: tamen non intermittit dare etiam timorem ſeruilem, & mercenarium, vt acceſſorium alterius excellentioris. Sic Joſeph Patriarcha mittens patri ſuo munera ex omnibus Ægypti diuitijs, non ſolùm dedit ei theſauros, vt principale munus, ſed etiam aſinos, qui onera bajularent.

Quamuis autem timor ſeruilis & mercenarius plurimùm ſit vtilis pro hac vita mortali, nihilominus non meretur locum habere in æterna & immortali, in qua erit ſecuritas ſine timore, pax ſine diffidentia, quies ſine cura & ſolicitudine. Veruntamen obſequia, quæ hi timores ſeruiles & mercenarij amori præſtiterunt, ibi compenſabuntur: ita licet hi timores, velut alij Moyſes & Aaron, non intrent terram promiſſionis, eorum tamen poſteritas, & opera, geſtaque intrabunt. Quantum ad timores filiorum & ſponſorum, habebunt ij ordinem, & gradum ſuæ dignitatis: non ad exhibendam aliquam diffidentiam, vel perplexitatem animæ, ſed vt faciant illam admirari, & reuereri magna cum ſubmiſſione incompræhenſibilem maieſtatem æterni Patris, & ſimul ſponſi gloriæ. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.*

Pſal. 18 10.

Quomodo

Quomodo amor vtatur timore naturali, ſeruili & mercenario?

Capvt XVIII.

FVlgetra, tonitrua, fulmina, tempeſtates, inundationes, terræ motus, & alia ſimilia inopinata accidentia etiam impijſſimos quoſque excitant ad Devm timendum, & natura præueniens omnem diſcurſum in talibus caſibus, cor, oculos, & manus impellit verſus cælum, vt à ſanctiſſima diuinitate opem & auxilium implorent, ſecundùm communem humani generis ſenſum, qui eſt, inquit Titus Liuius, quòd ij, qui ſeruiunt diuinitati, proſperentur; qui autem illam contemnunt, affligantur. In procella illa, in qua Ionas periclitatus eſt, nautæ magno timore timuerunt, & ſubitò clamârunt, & inuocârunt quilibet Devm ſuum. Ignorabant, dicit ſanctus Hieronymus, veritatem, ſed agnoſcebant prouidentiam, credebantque iudicio diuino fieri quòd in periculo ſubmerſionis, & vitæ eſſent conſtituti. Sicuti olim habitatores Melitæ inſulæ, quando viderunt ſanctum Paulum periculo naufragij ereptum, inuadi vipera, crediderunt id diuinâ vindictâ illi euenire.

Ita tonitrua, tempeſtates, fulmina vocantur per Pſalmiſtam voces Dei; & inſuper dicit, quòd ſint verba illius, eò quòd denuncient timorē, & ſint velut miniſtri eius iuſtitiæ. Et alibi exoptans, vt diuina maieſtas timorē incutiat ſuis inimicis: *fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.* Vbi fulgura vocat ſagittas, & tela Domini Dei. Pſ. 143. v. 6.
Et ante Pſalmiſtam, proba Samuelis Prophetæ mater iam decantauerat futurum, vt ipſi Dei inimici eum timerent, ſi ſuper eos de cælo tonaret. Certè Plato ipſe in ſuo Gorgia, & alibi teſtatur inter Paganos eſſe aliquem ſenſum timoris, non ſolùm propter plagas caſtigationis, quas ſuprema Dei iuſtitia infligit in hoc mundo, ſed etiam propter punitionum pœnas, quas in altera vita exercet in animas eorum, qui enormia & incurabilia habent peccata. Tam profundè inſculptus eſt inſtinctus timendi diuinitatem in natura humana.

Hic

Hic tamen timor, qui exercetur per modum terroris & inuaſionis cuiuſdam, aut ſenſûs naturalis, non eſt neque laudabilis, neque vituperabilis in nobis, ex noſtra ſiquidem electione non prouenit: eſt nihilominus effectus optimæ cauſæ, & cauſa optimi effectûs: prouenit enim ille timor ex notitia naturali, quam Deus de ſua prouidentia nobis communicat, & nos cognoſcere facit quantopere dependeamus à ſumma, & abſoluta eius potentia, nos inuitando, vt eam imploremus. Quid multis? in anima fideli timor hic conſtitutus plurima ibi operatur bona. Chriſtiani inter terrores & conſternationes, quas tonitrua, tempeſtates, aliaque pericula naturalia illis incutiunt, inuocant Sacrvm Iesu & Mariæ nomen, muniunt ſe ſigno crucis, in genua ante Devm ſe proſternunt, & quamplurimos actus fidei, ſpei & religionis exercent. Glorioſus S. Thomas de Aquino, cùm naturaliter ſubiectus eſſet terrori, quando audiebat tonitru, ſolebat per modum orationis iaculatoriæ pronunciare diuina verba, quæ Eccleſia ſummè æſtimat: Verbum caro factvm est. Vi iſtius timoris amor diuinus perſæpe facit actus com-
Pſ. 138 v. 14. placentiæ, & beneuolentiæ. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: Et*
Pſal. 2. v. 10. *nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

At alius eſt timor, qui originem habet ex fide, quæ nos docet & poſt vitam hanc mortalem eſſe ſupplicia horribiliter æterna, vel æternaliter horribilia pro iis, qui in mundo hoc diuinam offenderint maieſtatem, & hinc deceſſerint eâ ſibi non reconciliatâ; & in hora mortis animas iudicio particulari eſſe iudicandas, & in fine mundi reſuſcitatas in corpore comparituras, vt iterum iudicentur in iudicio vniuerſali. Nam iſtæ veritates Chriſtianæ, Theotime; cordi humano, dum eas conſiderat, horribilem incutiunt timorem & tremorem. Quis enim ſibi repræſentans horrores æternos, ex eorum apprehenſione non turbetur & contremiſcat? Quando igitur hi ſenſus timoris ita in animis noſtris inualeſcunt, vt ex finibus noſtris exterminent, propellantque affectionem & voluntatem peccati, vt ſacrum Tridentinum Concilium loquitúr, ſunt illi magnopere ſalutares. *Nos concepimus* ex timore tuo ô Deus, *& peperimus ſpiritum ſalutis,* dicitur apud Iſaiam: id eſt facies tua irata nos terruit, & nos fecit concipere & parere ſpiritum pœnitentiæ, qui eſt ſpiritus

Digitized by Google

ritũ ſalutis, vti dixerat Pſalmiſta: *non eſt pax oſsibus meis, ſed ea contremiſcunt à facie iræ tuæ.*

Etſi Chriſtus Saluator, venerit vt adferret nobis legem amoris, non intermiſit tamen nobis inculcare legem timoris, *Timete,* inquit, *illum, qui poteſt corpus & animam perdere in Gehennam.* Niniuitæ per minas ſubuerſionis & damnationis egerunt pœnitentiam: quæ pœnitentia grata fuit Deo. In ſumma timor iſte comprehenſus eſt in donis Spiritus ſancti, vt plures ex antiquis Patribus notârunt. Quòd ſi timor non excludat voluntatem peccandi, nec affectionem ad peccatum, eſt profectò nequam, & ſimilis timori Dæmonum, qui ſæpe ceſſant nocere, timentes ne excrucientur exorciſmis, non intermittunt tamen deſiderare, & velle malum, quod perpetuò meditantur, ſimiles miſerabili cuipiam alligato triremi, qui vellet ſuum Patronum è medio tollere, cùm ne remum quidem timore verberum audeat deſerere: ſimilis etiam timori magni hæreſiarchæ elapſi ſæculi, qui confitetur ſe Deum odiſſe, eò quòd puniret homines nequam. Certè is qui amat peccatum, & libenter illud committeret contra Dei voluntatem, eſto id non velit committere, timens ſolummodo ne pœnis æternis addicatur, agitur timore ſeruili deteſtabilique: nam licet non velit peccatum exequi, habet tamen illam executionem in voluntate, ſiquidem vellet facere executionem, niſi timore cohiberetur, & quò minus ad effectum perueniat, vi ſolâ impeditur.

Caluini, qui vixit ſæculo 16.

Ad hunc timorem adiungi poteſt alius, minus quidem malitioſus, ſed tam inutilis, quàm fuit Judicis Felicis, qui audiens à S. Paulo ſermones de Iudicio diuino, fuit territus, ſed non ideò ceſſauit continuare ſuam auaritiam: ſimilis etiam Balthaſaris, *qui videns manum illam prodigioſam, quæ ſcribebat eius condemnationem contra parietem, fuit adeò exterritus, vt facies eius commumutata fuerit, & compages renum eius ſolutæ, eiuſque genua adinuicem colliſa:* nec tamen egit pœnitentiam. Ecquid amabò prodeſt timere malum, ſi per timorem ſtatutum non fuerit illud euitare?

Timor igitur eorum, qui velut ſerui & mancipia Dei legem obſeruant, ad euitandas Inferni pœnas, eſt bonus; ſed longè nobilior & deſiderabilior eſt timor mercenariorum Chriſtianorum, qui velut ſerui, pactâ mercede, fideliter laborant, non equidem principaliter propter aliquem amorem, quem iam habeant aduerſus ſuos Dominos, ſed vt

Digitized by Google

ſalarium compenſæ loco ſibi promiſſum conſequantur. *O ſi oculus videre, ſi auris audire poſſet, aut in cor hominis aſcendere, quæ Deus iis præparauit, qui ſibi ſeruiunt.* O quæ Religio, quæ apprehenſio, quod deſiderium inde non oriretur ſeruandi diuina præcepta, ne iactura fieret immortalium præmiorum, à Deo promiſſorum & præparatorum! Quæ lacrymæ, qui gemitus non funderentur, non emitterentur, commiſſo peccato aliquo, quo promiſsâ tam liberali mercede priuaremur? Tamen timor hic eſſet reprehenſibilis, ſi à ſe excluderet ſanctum amorem: qui enim diceret: nolo ſeruire Deo propter amorem aliquem, quo in eum ferar, ſed ſolùm vt præmia, quæ ille promittit, adipiſcar, eſſet blaſphemus, præferens compenſam Domino, bona benefactori, hæreditatem Patri, & commodum promiſſum Deo omnipotenti, vti fuſius oſtendimus libro ſecundo.

Verùm vt caput hoc concludam, quando timemus offendere Deum non ob euitandas Inferni flammas, vel amittendi Paradiſi delicias, ſed ſolummodò, quia cum Deus optimus ſit noſter Pater, ei honorem, reſpectum, & obedientiam debemus, tunc timor noſter eſt filialis, ſiquidem filius ingenuus non obedit Patri ſuo propter poteſtatem, quã agnoſcit illum habere ad puniendam ſuam inobedientiam, neq; etiam quia poteſt hæreditate priuare, ſed ſimpliciter, quia ſuus eſt Pater, & quãuis eſſet is ſenex, pauper, & virib⁹ deſtitutus non intermitteret ęquali diligentiâ, ſed velut pia ciconia, ei aſsiſteret, obſequia præſtaret, omni poſſibili curâ & affectione ei de neceſſarijs prouideret; Sicuti Joſeph videns optimum ſuum Parentem Jacob, ſenem, egentem, & ſub poteſtatem ſibi diuinitus collatam poſitum, non intermiſit honorare, ei ſeruire, cumque revereri teneritudine plus quàm filiali, imò tali, quam perpendentes apud ſe eius fratres, æſtimarét etiam poſt mortem Patris operaturam, ad obtinendam omnimodam delicti ſui in eum perpetrati, remiſſionem. Vnde & ei dixerunt: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Quibus auditis fleuit Ioſeph;* Tanta eius cor tactum fuit filiali teneritudine, repræſentato deſiderio, & voluntate Patris ſui. Illi igitur Deum timent affectu filiali, qui purè & ſimpliciter timent ei diſplicere, quia eſt eorum Pater ſuauiſſimus, benigniſsimus & amabiliſsimus.

Nihilominus quando euenit, vt timor hic filialis iunctus ſit, immixtus,

mixtus, & maceratus cum timore ſeruili damnationis æternæ, vel cum timore mercenario, ne à beatitudine excidatur, manet is Deo pergratus; & nuncupatur timor initialis, hoc eſt timor addiſcens & velut diſcipuli, qui ingreditur exercitia amoris diuini. Nam quemadmodum Iuuenes, qui primò incipiunt equitare, quando ſentiunt equum altius nonnihil ſaltare, non ſolùm conſtringunt genua, ſed & manibus apprehendunt ephippium, aſt quando paulò melius ſunt exercitati, manent ſolummodo firmi in ſuo ſitu: eodem modo Nouitij & Tirones in ſeruitio Dei, quando inter aſſultus, quos illis inimici inferunt in principio, ſe velut perditos deprehendunt, non ſolùm adhibent timorem filialem, ſed etiam mercenarium & ſeruilem; & vt poſſunt, ſe firmant, ne excidant à ſua intentione, & propoſito.

Quomodo amor ſacer comprehendat 12. fructus Spiritûs Sancti, cum octo beatitudinibus Euangelicis.

Capvt XIX.

GLorioſus Apoſtolus Paulus ſic dicit: *Fructus autem ſpiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Gal. 5. 22. Aduerte, Theotime, diuinum Apoſtolum numerantem 12. fructus Spiritus Sancti, eos ſolùm pro vnico fructu ponere: non enim dicit, fructus Spiritus Sancti ſunt charitas, gaudium &c, ſed ſolummodò fructus Spiritus eſt charitas, gaudium &c. Ecce autem myſterium iſtius modi loquendi S. Pauli: *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Charitas equidem vnicus fructus eſt Spiritus Sancti, ſed quia fructus iſte habet infinitatem excellentium proprietatum, Apoſtolus qui intendit nonnullas repræſentare per modũ ſpeciminis loquitur de hoc vnico fructu, vt de pluribus propter multitudinẽ proprietatũ, quas in ſua continet vnitate: & reciprocè loquitur de fructibus iſtis, vt de vno, & hoc ratione vnitatis, in qua comprehenſa eſt iſta varietas. Sicut ſi quis diceret, fructus vineæ eſt racemus, muſtum, vinum, aqua vitæ, liquor lætificans cor hominis, potus confortans ſtomachum. Hoc agendo non intenderet

Digitized by Google

dicere fructus ſpecie differentes, ſed ſolummodò, quamuis non ſit niſi vnus fructus, habet is tamen multas,& diuerſas proprietates ſecundùm quas diuerſimodè adhibetur.

Apoſtolus igitur aliud non intendit dicere, quàm quod fructus Spiritus Sancti ſit charitas, quæ læta eſt, pacifica, patiens, benigna, verecunda, magnanima, ſuauis, fidelis, modeſta, continens, caſta: quod eſt dicere à diuino amore nobis exhiberi lætitiam, & conſolationem interiorem cum magna pace cordis, quæ inter aduerſitates conſeruat ſe per patientiam, & quæ nos efficit gratioſos & benignos ad ſuccurrendum proximo, per bonitatem ſummè affectam erga illum; bonitatem inquā, quæ non eſt varia, ſed conſtans & perſeuerans, quia nobis communicat longanimitatem, cuius beneficio efficimur ſuaues, affabiles, & indulgentes, quantum ſatis eſt aduerſus omnes, ſufferendo eorum mores, diuerſos & imperfectiones, iiſque ſeruando perfectam fidelitatem; teſtificando ſimplicitatem concomitatam inſigni confidentiâ, tam in verbis quàm in actionibus, viuendo ciuiliter & modeſtè, reſecando omnes ſuperfluitates & inordinationes confuſioneſque in bibendo, comedendo, amiciendo, dormiendo, ludendo, animum vltra modum relaxando, & aliis huiuſmodi concupiſcentiis voluptuoſis per ſanctam continentiam, ſicut & reprimendo comprimis omnes inclinationes & ſeditiones carnis, per cautam & diligentem caſtitatem, vt totus noſter homo exterior occupatus ſit in diuina dilectione, tam interiùs per gaudium, per pacem, per patientiam, longanimitatem, & fidelitatem, quàm exteriùs per benignitatem, manſuetudinem, modeſtiam, continentiam & caſtitatem.

Vocatur autem dilectio fructus, quà nos delectat, & quà fruimur delicioſa eius ſuauitate, velut vero Paradiſi pomo, decerpto ex arbore vitæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, inſitus ſuper humanos noſtros ſpiritus, qui & habitat in nobis per infinitam ſuam miſericordiam; ſed quando non ſolùm nos delectamus in diuina dilectione, ejuſque dulcedine fruimur delicioſa, ſed inſuper omnem gloriam noſtram in illa ſtabilimus, vt in corona noſtri amoris; tunc non ſolùm eſt *fructus dulcis gutturi noſtro*, ſed etiam beatitudo & felicitas ſummè deſiderabilis, non tantùm, quia ſecuros illa nos reddit de felicitate alterius vitæ, ſed quia in hac mortali nobis communicat gaudium inæſtimabilis valoris; gaudium ita forte, vt aquæ tribulationum, & flumina perſecutionum illud

illud nequeant extinguere: imò non ſolùm perit, & non extinguitur, ſed diues euadit in media paupertate, ſe dilatat in abiectione & humilitate, lætatur inter lacrymas, fortius efficitur derelictum â iuſtitia, & priuatum omni eius ſuffragio, tunc quando illam inuocat, & nemo illi eam adminiſtrat; volupe ei eſt compati & commiſereri, dum circumdatum eſt miſeris & egentibus; mirè delectatur renunciando omnis generis delectationes ſenſuales, & mundanas, vt puritatem & nitorem cordis obtinere valeat, conatur ſopire bella, lites & contentiones, contemnere item dignitates, eaq; omnia quæ magni mundus æſtimat: & credit veram ſuam vitam conſiſtere in obeunda morte pro dilecto.

Atque ita, Theotime, ſanctiſſima dilectio eſt virtus, eſt donum, eſt fructus & beatitudo, quà virtus efficit nos obſequentes inſpirationibus exterioribus, quas Deus nobis exhibet ſuis mandatis & conſilijs; in quorum executione adhibentur omnes virtutes; Ideo dilectio eſt virtus aliarum omnium virtutum, quæ, quà donum, nos efficit humiles, faciles, & tractabiles, in inſpirationibus interioribus, quæ ſunt velut mandata & conſilia ſecreta Dei, in quorum executione, adhibentur ſeptem dona Spiritus ſancti, ſic vt dilectio ſemper ſit donum donorum: quà fructus, dat nobis guſtum, & delectationem quæ comprimis eſt in vſu in vita deuota: quæ in duodecim fructibus Spiritus ſancti inuenitur; ideoque eſt fructus fructuum omnium: quà beatitudo facit, vt ſummi fauoris & ſingularis honoris loco habeamus contemptus, calumnias, vituperia & opprobria, quæ nobis infert mundus; facit etiam nos relinquere, renunciare, & repellere omnem aliam gloriam, præter illam quæ procedit â dilecto crucifixo. Propter quam gloriamur in abiectione, abnegatione, & annihilatione noſtri ipſorum, dùm nolumus alias notas maieſtatis, quàm ſpineam coronam crucifixi, quàm ſceptrum eiuſdem arundineum, & purpuram, quæ ei per contemptum & ludibrium fuit iniecta, & thronum ejus crucis, in qua & ſuper quam crucem ſacri amatores plus habent gaudij, plus gloriæ & felicitatis, quàm vnquam Salomon in ſuo eburneo throno habuerit.

Sic dilectio ſæpe repræſentatur per malum granatum, quod trahens ſuas proprietates ex malo punica, dici poteſt virtus illius, ſicut inſuper videtur eſſe ejus donum, quod homini offert per amorem, & fructus; ſiquidem eo fine illud comeditur, vt guſtum hominis recreet; &

Digitized by Google

tandem, vt ita loquar, eſt eius gloria & beatitudo, coronam ſiquidem & diadema geſtat capite.

Quomodo diuinus amor adhibeat omnes paßiones & affectiones animæ, eaſq; reducat ad ſuam obedientiam.

Capvt XX.

AMor eſt vita cordis noſtri; & ſicut ſacoma ſeu pondus dat motus omnibus mobilibus horologij partibus, ita amor communicat animæ omnes, quos habet, motus. Omnes noſtræ affectiones noſtrum amorem ſequuntur: & ſecundùm illum deſideramus, gaudemus, ſperamus, deſperamus, timemus, animamur, odimus, fugimus nos ipſos, contriſtamur, iraſcimur, & triumphamus. Videmus enim eos, qui cor ſuum addixerunt, & velut in prædam dederunt amori vili, turpi & abiecto fœminarum, quomodo nihil deſiderent, niſi quòd ad obſcænum illum amorem facit, nullam delectationem habent, quàm in turpi hoc amore; nihil ſperant, neque deſperant, quam propter vilem amorem. Nihil item abhorrent, nihil fugiunt, neque euitant, niſi id, quod ab eo amore eos poteſt auertere: non afficiuntur triſtitiâ ob rem aliam, quàm ob eam, quæ illos ſordido illo amore poteſt priuare: nullam habent choleram, niſi ad æmulandum, nullos agunt triumphos, nulla efferuntur lætitiâ, niſi propter infamem iſtum amorem. Idem omnino dicendum eſt de amatoribus diuitiarum, de ambitioſis, & cupidis honorum. Penitus enim ſe effecerunt ſeruos & mancipia rei, quam amant: nihil proinde, quod cor in pectore, nihil quod animam in corde, nihil quod bonum affectum in mente indicet, gerunt, quàm quòd abiectum illorum amorem omnibus palàm faciat. Quando igitur diuinus amor regnat in noſtris cordibus, generoſè adinſtar Regis alicujus ſibi ſubijcit omnes alios amores voluntatis, & ex conſequenti omnes affectiones illius: quia ſequuntur naturaliter amorem. Deinde domat amorem ſenſualem, & reducens eum ad ſuum obſequium, trahit etiam

poſt

Digitized by Google

poſt illum omnes paſſiones ſenſuales. Paucis, ſacra hæc dilectio eſt aqua illa ſalutaris, de qua Chriſtus dicebat, *ſi quis biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum.* Sic eſt, Theotime, qui habebit Dei amorem paulò abundantius, non amplius habebit deſiderium, neque timorem, neque ſpem, neque gaudium, neq; lætitiam, niſi pro & propter Deum, & omnes ejus motus in ſolo amore cæleſti conquieſcent.

Diuinus, & proprius amor ſunt in noſtro corde, vti Iacob & Eſau erant in ventre Rebeccæ. Hi antipathiam & repugnantiam permagnam habent adinuicem; vnde ſe in corde collidunt aſſiduè. Hinc paupercula anima clamat: Heu! me miſeram, *quis me liberabit de corpore mortis huius*, vt ſolus Dei mei amor in me regnet pacificè? his non obſtantibus, nos animare debemus, ſperantes in verbo Chriſti, qui mandando promittit, & mandat promittendo victoriam ſuo amori: quin & videtur dicere animæ id, quod, dixit Rebeccæ: *duæ gentes in tuo Vtero, & duo populi ex Ventre tuo diuidentur: populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Gen 25. 23. Nam ſicuti Rebecca non habebat niſi duos infantes in ventre, ſed quia ex duobus iſtis naſci debebant duo populi, dictum eſt, eam habere duas gentes in ventre: ita anima habens in ſuo corde duos amores, habet conſequenter duas magnas colonias motuum, affectionum & paſſionum. Et ſicut duo iſti Rebeccæ infantes per contrarietatem ſuorum motuum magnas ei conuulſiones & dolores in ventre creabant, ita animæ noſtræ amores, magnos cordi noſtro pariunt dolores & moleſtias. Et ſicut dictum fuit, quod inter duos huius matronæ infantes maior ſeruire deberet minori; ita etiam ſtatutum & ordinatum fuit, vt vnus è duobus cordis noſtri amoribus, ſenſualis ſcilicet ſeruiret ſpirituali, id eſt, quòd amor proprius ſeruiturus eſſet amori diuino. Verùm, amabò, quando maior natu iſtorum populorum, qui erant in ventre Rebeccæ, ſeruiuit minori? Id certè non fuit, niſi poſtquam Dauid bello ſubiugauit Idumæos; & Salomon iјs in pace imperauit. O quando erit tempus illud, quo amor ſenſualis ſeruiet amori diuino? Theotime, erit, quando amor armatus vſque ad zelum pertigerit, *& manus eius iudicium arripuerit*, noſtraſque paſſiones ſibi planè ſubiecerit, ac per motificationem mancipauerit. Et hoc multò magis fiet, quando in ſupremo cælorum domicilio amor beatus animam noſtram in omnimoda pace poſsidebit.

Modus autem, quo amor diuinus ſubiugare debet appetitum ſenſualem,

ſualem, ſimilis eſt illi, quo Iacob Patriarcha vſus eſt, quando pro bono præſagio & principio eius, quod poſtea euenire debebat, Eſau egredientis è matris vtero, plantam pedis tenebat manu, quaſi ad eum proſternendum, diuaricatis eius pedibus, & ſupplantandum, ſibique ſubijciendum; vel, vt dicitur, per pedem tenendum eo modo, quo tenetur accipiter, cui Eſau, vt venator, & homo terribilis, erat ſimilis. Ita omnino amor diuinus videns in nobis naſci paſsionem aliquam, vel affectionem naturalem, citò eam apprehendere debet per pedem, & redigere in ſeruitutem, quæ illi eſt propria! Sed quid ſibi vult apprehendere per pedem? eſt illam ligare, & ad ſeruitium beneplaciti diuini adducere. Vides certè quomodo Moyſes transformabat ſerpentem in virgam, cum ſolummodo caudâ apprehendens. Eodem modo, amore dante bonum finem noſtris paſsionibus, accipiunt eæ conditionem & qualitatem virtutum.

Quæ & qualis igitur methodus tenenda eſt ad reducendas affectiones & paſſiones ad obſequium diuini amoris? medici methodici axioma hoc perpetuò vſurpant: *contraria contrarijs curantur*. Spagyrici autem celebrant ſententiam axiomati medicorum planè oppoſitam, & dicunt: *ſimilia ſanantur ſimilibus*, ſed quidquid ſit de hoc, ſcimus à rebus duabus propelli lumen ſtellarum: obſcuritate ſcilicet tenebrarum noctis, & magno ſolis lumine; eodem modo nos oppugnamus paſsiones, vel ijs opponendo paſsiones contrarias; vel certè ijs opponendo maiores affectiones eiuſdem generis cuius illæ ſunt. Si mihi ſuggeratur vana quæpiam ſpes, iſtâ hac repreſsione poſſum eius impetum cohibere, & vires infringere: *O homo inſenſate, ſuper quæ, & qualia fundamenta fabricas tu iſtam ſpem? nonnè vides, quòd magnus ille, in quem eam reponis, æquè ſit obnoxius morti, atq; tu? non noſti tu inſtabilitatem, debilitatem, & infidelitatem humanorum ingeniorum? Cor illud & animus, quem hodie prætendis ac præſumis tuum eſſe, cras alius mortalis ad ſe, & pro ſe attrahet. In quo igitur ſpem reponis tuam?* Poſſum etiam reſiſtere huic vanæ ſpei, ei opponendo ſpem longè ſolidiorem: *Spera in DEVM, ò anima mea, is enim eſt qui ſoluit pedem de laqueo venantium; nemo vnquam in eum ſperauit, & confuſus eſt: iacta proinde cogitatum tuum in res durabiles & æternas.* Ita etiam poſſum expugnare deſiderium diuitiarum, & voluptates mortalium per contemptum, quo dignæ ſunt, vel per deſiderium

rerum

rerum æternarum. Et hoc modo amor ſenſualis & terreſtris proſternetur per amorem cæleſtem, vel ſicuti ignis extinguitur per aquam, ob eius qualitates igni contrarias, vel ſicut extinguitur per ignem cæleſtem ob fortiores, & prædominantes eius qualitates.

Chriſtus Dominus vtitur vtraque methodo in ſanitatibus ſpiritualibus conferendis; ſanat ſuos diſcipulos à timore mundano, imprimendo eorum cordibus timorem illo longè ſuperiorem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. 28. Aliâ vice volens eos ſanare ab humili nimis lætitia, ijs demonſtrat ſublimiorem: *Nolite*, inquit, *gaudere quòd ſpiritus maligni ſubijciantur vobis, ſed de eo gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſint in cælo.* Et ipſemet etiam reijcit lætitiam per triſtitiam: *Væ vobis, qui ridetis, quia flerabitis.* Sic igitur diuinus amor ſupplantat & ſubijcit affectiones & paſsiones eas à fine, ad quem amor proprius eas ducit, auertendo, & ad ſuam prætenſionem ſpiritualem conuertendo. Et quemadmodum arcus cæleſtis tangens aſpalathum, ei tollit odorem, & alium ei impertitur excellentiorem; ita ſacer amor tangens noſtras paſſiones, ab ijs tollit finem terreſtrem, & ijſdem imprimit cæleſtem. Appetitus comedendi plurimùm efficitur ſpiritualis, ſi antequam exerceatur, ei ingeratur motiuum amoris. Hem! Domine mi, non ad obtemperandum & ſatisfaciendum miſero ventri, neque immortificato meo appetitui, ad menſam me confero; ſed iuxta tuam prouidentiam ad corpus hoc, quod mihi dediſti, ſubiectum humanæ miſeriæ, ſuſtentandum. Omnino Domine mi, quia ita tibi placuit. Si ſpero ſubſidium à quopiam meorum amicorum, quidni, loquar ſic? Domine, vitam noſtram creaſti, & creatam ſtabiliuiſti, vt vnus ab altero ſubſidium, ſolatium & conſolationem petere, & accipere poſſet; quia ergo ſic tibi placuit, vtar hoc homine, cuius amicitiam mihi tribuiſti eâ intentione. Iuſtáne eſt aliqua cauſa timendi? tu vis, ô Domine, me timere, vt media conuenientia capeſſam ad euitandum hoc inconueniens; lubens id faciam Domine, tuum ſiquidem beneplacitum hoc petit. Quid ſi timor ſit exceſſiuus? eheu, Pater æterne, quid timere poſſunt filij & pulli, qui ſub tuis alis viuunt & proteguntur? quod bene vertat, faciam quod eſt conueniens ad arcendum malum, quod timeo: ſed poſt hoc, Domine, tuus

ſum ego totus: ſalua me, ſi lubet; & quod euenerit mihi, accipiam: quia quidquid id erit, ex bona tua voluntate erit. O ſancta & ſacra alchimia, ò diuine puluis, per quem omnia metalla noſtrarum paſſionum, affectionum, actionumque conuertuntur in puriſſimum cæleſtis dilectionis aurum!

Quòd triſtitia ferè ſemper ſit inutilis, imò & contraria ſeruitio & obſequio diuini amoris.

CAPVT XXI.

SIcuti virgultum quercinum inſeri non poteſt pyro, tam pugnantes inter ſe duæ iſtæ arbores habent qualitates: ſic ira, cholera, & deſperatio nequeunt inſeri charitati; aut ſi queunt, perquam difficilè. Quoad iram, vidimus id in diſcurſu de zelo; quantùm autem ad deſperationem attinet, niſi reducatur ad iuſtam diffidentiam noſtri ipſorum, vel certè ad ſenſum & opinionem, quam habere debemus de vanitate, de infirmitate, & inconſtantia fauorum, auxiliorum, & promiſſionum fallacis mundi; non video quid ex ea obſequij diuinus amor habere poſsit.

Quòd attinet ad triſtitiam, quomodò poſſet eſſe vtilis ſanctæ charitati, ſiquidem inter fructus Sancti Spiritus lætitia charitati iuncta numeratur? nihilominus Apoſtolus ſic loquitur: *quæ enim ſecundum DEVM*
2. Cor *eſt triſtitia, pœnitentiã in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortẽ operatur.*
2. c. 7.
v. 10. Eſt igitur triſtitia aliqua ſecundum DEVM, quæ vel per peccatores in pœnitentia, vel per bonos in compaſsione, propter miſerias temporales proximi; vel per eos qui ad perfectionem magnum progreſſum fecerunt, in deploratione, compaſsione, & condolentia, propter calamitates ſpirituales animarum, exercetur. Nam Sancti, Dauid, Petrus, Magdalena, plorârunt propter ſua peccata; Agar etiam fleuit videns filium ſuum præ nimia ſiti animam agentem: Ieremias ſuper ruinam Hieroſolomitanæ ciuitatis, Chriſtus Dominus ſuper Iudæos, & magnus eius
Philip Apoſtolus gemendo hæc effatur verba: *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti.*
3. 19.

Eſt igitur

Eſt igitur vna aliqua triſtitia huius mundi, quæ prouenit pariter ex tribus cauſis. I. enim prouenit ſubinde ab inimico infernali, qui per mille ſuggeſtiones triſtes, melancholicas, & moleſtas obſcurat intellectum, languorem immittit voluntati, & turbat vniuerſum animæ ſtatum: quin & velut denſis nebulis replet caput, & pectus rheumate; & hoc modo reddit reſpirationem difficilem, & viatorem efficit perplexum: ita malignus ſpiritus replens ingenium humanum triſtibus cogitationibus, ei tollit tum facilitatem, tum felicitatem aſpirandi, prout vellet, ad Deum. Ingerit autem illi moleſtiam & puſillanimitatem maximam, vt eum inducat in deſperationem, ac, ſi poteſt, in interitum. Dicitur eſſe piſcis quidam nominatus piſcatorculus, qui & cognominatur diabolus maris. Is mouendo & impellendo huc & illuc fœces & limum marinum, turbat aquam circa ſe ipſum, vt in ea ſic turbata lateat, quaſi in inſidijs, è quibus ſimulatque conſpicit miſeros piſciculos adnatantes, in eos ruit, apprehendit, rapit, mactat, & deuorat. Inde fortaſſis natum eſt prouerbium, quo dicitur aliquis piſcari in aqua turbida. Cæterum idem dicendum de Diabolo infernali, quod de Diabolo marino: poſtquam enim is ſuas in triſtitia ſtruxit inſidias, & animam per innumera in multitudinem moleſtarum cogitationum, quas omni ex parte iacit & vibrat in intellectum, turbauit & velut obceo cauit, irruitq; poſtea in affectiones, eas obruens diffidentiâ, æmulatione, auerſione, inuidiâ, apprehenſione ſuperfluâ de peccatis præteritis, & ſuppeditans inſuper magno numero vanas, acerbas, & melancholicas ſubtilitates conatur inducere in animam ſic affectam, vt omnis generis rationes, & conſolationes reijciat ac reſpuat.

II. Triſtitia procedit etiam aliquando ex naturali conditione, dum ſcilicet humor melancholicus in nobis dominatur. Et hæc quidem in ſe ipſa non eſt vitioſa triſtitia; ſed iuratus noſter hoſtis eâ plurimum vtitur, vt ordiatur, texatque innumeras tentationes in animis noſtris. Nam quemadmodum araneæ nunquam fere ſuas texunt telas, niſi nubiloſo cælo; ſic malignus hic ſpiritus nunquam tantam habet facilitatem tendendi laqueos ſuarum ſuggeſtionum ſuauibus ingenijs, benignis, & lætis, quantam ingenijs, turbidis, triſtibus, & melancholicis. Nam facilè mouet angores, curas, & ſolicitudines, ſuſpiciones, odia, murmurationes,

murationes, cenſuras, inuidiam, pigritiam, & torporem ſpiritualem.

Tob. 5. 12. III. & vltimò vna eſt triſtitia, quam varietas humanorum accidentium nobis adfert. *Quod gaudium mihi erit, inquit Tobias, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Sic Iacob fuit triſtis accepto nuncio de morte filij ſui Ioſeph. Et Dauid propter mortem ſui Abſolonis. Cæterum triſtitia hæc communis eſt tam bonis, quàm malis; at in bonis eſt moderata, quia Dei voluntati aquiſcunt, eique ſe reſignant, vt vidimus in Tobia: qui pro omnibus aduerſitatibus, quibus exercitus fuit, gratias egit diuinæ maieſtati; & in Iob, qui afflict⁹ benedicit nomen Domini; quin & in Daniele, qui ſuos dolores conuertit in cantica, contrarium autem eſt in mundanis, quibus triſtitia hæc eſt ordinaria, & mutatur in diſplicentias, in deſperationes, & in animorum perturbationes, nec non in incogitantias; ſeu, quod idé eſt, in abſurdiſſima quæque, ſunt enim illi ſimiles cercopithecis, ſeu catis marinis, qui ſemper ſunt turbati, triſtes & moleſti, luna deficiente; ſicut è contrario, nouilunio incipiente, ſaltant, choreas ducunt, & ludicra quæque, ſimiarum inſtar exercent. Mundanus homo eſt herniοſus, querulοſus, barbaris moribus præditus, acerbus, & melancholicus, deficientibus proſperitatibus terrenis; affluentibus autem iuxta votum, ferè ſemper eſt ſuperbus, ſtupidus & inſolens.

Certè triſtitia veræ pænitentiæ, non tam debet nominari triſtitia, quàm diſplicentia, vel ſenſus, & deteſtatio mali: triſtitia, quæ nunquam eſt moleſta, nunquam acerba: triſtitia, quæ hominem non reddit ſtupidum, ſed actiuum, ſed operoſum, promptum & accuratum; triſtitia, quæ non deijcit cor, ſed attollit per orationem & ſpem, & facit vt homo ſe per feruorem, & deuotionem excitet; triſtitia, quæ ingruentibus amaritudinibus ſemper producit dulcedinem incomparabilium conſolationum, ſequens præceptum Diui Auguſtini: quod pænitens triſtis ſemper fiat, ſed ſemper etiam lætetur ob ſuam triſtitiam; triſtitia, inquit Caſſianus, quæ pænitentiam ſolidam operatur, & gratam pænitudinem, cuius neminem vnquam pænitet, eſt obediens, affabilis, humilis, mitis, ſuauis, patiens, quippe, quæ ortum habeat ex charitate: vnde extendens

Digitized by Google

dens ſe ad omnem corporis dolorem, & animæ contritionem, certo quodam modo lætatur, animatur, vigetque ſpe futuri profectus. Illa retinet omnem ſuauitatem, affabilitatem & longanimitatem, habens in ſe ipſa fructus Spiritus ſancti, quos recenſet ſanctus Paulus. Ij autem fructus Spiritus ſancti ſunt, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, cõtinentia.* Talis eſt vera pænitentia, talisque bona triſtitia: quæ profectò propriè loquendo non eſt triſtis, neque melancholica, ſed ſolùm attenta, & vigilans ad deteſtandum, reijciendum, & impediendum malum peccati, tum præteriti, tum futuri.

Videmus etiam perſæpe pænitentias valdè compreſſas, turbatas, impatientes, flebiles, amaras, ſuſpirantes, inquietas, comprimis aſperas & melancholicas, quæ tandem deprehenduntur infructuoſæ, & abſque vlla veræ emendationis ſequela; & hoc, quia non procedunt ex motiuis virtutis pænitentiæ, ſed ex amore proprio & naturali. Cùm triſtitia ſæculi mortem operetur, iuxta Apoſtolum, oportet, Theotime, accuratè eam euitare, & reijcere. Si eſt naturalis, debemus eam repellere opponendo nos eius motibus, eam diuertendo per exercitia ad hoc propria, vtendoque remedijs & modis viuendi, quæ medici ad hoc propoſitum idonea iudicabunt; ſi autem prouenit ex tentatione, cor candidè detegendum, aperiendum, atque denudandum eſt Patri Spirituali: qui media ad eam vincendam nobis præſcribet, ſicuti diximus in quarta parte Introductionis, ad vitam deuotam; ſi verò eſt accidentalis, recurrendum eſt ad id, quod notauimus libro 8. vt videatur quantoperè tribulationes ſint gratæ & acceptæ filijs Dei: & quòd magnitudo ſpei noſtræ in vita æterna debeat eò perfectionis nos deducere, vt omnia huius vitæ tranſitoriæ & temporalis nihili faciamus. Cæterùm inter omnes melancholias, & triſtitias, quæ nobis euenire poſſunt adhibenda eſt auctoritas ſuperioris voluntatis ad efficiendum quidquid erit poſſibile in fauorem diuini amoris. Sunt equidem aliquæ actiones, quæ omnino dependent à diſpoſitione, & complexione corporali, quæ proinde non ſunt in noſtra poteſtate, vt eas ad noſtrum nutum & voluntatem dirigamus, & componamus. Nam melancholicus quiſpiam neque oculos, neque verba, neque vultum, eâ cum gratia, & mo-

murationes, cenſuras, inuidiam, pigritiam, & torporem ſpiritualem.

III. & vltimò vna eſt triſtitia, quam varietas humanorum accidentium nobis adfert. *Quod gaudium mihi erit, inquit Tobias, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Sic Iacob fuit triſtis accepto nuncio de morte filij ſui Ioſeph. Et Dauid propter mortem ſui Abſolonis. Cæterum triſtitia hæc communis eſt tam bonis, quàm malis; at in bonis eſt moderata, quia Dei voluntati aquieſcunt, eique ſe reſignant, vt vidimus in Tobia: qui pro omnibus aduerſitatibus, quibus exercitus fuit, gratias egit diuinæ maieſtati; & in Iob, qui afflict⁹ benedicit nomen Domini; quin & in Daniele, qui ſuos dolores conuertit in cantica, contrarium autem eſt in mundanis, quibus triſtitia hæc eſt ordinaria, & mutatur in diſplicentias, in deſperationes, & in animorum perturbationes, nec non in incogitantias, ſeu, quod idē eſt, in abſurdiſſima quæque, ſunt enim illi ſimiles cercopithecis, ſeu catis marinis, qui ſemper ſunt turbati, triſtes & moleſti, luna deficiente; ſicut è contrario, nouilunio incipiente, ſaltant, choreas ducunt, & ludicra quæque, ſimiarum inſtar exercent. Mundanus homo eſt hernioſus, queruloſus, barbaris moribus præditus, acerbus, & melancholicus, deficientibus proſperitatibus terrenis; affluentibus autem iuxta votum, ferè ſemper eſt ſuperbus, ſtupidus & inſolens.

Tob. 5. 12.

Certè triſtitia veræ pænitentiæ, non tam debet nominari triſtitia, quàm diſplicentia, vel ſenſus, & deteſtatio mali: triſtitia, quæ nunquam eſt moleſta, nunquam acerba: triſtitia, quæ hominem non reddit ſtupidum, ſed actiuum, ſed operoſum, promptum & accuratum; triſtitia, quæ non deijcit cor, ſed attollit per orationem & ſpem, & facit vt homo ſe per feruorem, & deuotionem excitet; triſtitia, quæ ingruentibus amaritudinibus ſemper producit dulcedinem incomparabilium conſolationum, ſequens præceptum Diui Auguſtini: quod pænitens triſtis ſemper fiat, ſed ſemper etiam lætetur ob ſuam triſtitiam; triſtitia, inquit Caſſianus, quæ pænitentiam ſolidam operatur, & gratam pænitudinem, cuius neminem vnquam pænitet, eſt obediens, affabilis, humilis, mitis, ſuauis, patiens, quippe, quæ ortum habeat ex charitate: vnde extendens

deus ſe ad omnem corporis dolorem, & animæ contritionem, certo quodam modo lætatur, animatur, vigetque ſpe futuri profectûs. Illa retinet omnem ſuauitatem, affabilitatem & longanimitatem, habens in ſe ipſa fructus Spiritus ſancti, quos recenſet ſanctus Paulus. Ij autem fructus Spiritus ſancti ſunt, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, cõtinentia.* Talis eſt vera pænitentia, talisque bona triſtitia: quæ profectò propriè loquendo non eſt triſtis, neque melancholica, ſed ſolùm attenta, & vigilans ad deteſtandum, reijciendum, & impediendum malum peccati, tum præteriti, tum futuri.

Videmus etiam perſæpe pænitentias valdè compreſſas, turbatas, impatientes, flebiles, amaras, ſuſpirantes, inquietas, comprimis aſperas & melancholicas, quæ tandem deprehenduntur infructuoſæ, & abſque vlla veræ emendationis ſequela; & hoc, quia non procedunt ex motiuis virtutis pænitentiæ, ſed ex amore proprio & naturali. Cùm triſtitia ſæculi mortem operetur, iuxta Apoſtolum, oportet, Theotime, accuratè eam euitare, & reijcere. Si eſt naturalis, debemus eam repellere opponendo nos eius motibus, eam diuertendo per exercitia ad hoc propria, vtendoque remedijs & modis viuendi, quæ medici ad hoc propoſitum idonea iudicabunt; ſi autem prouenit ex tentatione, cor candidè detegendum, aperiendum, atque denudandum eſt Patri Spirituali: qui media ad eam vincendam nobis præſcribet, ſicuti diximus in quarta parte Introductionis, ad vitam deuotam; ſi verò eſt accidentalis, recurrendum eſt ad id, quod notauimus libro 8. vt videatur quantoperè tribulationes ſint gratæ & acceptæ filijs Dei: & quòd magnitudo ſpei noſtræ in vita æterna debeat eò perfectionis nos deducere, vt omnia huius vitæ tranſitoriæ & temporalis nihili faciamus. Cæterùm inter omnes melancholias, & triſtitias, quæ nobis euenire poſſunt adhibenda eſt auctoritas ſuperioris voluntatis ad efficiendum quidquid erit poſſibile in fauorem diuini amoris. Sunt equidem aliquæ actiones, quæ omnino dependent à diſpoſitione, & complexione corporali, quæ proinde non ſunt in noſtra poteſtate, vt eas ad noſtrum nutum & voluntatem dirigamus, & componamus. Nam melancholicus quiſpiam neque oculos, neque verba, neque vultum, eâ cum gratia, & mo-

murationes, cenſuras, inuidiam, pigritiam, & torporem ſpiritualem.

Tob. 5. 12. III. & vltimò vna eſt triſtitia, quam varietas humanorum accidentium nobis adfert. *Quod gaudium mihi erit, inquit Tobias, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Sic Iacob fuit triſtis accepto nuncio de morte filij ſui Ioſeph. Et Dauid propter mortem ſui Abſolonis. Cæterùm triſtitia hæc communis eſt tam bonis, quàm malis; at in bonis eſt moderata, quia Dei voluntati aquieſcunt, eique ſe reſignant, vt vidimus in Tobia: qui pro omnibus aduerſitatibus, quibus exercitus fuit, gratias egit diuinæ maieſtati; & in Iob, qui afflictꝰ benedicit nomen Domini; quin & in Daniele, qui ſuos dolores conuertit in cantica, contrarium autem eſt in mundanis, quibus triſtitia hæc eſt ordinaria, & mutatur in diſplicentias, in deſperationes, & in animorum perturbationes, nec non in incogitantias, ſeu, quod idē eſt, in abſurdiſſima quæque, ſunt enim illi ſimiles cercopithecis, ſeu catis marinis, qui ſemper ſunt turbati, triſtes & moleſti, luna deficiente; ſicut è contrario, nouilunio incipiente, ſaltant, choreas ducunt, & ludicra quæque, ſimiarum inſtar exercent. Mundanus homo eſt herníoſus, queruloſus, barbaris moribus præditus, acerbus, & melancholicus, deficientibus proſperitatibus terrenis; affluentibus autem iuxta votum, ferè ſemper eſt ſuperbus, ſtupidus & inſolens.

Certè triſtitia veræ pænitentiæ, non tam debet nominari triſtitia, quàm diſplicentia, vel ſenſus, & deteſtatio mali: triſtitia, quæ nunquam eſt moleſta, nunquam acerba: triſtitia, quæ hominem non reddit ſtupidum, ſed actiuum, ſed operoſum, promptum & accuratum; triſtitia, quæ non deijcit cor, ſed attollit per orationem & ſpem, & facit vt homo ſe per feruorem, & deuotionem excitet; triſtitia, quæ ingruentibus amaritudinibus ſemper producit dulcedinem incomparabilium conſolationum, ſequens præceptum Diui Auguſtini: quod pænitens triſtis ſemper fiat, ſed ſemper etiam lætetur ob ſuam triſtitiam; triſtitia, inquit Caſſianus, quæ pænitentiam ſolidam operatur, & gratam pænitudinem, cuius neminem vnquam pænitet, eſt obediens, affabilis, humilis, mitis, ſuauis, patiens, quippe, quæ ortum habeat ex charitate: vnde extendens

dens ſe ad omnem corporis dolorem, & animæ contritionem, certo quodam modo lætatur, animatur, vigetque ſpe futuri profectûs. Illa retinet omnem ſuauitatem, affabilitatem & longanimitatem, habens in ſe ipſa fructus Spiritus ſancti, quos recenſet ſanctus Paulus. Ij autem fructus Spiritus ſancti ſunt, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, cõtinentia*. Talis eſt vera pænitentia, talisque bona triſtitia: quæ profectò propriè loquendo non eſt triſtis, neque melancholica, ſed ſolùm attenta, & vigilans ad deteſtandum, reijciendum, & impediendum malum peccati, tum præteriti, tum futuri.

Videmus etiam perſæpe pænitentias valdè compreſſas, turbatas, impatientes, flebiles, amaras, ſuſpirantes, inquietas, comprimis aſperas & melancholicas, quæ tandem deprehenduntur infructuoſæ, & abſque vlla veræ emendationis ſequela; & hoc, quia non procedunt ex motiuis virtutis pænitentiæ, ſed ex amore proprio & naturali. Cùm triſtitia ſæculi mortem operetur, iuxta Apoſtolum, oportet, Theotime, accuratè eam euitare, & reijcere. Si eſt naturalis, debemus eam repellere opponendo nos eius motibus, eam diuertendo per exercitia ad hoc propria, vtendoque remedijs & modis viuendi, quæ medici ad hoc propoſitum idonea iudicabunt; ſi autem prouenit ex tentatione, cor candidè detegendum, aperiendum, atque denudandum eſt Patri Spirituali: qui media ad eam vincendam nobis præſcribet, ſicuti diximus in quarta parte Introductionis, ad vitam deuotam; ſi verò eſt accidentalis, recurrendum eſt ad id, quod notauimus libro 8. vt videatur quantoperè tribulationes ſint gratæ & acceptæ filijs Dei: & quòd magnitudo ſpei noſtræ in vita æterna debeat eò perfectionis nos deducere, vt omnia huius vitæ tranſitoriæ & temporalis nihili faciamus. Cæterùm inter omnes melancholias, & triſtitias, quæ nobis euenire poſſunt adhibenda eſt auctoritas ſuperioris voluntatis ad efficiendum quidquid erit poſſibile in fauorem diuini amoris. Sunt equidem aliquæ actiones, quæ omnino dependent à diſpoſitione, & complexione corporali, quæ proinde non ſunt in noſtra poteſtate, vt eas ad noſtrum nutum & voluntatem dirigamus; & componamus. Nam melancholicus quiſpiam neque oculos, neque verba, neque vultum, eâ cum gratia, & mo-

Digitized by Google

rum ſuauitate poteſt eo in ſtatu & ſitu tenere , quo teneret , ſi liber eſſet à malo humore & qualitate in eo prædominante. Poteſt tamen , eſto minori cum gratia, efferre & pronunciare verba gratioſa, bona & iucunda, & repugnante propriâ & naturali inclinatione, beneficio rationis, tum in verbis, tum in operibus charitatis, ſuauitatis,&conceſſionis, ac claritatis cauſâ, CONDESCENDENTIÆ, res conuenientes facere. Qui taliter eſt conſtitutus ſi non ſemper ſit hilaris, meretur veniam: nam in poteſtate noſtra non eſt habere hilaritatem quando volumus, ſed excuſabiles non ſumus ſi non ſemper ſimus boni, ſi non tractabiles, ſi & pro virili eos inter mortales non conemur induere mores, quos decet. Nam id ſemper eſt in noſtræ voluntatis poteſtate, & ſolùm opus eſt ad humorem iſtum malignum ſuperandum firmiter ſtatuere,& contrariam inclinationem aſsiduo ſtudio & conatu mortificare.

LIBER XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER DVODECIMVS.

COMPLECTENS ALIQVA MONITA, QVÆ IVVANT ANIMAM AD PROGREdiendum in ſancto amore.

Progreſſum in ſancto amore non dependere à complexione naturali.

CAPVT I.

MAGNVS quidam Religioſus noſtræ ætatis ſcripſit diſpoſitionem naturalem multùm ſeruire amori contemplatiuo, hominesq́ue affectiuæ & amabilis complexionis ad contemplandum cumprimis eſſe idoneos. Cæterùm non puto eum velle dicere amorem ſacrum, communicatum eſſe tùm hominibus, tum Angelis iuxta menſuram, & multò minus iuxta virtutem conditionum naturalium, neque etiam exiſtimo eum velle dicere diſtributionem amoris diuini factam hominibus, iuxta eorum qualitates & naturales habitudines; nam id eſſet mendacem facere ſacram Scripturam, & violare

regulam Eccleſiaſticam, per quam Pelagiani fuerunt declarati hæretici. Ad me quòd attinet, loquor de amore ſupernaturali, quem Deus diffundit in cordibus noſtris per bonitatem; cuius ſedes eſt in ſupremo mentis apice: in acumine inquam, quod eſt ſupra potentias animæ, & ſupra omne id, quod animam reſpicit: quod & independens eſt ab omni complexione naturali. Adde, quòd quamuis animæ inclinentur ad dilectionem, habeantque vna ex parte aliquam diſpoſitionem, quâ efficiuntur proniores, propenſiores, promptioreſque ad Deum amandum; alia tamen ex parte tam ſunt ſubiectæ per affectionem ad inhærendum pulchris creaturis, vt earum inclinatio illas tanto exponat periculo ſe auertendi, & diuertendi à ſacri amoris puritate, per permixtionem aliorum amorum, quantam habent facilitatem, & voluntatem Deum amandi: nam periculum male amandi, coniunctum eſt fælicitati amandi.

Verum tamen eſt animas ſic conſtitutas, vbi probè expurgatæ fuerint ab amore creaturarum, mirabilia quædam in ſancta dilectione patrare, amore diuino inueniente magnam facilitatem in omnes cordis facultates ſe dilatandi. Ex quo procedit gratiſſima ſuauitas, quæ in ijs, qui animam habent acerbam, aſperam, melancholicâ & ſylueſtrem, non apparet. Nihilominus ſi duo homines quorum alter eſt amabilis & ſuauis, alter tetricus & amarus (ſic ferente vtriuſque natura) habeant æqualem charitatem, amabunt dubio procul Deum æqualiter, ſed non ſimiliter, cor enim naturâ ſuaue & mite amabit facilius, amabilius, & ſuauius, ſed non ſolidiùs, neque perfectius. Amor autem natus in medijs ſpinis & repugnantijs, naturâ erit quidem aſper & ſiccus, ſed fortior, ſpecioſior & glorioſior; alter autem erit delicioſior & gratioſior. Nihil ergo, vel parùm refert, quòd quis naturaliter ſit diſpoſitus ad amorem, quando eſt quæſtio de amore ſupernaturali, & per quem tantum agitur ſupernaturaliter; hoc ſolum, Theotime, dicerem libenter omnibus hominibus: O mortales ſi cor vobis ineſt inclinatum ad amorem, hem! quare non contenditis totis viribus ad amorem cæleſtem, & diuinum? ſi autem eſtis duro & amaro corde, eheu! miſeri homines, cur, ſi caretis amore naturali, non aſpiratis ad ſupernaturalem, quem peramanter vobis elargietur is, qui tam ſanctè vos inuitat ad amandum?

Quod

Digitized by Google

Quod oporteat habere continuum deſiderium amandi.

CAPVT II.

T*Heſaurizate vobis theſauros in cælo:* theſaurus vnus, ex ſententia, & voluntate Dilecti, mihi non ſufficit. Vult proinde nos vel plures habere theſauros, vel theſaurum noſtrum conſtare pluribus theſauris. Id eſt, Theotime, habere nos debere deſiderium inſatiabile DEUM amandi, iungendo ſemper nouam dilectionem veteri. Ecquid eſt obſecro quod tantopere vrget & premit apes ad mel augendum, niſi amor, quo in illud feruntur? O cor animæ meæ, quod creatum es, vt ames bonum infinitum, quem qualemque amorem potes, debeſq; deſiderare alium, quàm eum, qui omnium amorum eſt maximè deſiderabilis? O anima cordis mei, quod, qualeque deſiderium potes amare aliud, quàm deſiderium omnium amabiliſsimum? O amor ſacrorum deſideriorum! O deſiderium ſancti amoris! O quam *cupiui deſiderare iuſtificationes tuas!*

Infirmus nauſeans cibum non habet appetitum comedendi, ſed appetit habere appetitum: non deſiderat cibum, ſed deſiderat eum deſiderare. Theotime, ſcire, an nos DEUM amemus ſuper omnia, non eſt in noſtra poteſtate, niſi id DEUS nobis reuelet: ſed probè ſcire poſſumus, an deſideremus eum amare. Et quando nos ſentimus in nobis deſiderium habendi amorem ſacrum, ſcimus quòd incipiamus eum amare. Eſt pars ſenſualis & animalis noſtra, quæ appetit comedere, at rationalis quæ deſiderat iſtum appetitum: et quia pars ſenſualis non ſemper obedit parti rationali, euenit ſæpius vt appetitum deſideremus, & eum habere nequeamus.

At deſiderium amandi, & amor ipſe, dependent ab eadem voluntate: hinc fit vt ſimulatque formamus deſiderium amandi, incipiamus amorem habere; & quâ menſurâ deſiderium hoc creſcit, amor etiam eâdem augeri incipit. Qui deſiderat ardenter amorem, intra breue tempus amabit ardenter. O Theotime, quis hanc nobis præſtabit gratiam, vt ardeamus deſiderio quod proprium eſt pauperum, eorumque cordis præparatio, quos DEUS lubens exaudit? qui non eſt ſecurus

quód Deum amet, eſt pauper, & ſi deſideret amare, fit mendicus, ſed mendicus beatæ mendicitatis, de qua Saluator dicit: *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Talis fuit ſanctus Auguſtinus, quando exclamauit, *O amare! ô ambulare! ô mori ſibi ipſi! ô peruenire ad DEVM!* Talis ſanctus Franciſcus, dum dicebat: *O moriar tui amore, O amice cordis mei, qui dignatus es mori amore mei!* talis ſancta Catharina Senenſis, talis & beata Mater Thereſia, quando, velut ſpirituales ceruæ, anhelantes & morientes ſiti diuini amoris, hanc eiaculabantur vocem: *O Domine, da mihi hanc aquam.*

Auaritia temporalis, per quam auidè deſiderantur theſauri terreſtres, eſt radix omnium malorum; auaritia ſpiritualis, per quam ſine intermiſsione exoptatur purum ſacri amoris aurum, eſt radix omnium bonorum. Qui bene deſiderat dilectionem, bene eam requirit, qui bene eam requirit, bene etiam inuenit, qui bene inuenit, ſimul vitæ ſcaturiginem inuenit: ex qua *hauriet ſalutem à Domino.* Clamemus die noctéq; Theotime: *veni, ô veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & in iis ignem tui amoris accende.* O amor cæleſtis quando implebis animam meam?

Vt habeatur deſiderium ſacri amoris, oportet alia deſideria reſcindere.

CAPVT III.

VNde putas prouenire, Theotime, quòd canes veris tempore ſæpius amittant veſtigia ferarum, quàm quouis alio? ideò inquiunt Venatores & Philoſophi, quia, cùm tunc herbæ & flores in ſuo vigore exiſtant, odorum varietas, quos ex ſe emittunt, ita ſenſum & odoratum canum ſuffocat, vt odorem feræ inter tot diuerſos alios odores, quos tunc exhalat terra, nequeant deprehendere, multò autem minus conſtanter ſequi. Certè animæ, quæ continuè abundant deſiderijs, propoſitis, alijs atque alijs deſignationibus, nunquam deſiderant debitè ſanctum & cæleſtem amorem, neque amoroſa Dilecti cæleſtis (qui comparatur

paratur damæ & hinnulo ceruorum) veſtigia perſentiſcere poſſunt, vt oporteret.

Lilium nullam habet certam, & præſcriptam tempeſtatem, quâ flores ſuos emittat, ſed citò vel tardè floret ſecundùm quod profundè, aut minus profundè plantatur in terra. Nam ſi ſolùm ad altitudinem trium digitorum ponatur in terra, florebit quamprimùm; ſed ſi ad ſex, aut nouem profundè plantetur, ſemper tardius, ſeruatâ proportione, florebit. Si cor, quod adſpirat ad amorem diuinum, multùm ſit implicatum negotijs terrenis, & temporalibus, tardè admodum & difficulter florebit: ſed ſi non ſit in mundo, neque mundi rebus detineatur, niſi in quantum eius conditio requirit, videbis citò in dilectione illud florere, & gratum odorem longè lateque diſpergere.

Propter hoc Sancti, contemptis ſolicitudinibus mundanis, ſe in ſolitudines recipiebant, vt ſolidius ac ardentius amori cæleſti vacarent. Propter hoc ſacra Sponſa vnum ſuorum claudebat oculorum, vt viſum ſuum arctius, fortiuſque vniret in altero, rectiuſque hoc modo collinearet ad medium cordis ſui Dilecti, quem intendebat amore vulnerare. Propter hoc idem tenebat illa ſuam cæſariem adeo fortiter complicatam & coarctatam vittâ crinali, vt non niſi crinem vnum habere videretur: quo crine, velut catena quapiam ad ligandum, & ad ſe rapiendum cor Sponſi, quem ſuæ dilectionis vult reddere ſeruum & mancipium, vtatur.

Animæ quæ ſeriò deſiderant amare Deum, cohibent & retrahunt ſuum intellectum à diſcurſibus rerum mundanarum, vt eum ardentius meditationibus rerum diuinarum faciendis impendant: eædem animæ colligunt omnes ſuas prætenſiones & deſideria, ſub vna intentione, vnoque deſiderio, quod habent de Deo vnicè amando: ſciendum enim eſt eum, qui deſiderat rem quampiam, non in ordine ad amandum Deum, minus Deum amare.

Religioſus aliquis petijt à fratre Ægidio, quid facere poſſet, quod gratiſſimum eſſet Deo, reſpondit ille cantando: *Vna ad vnum, vna ad vnum*: quod eſt dicere, vna ſola anima circa vnum ſolum, Deum ſcilicet, debet ſe occupare. Tot amorum deſideria in corde vno habent ſe inſtar infantium vnam mammam ſugentium: qui cùm non poſſint omnes ſimul eam ſugere, adeò iam hic, iam alius premit, vt mammam præ-

paratur damæ & hinnulo ceruorum) veſtigia perſentiſcere poſſunt, vt oporteret.

Lilium nullam habet certam, & præſcriptam tempeſtatem, quâ flores ſuos emittat, ſed citò vel tardè floret ſecundùm quod profundè, aut minus profundè plantatur in terra. Nam ſi ſolùm ad altitudinem trium digitorum ponatur in terra, florebit quamprimùm; ſed ſi ad ſex, aut nouem profundè plantetur, ſemper tardius, ſeruatâ proportione, florebit. Si cor, quod adſpirat ad amorem diuinum, multùm ſit implicatum negotijs terrenis, & temporalibus, tardè admodum & difficulter florebit: ſed ſi non ſit in mundo, neque mundi rebus detineatur, niſi in quantum eius conditio requirit, videbis citò in dilectione illud florere, & gratum odorem longè lateque diſpergere.

Propter hoc Sancti, contemptis ſolicitudinibus mundanis, ſe in ſolitudines recipiebant, vt ſolidius ac ardentius amori cæleſti vacarent. Propter hoc ſacra Sponſa vnum ſuorum claudebat oculorum, vt viſum ſuum arctius, fortiuſque vniret in altero, rectiuſque hoc modo collinearet ad medium cordis ſui Dilecti, quem intendebat amore vulnerare. Propter hoc idem tenebat illa ſuam cæſariem adeo fortiter complicatam & coarctatam vittâ crinali, vt non niſi crinem vnum habere videretur: quo crine, velut catena quapiam ad ligandum, & ad ſe rapiendum cor Sponſi, quem ſuæ dilectionis vult reddere ſeruum & mancipium, vtatur.

Animæ quæ ſeriò deſiderant amare Deum, cohibent & retrahunt ſuum intellectum à diſcurſibus rerum mundanarum, vt eum ardentius meditationibus rerum diuinarum faciendis impendant: eædem animæ colligunt omnes ſuas prætenſiones & deſideria, ſub vna intentione, vnoque deſiderio, quod habent de Deo vnicè amando: ſciendum enim eſt eum, qui deſiderat rem quampiam, non in ordine ad amandum Deum, minus Deum amare.

Religioſus aliquis petijt à fratre Ægidio, quid facere poſſet, quod gratiſsimum eſſet Deo, reſpondit ille cantando: *Vna ad vnum, vna ad vnum*: quod eſt dicere, vna ſola anima circa vnum ſolum, Deum ſcilicet, debet ſe occupare. Tot amorum deſideria in corde vno habent ſe inſtar infantium vnam mammam ſugentium: qui cùm non poſsint omnes ſimul eam ſugere, adeò iam hic, iam alius premit, vt mammam præ-

benti inſignem pariant moleſtiam, tandemque vt areſcat, penituſque exſiccetur, efficiant. Qui prætendit frui diuino amore, omne ſuum otium, omne ſtudium, omnem animam, omneſque ſuas affectiones ſolicitè debet ad hoc reſeruare, & reſeruatas tempore & loco adhibere.

Quod occupationes legitimæ nos non impediant in vſu & praxi diuini amoris.

CAPVT IV.

CVrioſitas, ambitio, inquietudo cum inaduertentia & inconſideratione finis, propter quem ſumus in hoc mundo, in cauſa ſunt, quòd millies plura habeamus impedimenta, quàm negotia, plures obcurſitationes, quàm operationes; plus longè occupationis, quàm faciendi operis. Et hæc ſunt impedimenta ac remoræ, Theotime, id eſt inanes, vanæ, & ſuperfluæ occupationes, quibus dum nos inhæremus, ab iiſdem diuertimur, & auertimur ab amore diuino, quò fit, vt quæ vocationis noſtræ ſunt, negligamus. Rex Dauid, & poſt eum ſanctus Ludouicus inter innumera pericula, labores & negotia, quæ ſiue in pace, ſiue in bello habuerunt, non intermittebant verè cantare.
Pſ. 72. 25. *Quid mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? O DEVS cordis mei.*
Sanctus Bernardus non diminuebat progreſſum, quem in ſacro amore intendebat, & facere conſueuerat, eſto in medijs aulis & exercitibus ſummorum Principum & Monarcharum verſaretur: vbi toto corde ſe impendebat, vt negotia inter eos controuerſa pacificè componeret & ad DEI gloriam & obſequium reduceret. Mutabat quidem locum, ſed non animum, neque animus amorem, ſicut nec amor eius ſuum mutabat obiectum. Et, vt loquar ipſius linguâ, & ſermone: mutationes fiebant in illo, ſed non de illo: ſiquidem, licet eius occupationes multùm fuerint differentes, ipſe tamen ſemper, & in omnibus occupationibus erat indifferens, & ab omnibus occupationibus differens. Non recipiebat ille colorem negotiorum & conuerſationum, vti chamæleon colores locorum, in quibus verſatur, ſed totus & ſemper manebat DEO coniunctus,

Digitized by Google

ctus, ſemper omni puritate candidus, ſemper inſigni charitate rubicundus, nec non eximiâ humilitate plenus.

Probè calleo, Theotime, monitum Sapientum.

Exeat aulâ, qui volet eſſe pius.

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Hinc Iſraëlitæ iuſtiſſimam habebant cauſam ſe apud Babylonios, vrgentes, vt ſibi cantarent de canticis Sion, excuſandi & dicendi: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* At, aduertiſne etiam, miſeros illos homines fuiſſe non ſolùm inter Babylonios, ſed inſuper Babyloniorum captiuos? Quicunque autem eſt mancipium fauorum aulicorum, ſucceſſuum, & promotionum, palatiorum, nec non gloriæ bellorum, actum eſt, ò Deus, nequit ille cantare canticum diuini amoris. Verum eſt, qui non eſt in aulis, non in bellis, non in palatijs, niſi ad proba pro Dei honore præſtanda officia, Deus aſſiſtit, & dulcedo cæleſtis, ei eſt loco epithematis ſupra cor, ad eum à peſte, quæ paſsim in dictis locis regnat, præſeruandum.

Cùm peſtis grauiſsimè Mediolani graſſaretur, ſanctus Carolus nunquam detrectauit infectorum domos adire, ſicut nec eoſdem tangere. At, ſcire te volo, Theotime, ſolùm illas eum domos adiuiſſe, eoſque ſolùm tetigiſſe, quos vt adiret, tangeretque neceſsitas vrgebat, Deiq; gloria poſtulabat. Gratis enim ſi in pericula ſe dediſſet, ſeque citra veram neceſsitatem expoſuiſſet, iure timuiſſet, ne hoc eſſet Deum tentare. Et ſic nullo malo, diuinâ Prouidentia eum protegente, fuit correptus, quia in eam tam puram habebat confidentiam, vt neque temeritate aliqua, neque timiditate eſſet permiſta. Deo eodem modo curæ ſunt ij, qui frequentant aulas, palatia, ad bella ſe conferunt, moti ſola neceſſitate officio ſuo ſatis faciendi. Neque enim eo in genere, oportet nos ita eſſe timidos, vt bona & iuſta negotia propter timorem deſeramus; neque etiam ita audaces & præſumptuoſos, vt aulas, & palatia adeamus, caſtra ſequamur, in ijſque abſque expreſſa debiti officij exſoluendi, exequendique neceſsitate commoremur.

Exemplum

Exemplum amabile circa hoc argumentum.

Capvt V.

DEVS eſt innocens innocenti, bonus bono, ſincerus ſincero, tener aduerſus teneros. & ſuo ſubinde amore inducitur ad aliqua argumenta & ſigna dicamne ſancti amoris, an ſanctarum blanditiarum nonnullis animabus exhibenda, quæ animæ per quandam amoroſam puritatem & ſimplicitatem, velut paruuli infantes, ad eum ſe recipiunt, confugiuntque.

Die quodam ſancta Franciſca ? officiumBeatæ Virginis recitabat, quando quod ordinariè euenire ſolet, vt, ſi vel vnicum tantùm die toto expediendum ſit negotium, id orationis tempore maximè vrgeat, & orantem inquietet) ſancta hæc Matrona à ſuo marito, ad quoddam domeſticum opus conficiendum, fuit euocata : & quidem quatuor diuerſis vicibus cùm vellet reſumere inchoatam dicti officij recitationem, ab eodem ad idem opus fuit reuocata, & proinde coacta interumpere vnum eundemque verſiculum toties, quoties ad dictum opus perficiendum fuit reuocata : quo tandem abſoluto ; rediens ad ſuum officium ex obedientia toties relictum, totque iteratis vicibus reſumptum, inuenit verſiculum illum pulcherrimis characteribus aureis exaratum. Quem verſiculum pia eius Socia, illuſtris Matrona Vannociana iurauit, vidiſſe ſe conſcribi per chariſſimum eius Angelum cuſtodem. Et hoc ipſum poſtea à ſancto Paulo ipſi ſanctæ Franciſcæ eſt reuelatum.

Quæ eſt & qualis ſuauitas, Theotime, Sponſi cæleſtis aduerſus ſuauem & fidelem, ſuam dilectam ? Vides interim certè quòd occupationes vnicuique neceſſariæ, iuxta ſuam vocationem, non minuant amorem diuinum, ſed augeant, &, vt ita dicam opera deuotionis inaurent. Philomela non minus amat ſuam melodiam, quando pauſat & tacet, quàm quando cantat : cor deuotum non minus amat amorem, quando ob neceſſitates exteriores diſtrahitur, quàm quando Devm orat. Eorum ſilentium & vox, eorum actio & contemplatio, eorum occupatio & quies cantant æqualiter intra ſe canticum ſuæ dilectionis.

Adhiben-

Adhibendas & arripiendas eſſe omnes præſentes occaſiones, quæ inſeruiunt amori diuino exercendo.

Capvt VI.

SVnt nonnulli, qui faciunt propoſita exhibendi Chriſto obſequia comprimis excellentia, per actiones item excellentes, perque extraordinariam rerum aduerſarum tolerantiam; ſed actionum huiuſmodi & tolerantiæ rerum moleſtarum nec eſt præſens occaſio, nec fortè vnquam eſt futura. Et his quidem propoſitis, & delineationibus animorum ſic factis, credunt ſe magnum amoris opus, & actum feciſſe: ſed perſæpe, perque grauiter hallucinantur ipſi, & decipiuntur egregiè, vt in hoc apparet: quod complexi voto ſolùm magnas in futurum cruces, vt illis videtur, magno ardore & ſtudio, fugiunt præſentes, quæ longè ſunt minores. Næ illa profectò maxima eſt tentatio, eſſe tam promptum in imaginatione, tam autem ignauum in executione.

Auerruncet Deus à nobis ardores illos imaginarios, qui ſæpenumero in intimis noſtrorum cordium receſſibus alunt vanam, & abditam noſtri ipſorum æſtimationem. Magna & excellentia opera non ſemper, nec vbique nobis ſunt obuia, ſed omni hora, imò & momento poſſumus excellenter parua, id eſt, magno cum amore exercere. Aduerte amabò, Theotime, quòd ſanctus quiſpiam, qui dat propter Deum hauſtum aquæ frigidæ pauperi & ſitibundo viatori, rem præſtet exiguam, vt videtur, ſed intentio, ſuauitas & dilectio, quibus animat ſuum opus, tantâ pollent excellentiâ, vt aquam iſtam ſimplicem in aquam vitæ, & quidem æternæ conuertant.

Apes inter lilia volitantes, ſicut & inter roſas, interque flores colorum varietate iridem referentes (cuius & nomen habent) prædantur ſed nec minorem prædam agunt ſuper flo res minutos, rorem verbi gratiâ, marinũ, & thymũ; imò non ſolùm plus mellis ex iis colligunt, ſed etiam melioris, eò quòd in paruis iſtiuſmodi vaſculis, mel includatur melius ac proinde etiam melius conſeruetur. Certè in humilibus & ad ſpeciem

Digitized by Google

ciem contemptibilibus deuotionum exercitijs charitas exercetur non ſolùm frequentiùs, ſed communiter etiam maiori cum humilitate; & quod hinc ſequitur, vtiliùs ac meliùs. Inclinationibus, & minus gratis alterius humoribus aliquid concedere, ſuffragari etiam (vbi tamen abeſt peccatum) agreſtibus & moleſtis agendi proximi modis, victoriæ contra noſtras ipſorum affectiones & paſſiones, renunciatio minimarum etiam noſtrarum inclinationum, conatus ſuperandi noſtras auerſiones, & repugnantias, acceptatio ſinceræ & fraternæ admonitionis ob noſtras imperfectiones, continuus labor, quem ſubimus, & pugna quam inimus in continendis noſtris animabus in æqualitatis & conſtantiæ officio, amor noſtri ipſorum abjectionis, benedicta & gratioſa acceptatio & receptio, quâ noſtri ipſorum contemptum, quà cenſuras noſtræ conditionis, noſtræ vitæ, noſtræ conuerſationis, ac noſtrarum denique actionum humili excipimus animo, Theotime, plus emolumenti ſpiritualis conferunt noſtris animabus, quàm non dico ſcire, ſed ne imaginari quidem valeamus. Suppono autem ea omnia fieri, acceptari, ferrique iuxta normam cæleſtis dilectionis. At iam id in Philotheâ diximus.

Adhibendam eſſe curam, vt opera noſtra quàm exactiſſimè perfectiſſiméq; faciamus.

Capvt VII.

CHriſtus Saluator noſter, referentibus antiquis, ſuis dicere ſolebat: Estote boni monetarii. Si ſcutum non conſtet bono auro, ſi pondus ſuum non habeat, ſi cuſum non ſit formâ legitimâ, reijcitur tanquam minus valens; ſi opus aliquod non conſtet omnibus ſuis circumſtantijs, ſi non ſit exornatum charitate, ſi careat pia intentione, non inueniet locum inter iuſtas & perfectas actiones. Si ieiuno, ſed ad parcendum ſumptibus, ieiunium meum non eſt ex operibus probati & recepti valoris. Si propter temperantiam, ſed ſum in peccato mortali, deeſt pondus & pretium meo ieiunio. Cha-

tiras enim eſt, quæ confert pondus & æſtimationem rebus, quas agimus; ſi ſolùm ſit propter conuerſationem, & vt me accommodem melius meis ſocijs, opus hoc non eſt cuſum formâ probæ intentionis. Verum ſi ieiuno propter temperantiam, ſumque in gratia Dei, & habeo intentionem per meam temperantiam placendi diuinæ Majeſtati, opus hoc eſt probatæ monetæ, & proprium augendo in me charitatis theſauro.

Tunc excellenter facimus paruas actiones, ſi eas magna intentionis puritate, & efficaci voluntate Deo placendi facimus: tunc enim earum bonitate ſanctificamur quàm maximè. Sunt homines nonnulli, qui multùm comedunt, & tamen ſemper ſunt macri, exhauſti, languidi, & extenuati, eò quòd careant vi & virtute bene digerendi; ſunt autem alij, qui parum comedunt, & ſemper ſunt vegeti, & bonæ valetudinis, quia bono gaudent ſtomacho; ita etiam ſunt animæ nonnullæ, quæ multa faciunt opera bona, & parùm creſcunt in charitate, eò quòd faciant frigidè, ignauè, vel inſtinctu, & inclinatione naturali magis, quàm inſpiratione & amore cæleſti. Contrà, ſunt alij, qui parum operis faciunt, ſed voluntate & intentione ita ſancta, vt maximos in dilectione faciant progreſſus: paruum quidem habent talentum, ſed eo ita fideliter vtuntur, vt intuitu illius vſûs, Dominus eximijs eos afficiat præmijs.

Medium generale ſeu modus applicandi noſtra opera DEI obſequijs.

CAPVT VIII.

OMne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Do- Col. 3.
mini noſtri IeſuChriſti: ſiue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud fa- v. 17. 1. Cor.
citis, omnia in gloriam Dei facite. Sunt propria hæc Diui Pau- 10. v. 31
li Apoſtoli verba, quæ, vt dicit Doctor Angelicus, ea explicans, ſunt in ſufficienti vſu & praxi, quando nos poſſidentes habitum ſanctiſſimæ charitatis, per quam, eſto non habeamus expreſſam & actiuam intentionem faciendi quidquid facimus propter Deum, habemus tamen intentionem implicitã & continuatam, in vnione & communione, quam cum Deo habemus, per quam

omne bonum, quod facere poſſumus, vnà nobiſcum dedicatum eſt diuinæ bonitati. Non eſt opus vt filius in ædibus paternis ſub patris poteſtate commorans, declaret, quidquid acquirit, acquirere ſe patri. Nam cùm is ſit ſui patris; quidquid ab eo dependet, & prouenit ad patrem ſpectat; ſat etiam eſt, quod ſimus filij Dei per dilectionem, vt quidquid agimus integrè deſtinatum & deuotum ad eius gloriam referamus.

Verum igitur eſt, Theotime, quòd, vt alibi diximus, ſicut oliua plantata iuxta vineam, ei communicat ſuum ſaporem; ita charitas iuxta alias virtutes poſita, ijs ſuam communicat perfectionem; at etiam verum eſt, quòd ſi vitis inſeratur oliuæ, non ſolùm ei communicat perfectè virtutem ſui ſaporis, ſed etiam eam efficit participem ſui ſucci. Ne ſit ergo vobis ſatis habere charitatem, & vnà cum illa praxim aliarum virtutum, ſed inſuper efficitote, vt per illam, & propter illam eas exerceatis, vt eæ illi iuſtè attribui poſſint.

Quando pictor aliquis tenet & ducit manum addiſcentis artem pingendi, tractus ſeu ductus, qui inde procedit præcipuè attribuitur pictori, quia licet diſcipulus re ipſa contribuerit motum propriæ manûs, & applicationem penicilli, tamen Magiſter etiam taliter admiſcuit ſuum motum tironis motui, vt decus & dignitas rei iuxta regulas artis expreſſæ ei ſpecialiter tribuatur, eſto etiam diſcipulus aliquid inde laudis, propter facilem manûs inflexionem & agilitatem, quâ ſuum motum accommodauit conductui ſui Magiſtri, poſſit ſibi decerpere. O quàm excellentes ſunt virtutum actiones, quando diuinus amor ijs imprimit ſacrum ſuum motum, id eſt, tunc quando fiunt ex dilectionis motiuo! ſed id fit differenter.

Diuinæ charitatis motiuum magnam affluentiam ſingularis perfectionis ſuper honeſtas eorum actiones, qui modò & ratione ſingulari perpetuo Dei ſeruitio ſe dedicarunt, effundit. Tales ſunt Epiſcopi, Sacerdotes, qui per conſecrationem ſacramentalem, & ſpiritualem characterem, (qui deleri & eradi non poteſt) ſe velut ſeruos ſacro ſtigmate notatos perpetuis Dei obſequijs deuouent, conſecrantque; tales ſunt & Religioſi, qui per vota, vel ſolennia, vel ſimplicia, vt hoſtias viuentes & rationales Deo ſe immolârunt, tales etiam omnes illi qui ex inſtituto, factis ſerijs & efficacibus propoſitis ſequendi Dei volunta-

tem,

rem, cum in finem per dies aliquot ſe à negotijs mundanis abſtrahunt, vt animas ſuas diuerſis exercitijs ſpiritualibus è graui ſæpè tepiditatis ſomno, ad opera charitatis præſtanda exſuſcitent, nec non ad interiorem vitæ reformationem faciendam inflamment, inducantque. Quod familiare & ſacroſanctum fuit antiquis Chriſtianis, ſed deinde, refrigeſcente paulatim in poſterorum cordibus charitate, neglectum fuit, vſque dum magnus Dei ſeruus S. Ignatius de Loyola, Societatis Iesu Fundator Patrum noſtrorum tempore in vſum reduxit ac reuocauit.

S. Ignatius reuocat vſum exercitiorum ſpiritualium.

Scio nonnullos exiſtimare hanc noſtri ipſorum oblationem tam generalem non extendere ſuam virtutem, neq; influentiam ſuam deferre ſuper actiones, quas poſtea ſumus exercitaturi, niſi in quantum in illarum exercitio nos in particulari ſumus applicaturi dilectionis motiuum, eas dedicando ſpecialiter Dei gloriæ: verumenimuerò omnes cum ſancto Bonauentura, hoc in argumento & ſubiecto ab omnibus laudato, vno ore fatentur: quod ſi in animo meo decreui dare centum ſcuta aurea propter Deum, quamuis poſtea, per otium ſummam illam diſtribuam, eſto meus intellectus dum eam diſtribuo, ſit diſtractus, & ſine attentione, tota tamen illa diſtributio non deſinet fieri per amorem, quia illa tota quanta procedit ex primo mentis propoſito: ad quod faciendum inductus ſum ab amore diuino.

Age, amabò, dic Theotime, quod eſt diſcrimen inter eum, qui offert Deo centum ſcuta, & inter illum qui eidem offert omnes ſuas actiones? nullum profectò eſt, niſi quòd ille offert ſummam pecuniarum, hic autem ſummam actionum. Quare igitur non æquè vnus, atque alter æſtimatur facere diſtributionem rerum promiſſarum in virtute propoſitorum & fundamentalium animi decretorum ante factorum? etſi vnus diſtribuens ſcuta ſine attentione non priuatur influentiâ facti prius propoſiti, cur alter diſtribuens ſuas actiones non decerperet primæ ſuæ intentionis fructum? Is, dubio procul, qui ex propoſito ſe conſtituit voluntarium & acceptum diuinæ bonitatis mancipium, eidem conſequenter omnes ſuas actiones conſecrat dedicatque. Intellectâ hâc veritate, quilibet Chriſtianus vel ſemel ſaltem in vita, deberet inſtituere ſalutarem à mundi negotijs abſtractionem, & ad aliquot dies ſibi, & Deo ſoli in ſecreto, tum loci, tum cordis loqui, vt ibi animam excoleret, ab omnique peccati labe expurgaret: & conſequenter intimam, & ſolidam

Digitized by Google

Deo ſoli viuendi reſolutionem faceret: ſicuti docuimus in 1. Parte ſuæ introductionis ad vitam deuotam.

Deinde minimùm ſingulis annis ſemel recognoſcere deberet ſuam conſcientiam, & renouare primùm animi decretum, quod nos in 5. part. illius libri adnotauimus, quò & lectorem remittimus.

Certè ſanctus Bonauentura fatetur hominem, qui inſignem aliquam acquiſierit inclinationem, ſibique comparârit conſuetudinem bene faciendi, ſæpe id facere ſine ſpeciali attentione, nec tamen exercendo tales actiones ſuo merito ſpoliari: quia actiones nobilitatæ ſunt dilectione, ex qua, ſicut ex radice & ſcaturigine originali huius felicis habitûs, facilitatis & promptitudinis proueniunt.

De aliquibus aliis mediis ac modis applicandi magis ſpecialiter noſtra opera amori diuino.

CAPVT IX.

QVando pauæ, ſeu pauones fœminæ, ouis excludendis incubant in locis eximiè albis, eorum pulli etiam prodeunt albi. Et quando noſtræ intentiones ſunt in Dei amore, dum agitamus, ſuſcipimuſque cogitationes boni operis faciundi, vel mutato priſtinæ vitæ ſtatu in meliorem vacare incipimus rebus ſalutem egregiè promouentibus, omnes actiones, quæ inde profluunt, accipiunt ſuum valorem, & ſuam trahunt nobilitatem ex dilectione, ex qua, & ſuam habent originem. Nam quis non videt actiones proprias meæ profeſſionis, vel requiſitas ad id, quod, Deo propitio, mihi propoſui, dependere ex prima electione, & decreto animi, quod deliberato conſilio feci.

Verùm Theotime, non hic ſiſtendum eſt, at vt inſignis fiat progreſſus in deuotione, oportet non ſolùm in principio noſtræ conuerſionis, & deinceps ſingulis annis deſtinare, & offerre vitam noſtram, omneſque noſtras actiones Deo, ſed etiam id agitandum eſt ſingulis diebus, iuxta exercitium matutinum, quod in Philothæa docuimus. In hac enim diurna renouatione noſtræ oblationis, nouum vigorem & virtu-

tem

tem dilectionis, per nouam applicationem noſtri cordis ad gloriam Dei factam ſuper actiones noſtras fundimus. Quo fit, vt ſemper magis ac magis illud ſanctificetur.

Vltra hoc, centies & ſæpius vno die vitam noſtram applicemus, & offeramus amori diuino: & hoc per praxin orationum iaculatoriarum, cordis eleuationum, & noſtri ipſorum ſpiritualium recollectionum. Nam ſancta iſta exercitia attollunt & iaciunt continuè noſtras animas in Deum, & conſequenter omnes noſtras actiones ad eundem deferunt. Amabò; qui fieri poteſt, vt anima, quæ ſingulis momentis ſe erigit, & attollit ad diuinam bonitatem, & ſine intermiſſione ſpirat, & ſuſpirat verba dilectionis, quò aſſiduè cor ſuum conſeruet in ſinu Patris cæleſtis, non æſtimetur omnes ſuas bonas actiones in Deo, & propter Deum facere?

Illa quæ dicit: *O Domine, tua ſum, Dilectus mihi totus eſt meus, & ego viciſſim tota illius: mi DEVS tu mihi omnia es: O IESV, tu mea vita es. O quis mihi dabit, vt moriar in te, vt non viuam niſi tibi? O amare! O progredi, O mori ſibi ipſi! O viuere DEO! O eſſe in DEO! O DEVS, omne id, quod tu non es, mihi nihil eſt!* illa inquam quæ hæc & his ſimilia continuè agitat, nonne aſſiduè ſuas actiones dedicat cæleſti Sponſo? O quàm beata eſt illa anima, quæ ſemel plenè ſe exſpoliauit, & perfectam ſui reſignationem fecit in Dei manus! de quo ſupra locuti ſumus. Poſtea enim ſolùm ei faciendum & paruum aliquod ſuſpirium, & coniiciendi in Deum oculi, ad renouandam & confirmandam ſui exſpoliationem, reſignationem, & oblationem, cum proteſtatione quòd nihil velit, niſi Deum, & propter Deum: & quòd ſe non amet, neque rem vllam mundi, niſi in Deo, & propter Dei amorem.

Cæterùm, exercitium hoc continuarum aſpirationum eſt quidem valde proprium ad applicandas omnes noſtras actiones diuinæ dilectioni, ſed præcipuè ad minutas, & ordinarias vitæ noſtræ actiones eidem amori applicandas abundantiſſimè ſufficit. Nam quantum attinet ad opera ardua & ſublimia, quæ magni ſunt momenti, expedit quàm maximè, ad faciendum progreſſum alicuius notæ adhibere ſequentem methodum, ſicut iam alibi diximus.

Eleuemus, occurrentibus paſſim occaſionibus, corda, & animas

mas noſtras in Deum, noſtram conſiderationem demergamus, & cogitationem in ſanctiſſimam glorioſiſſimamque æternitatem extendamus: & quam in illa æternitate, diuina bonitas nos beneuolè, ac blandè exceptura ſit, iam nunc videre incipiamus: dum pro noſtra ſalute deſtinat, & exhibet omnes modos conuenientes noſtro progreſſui, in ſua dilectione faciendo; in ſpecie autem commoditatem faciendi bonum, quod paſſim ſe nobis offert; vel certè perpetiendi malum, quod nunquam non nobis euenit. Hoc facto vt ita dicam, explicemus & attollamus brachia noſtri conſenſus amanter, ardenter, & amoroſè ad complectendum ſiue bonum, quod ſe exhibet faciendum; ſiue malum quod nobis offertur tolerandum, conſiderando quòd Deus ab æterno id voluerit fieri, ad complendum ſuum beneplacitum, obſequiumque ſuæ prouidentiæ præſtandum.

Vide & conſidera, Theotime, magnum illum ſanctum Carolum Boromæum eo tempore, quo dira peſtilitas bacchata eſt in eius diœceſanos: eleuauit is mentem in Deum, & intimè recognouit, quòd in æternitate prouidentiæ diuinæ flagellum iſtud paratum & deſtinatum eſſet populo ſuo: & quòd ſæuiente hoc flagello, illa eadem diuina Prouidentia ordinârit, vt tum ſolicitè, tum amanter ſeruiret, & ſolatio eſſet, aſsiſtens inſigni cum amore afflictis gregis ſui ouibus: ea ſiquidem in occaſione erat Pater Spiritualis, erat paſtor & Epiſcopus illius Prouinciæ. Vnde ponens ſibi ob oculos difficultatum, laborum, & periculorum magnitudinem, quæ ob præſens malum ſubire ſe eſſet neceſſè, mente ſe immolauit beneplacito diuino, & præſentem crucem tenerrimè deoſculans, ex intimo corde, ad imitationem ſancti Andreæ, exclamauit: *Salue ò crux pretioſa, ò ſalue: O tribulatio beata, O afflictio ſancta, quàm tu es amabilis, è ſinu ſiquidem amantiſsimi Patris æternæ miſericordiæ egreſſa es qui te ab omni æuo, & deſtinauit pro charo iſto populo, & pro me! O crux, cor meum te vult intimè, quia cor DEI mei te voluit, O crux, quam anima mea te amat, & tota latitudine ſuæ dilectionis te complectitur!*

Hoc modo ſuſcipere debemus negotia maioris momenti, & aſperiores tribulationes, quæ nobis eueniunt, vel euenire poſſunt. Verùm, quando eæ futuræ ſunt longioris temporis, oportebit ex vno tempore in aliud, & admodum ſæpe repetere hoc exercitium, vt noſtram deuotionem vtilius continuemus aduerſus beneplacitum diuinæ voluntatis pronunciando

nunciando hanc breuē, ſed totā quantam diuinā eius filij proteſtationē: *ita Pater, æterne, Solo id ex toto corde meo, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Matth 11.26.
O, Theotime, quantus theſaurus hac in praxi continetur!

Exhortatio ad ſacrificandum DEO noſtrum liberum arbitrium.

CAPVT X.

ADiungo ſacrificio ſancti Caroli ſacrificium magni Patriarchæ Abrahæ, vt viuam imaginem fortioris & ſolidioris amoris, quàm in vlla creatura poſſit excogitari.

Sacrificauit certè omnes fortiores affectiones naturales, quas tunc habuit, quando audiens Dei vocē, quâ egreſsionem è terra ſua his vocibus ei mandabat: *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram,* Geneſ. *quam monſtrabo tibi;* citò, & promptè iter arripuit neſciens quò eſſet iturus. 12. v. 1. Dulcis Patriæ amor, ſuauitas conuerſationum cum vicinis, deliciæ domûs paternæ, eum non concuſſerunt, aut retardarunt: abit, egreditur non minus animatus, quàm incenſus deſiderio obtemperandi DEO. Vadit, quò DEVS eum ducturus eſt. O qualis abnegatio, Theotime, qualis renunciatio? Non poteſt DEVS perfectè à te amari, niſi affectibus & rebus perituris nuncium perfectè remiſeris.

Sed hoc nihil eſt, comparatione eius, quod poſtea præſtitit, quando DEVS bis eum vocauit, & perſpectam habens ipſius promptitudinem in obediendo, ei dixit: *tolle filium tuum vnigenitū, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atq; ibi offeres eum in holocauſtū ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Geneſ. 22. v. 1. & ſeqq. *dixi nihil eſſe comparatione eorum, quæ poſtea ibi præſtitit*; quia ecce magnus ille vir, ſtatim itineri ſe accingit cum dilecto ſuo filio, trium dierum viam conficit, peruenit ad radicem montis; ſeruos, & aſinum relinquit, filium autem ſuum Iſaac lignis holocauſto neceſſarijs faciendo onerat; ipſemet fert gladium & ignem: & dum conſcendunt ſimul montem, dilectus eius filius dicit ad illum, *Pater mi, at ille reſpondit: quid vis fili mi? ecce, inquit, ignis & ligna: vbi eſt victima holocauſti? ad quod Pater: prouidebit DEVS ſibi*

Digitized by Google

Victimam holocauſti, fili mi. Atq; ſic pergentes, venerunt ad locum, quem Devs oſtenderat; in quo ſtatim ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit: *cumq; ligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum, extenditque manum dextram, arripuit gladium, Vt immolaret filium ſuum: & ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens: Abraham, Abraham, qui reſpondit, adſum, dixitq; ei: non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam, nunc cognoui quod times Devm, & non peperciſti Vnigenito filio tuo propter me.* His ita tranſactis, ſoluitur Iſaac, Abraham arripit arietem inter vepres cornibus hærentem, & loco filij eum offert in holocauſtum.

Theotime, *qui Viderit mulierem proximi ſui ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo;* & qui ligârit filium ſuum ad immolandum Domino, iam ſacrificauit in corde ſuo. Vide igitur obſecro, quale holocauſtum ſanctus iſte vir obtulit in corde ſuo! Sacrificium certè obtulit, quod fuit incomparabile; ſacrificium, quod nunquam ſatis poteſt amari; ſacrificium, quod nequit ſatis laudari. O Devs quis valeat diſcernere, quæ iſtorum duorum dilectio fuerit maior: Abrahæne, qui ad placendum Deo chariſsimum ſuum immolat filium; an Iſaac, qui item vt Deo placeat, non recuſat immolari; eamq; ob cauſam ſinit ſe ligari, & extendi ſupra ligna, ac velut mitis agnellus, placidè ictum mortis à chara Patris ſui manu præſtolatur?

Ad me quod attinet, Patris longanimitatem præfero; ſed brauium magnanimitatis fidenter filio defero. Eſt quidem vna ex parte res admiranda, ſed non ita valde, videre Abraham iam ſenem, & conſummatum in ſcientia amandi Devm, quin & oppidò in ea roboratum recenti viſione, & verbis è cælo ad eum prolatis, quòd vltimum fidelitatis, & dilectionis aduerſus Dominum, cuius ipſe & toties ſuauitatem ſenſerat, & prouidentiam deguſtârat, faciat actum; ſed videre Iſaacum in primo vere ſuæ ætatis, & adhuc nouitium, & diſcipulum in arte amandi Devm, offerre ſe, ad vnicum Patris ſui verbum, gladio & igni, vt ſit holocauſtum obedientiæ voluntatis diuinæ, res eſt, quæ ſuperat omnem admirationem.

Altera tamen ex parte, vidéſne, Theotime, Abrahamum remandere & reuoluere vltra trium dierum ſpatium in anima ſua amaram admodum cogitationem, & decretum difficilis & crudelis ſacrificij? non moueris miſericordiâ aduerſus paternum eius cor? quando aſcendebat ſolus cum filio ſuo, filio, inquam, columbâ ſimpliciori, qui ei dicebat:

Pater,

Pater mi vbi eſt victima? & quid illi reſpondit, *DEVS prouidebit fili mi,* non cogitas tu quòd ſuauitas iſtius Pueri geſtantis ſuis humeris ligna, & deinde collocantis ſuper altare, liquefecerit teneritudinem paternorum viſcerum? O cor, quod Angeli admirantur, quodque Devs maximi facit! O Iesv mi quando tempus illud erit, quo, poſtquam in ſacrificium obtulerimus totum quod habemus, offeremus & immolabimus totum quod ſumus? quando tibi offeremus noſtrum liberum arbitrium, vnicum vnius animæ noſtræ infantem in holocauſtum? & quando erit tempus, quo illud ligabimus & extendemus ſupra buſtum tuæ crucis, tuarum ſpinarum, tuæque lanceæ, vt, velut ouicula, ſit victima tuo beneplacito accepta? vt & moriatur, & comburatur igne, & iuguletur gladio ſancti amoris tui?

O liberum cordis mei arbitrium, quàm nobis bene erit, ſi fuerimus ligati & extenſi ſupra Crucem diuini Saluatoris! O quàm deſideranda res eſt, ſi nobiſmetipſis moriamur, quò in omni æternitate in Domini noſtri holocauſto ardeamus! Theotime, liberum noſtrum arbitrium nunquã tam eſt liberum, quàm quando eſt mancipium diuinæ voluntatis: ſicut nunquã magis eſt ſeruum, quàm quando ſeruit propriæ noſtræ voluntati: ſicut nec vnquam habet tantùm vitæ, quàm quando ſibi ipſi mortuum eſt; nunquam, contrà, tantùm habet mortis, quàm quando ſibiipſi viuit.

Habemus quidem libertatem ad faciendum bonum, & malum, ſed eligere malum, non eſt vti, ſed abuti libertate. Renunciemus ergo, ò renunciemus infelici huic libertati, & liberum noſtrum arbitrium penitus beneplacito diuini amoris in perpetuum ſubijciamus noſque mancipia dilectionis eius, cuius ſerui ſunt feliciores quibuſuis regibus, conſtituamus. Quod ſi aliquando anima noſtra vellet adhibere ſuam libertatem contrà animi noſtri decretum, quo nos ad Deo perpetuò, & abſque vlla exceptione ſeruiendum obſtrinximus; ò tunc illã Deo, Dei amore penitus ſacrificemus: & vt ſibi ipſi moriatur, & Deo viuat, efficiamus. Qui illam voluerit ſeruare ob amorem proprium in hoc mundo, perdet illam in altero: & qui perdiderit propter Dei amorem in hoc mundo conſeruabit illam propter eiuſdem amorem in altero. Qui animæ indulſerit libertatem in hoc mundo, illam habebit ſeruam & mancipium in altero: qui autem habebit mancipatam Cruci in hoc mundo,

Matth. 10. 10. Luc. 9. 24. Ioan. 12.25.

 mundo,

mundo, liberam habebit in altero; vbi abſorbebitur in fruitione diuinæ bonitatis, & eius libertas conuertetur in amorem, & non quemcunque, ſed amorem libertatis, & amor in libertatem, & non quamcunque, ſed libertatem infinitæ dulcedinis, idque abſque labore, abſque pœna, & abſque vlla omnino contrarietate: ibi enim abſque varietate vlla in perpetuum Creatorem & Saluatorem animarum noſtrarum amabimus.

De motiuis quæ habemus pro ſancto amore.

Capvt XI.

Sanctus Bonauentura, P. Ludouicus Granatenſis, P. Ludouicus de Ponte, Fr. Didacus Stella abundantiſſimè diſſeruerunt circa hoc argumentum: ſatis proinde mihi erit adnotaſſe puncta, quæ in hoc libro tractaui.

Diuina bonitas in ſeipſa conſiderata non ſolum eſt I. motiuum omnium motiuorum, ſed & maximum, nobiliſſimum & potentiſſimum. Eſt enim illud, quod beatos rapit, eorumq; cumulat felicitatem. Quî autem fieri poteſt, vt quis habeat cor & non amet infinitam bonitatem? cæterum argumentum hoc aliquantulum motum & propoſitum eſt c. 1. & 2. lib. 2. & à cap. 8. lib. 3. vſq; ad finem, & rurſum cap. 9. lib. 10.

II. Motiuum eſt de prouidentia ſupernaturali Dei erga nos, de creatione & conſeruatione, ſicuti diximus cap. 3. lib. 2.

III. Motiuum eſt de eadem prouidentia ſupernaturali Dei erga nos, & de Redemptione, quam nobis præparauit, vti explicatum eſt cap. 4. 5. 6. & 7. lib. 2.

IV. Motiuum eſt conſiderare, qualiter Deus vtatur hac prouidentia & Redemptione, ſuppeditans & communicans vnicuique omnes gratias, & auxilia requiſita ad ſalutem conſequendam. Quade retractauimus lib. 2. à cap. 8. & lib. 3. à principio vſque ad caput 6.

V. Motiuum eſt gloria æterna, quam diuina bonitas nobis deſtinauit: & ea eſt complementum beneficiorum Dei aduerſum nos. De quibus aliquos fecimus diſcurſus à cap. 9. ad finem vſq; lib. 3.

Digitized by Google

Methodus vtiliſſima ad motiua hæc adhibenda.

CAPVT XII.

PORrò ad recipiendum ex motiuis his intenſum & potentem calorem dilectionis, oportet I. poſtquam vnum aliquod in genere conſiderauerimus, in ſpecie nobis applicemus, exempli cauſa: O quàm amabilis eſt præpotens DEUS, qui ex infinita ſua bonitate dedit filium ſuum in Redemptionem pro mundo! O bonitas! ita non ſolùm dedit pro omnibus in genere, ſed inſuper pro me in ſpecie, qui ſum primus peccatorum! O igitur quàm amauit me! dico amauit me, & quidem meipſum talem, qualis ſum, & tradidit ſeipſum duræ paſſionis cruciatibus propter me.

II. Oportet conſiderare beneficia diuina in prima ſua, & æterna origine. O mi chare Theotime, quomodo dignam ſatis nanciſci poterimus dilectionē erga infinitā Creatoris noſtri bonitatē, qui ab omni æternitate decreuit nos creare, conſeruare, gubernare, redimere, ſaluare & glorificare; & quidem omnes omnino in genere, & in ſpecie? Hem! quid eram tunc quando non eram? ego inquam quid eram? qui nunc ſum aliquid, ſed aliud nihil, quàm ſimplex & vilis terræ vermiculus. Et interim Deus iam ab abyſſo ſuæ æternitatis cogitabat pro me cogitationes benedictionum! meditabatur inſuper & deſignabat, imò determinabat horam meæ natiuitatis, ſed & omnium inſpirationum, quas mihi erat daturus. Breuiter, omnia beneficia, quæ mihi erat collaturus, animo decernebat. Agedum & dic, ſimilíſne huic reperiri poteſt benignitas & ſuauitas?

III. Conſideranda ſunt beneficia diuina in ſecunda ſua origine meritoria: meminiſti enim, vt puto, Theotime, magnum Sacerdotem veteris Legis geſtaſſe ſuper humeros & ſuper pectus nomina filiorum Iſrael, id eſt lapides precioſos, in quibus inſculpta erant nomina Ducum, & Magnatum Iſrael. O vide IESVM magnum noſtrum Pontificem, & intuere eum iam à primo ſuæ conceptionis inſtanti, conſidera quòd ſupra humeros ſuos nos geſtabat, complectens & acceptans difficilem

prouinciam & onus, per ſuam mortem, & quidem mortem crucis, nos redimendi. O Theotime Theotime, ſcito quòd anima Saluatoris omnes nos nomine & cognomine noſcebat: & cùm ſemper aliàs, tum maxime die ſuæ paſsionis, quando offerebat lacrymas & preces, ſanguinem & vitam pro omnibus & ſingulariter pro te hæc dilectionis verba eiaculabatur: eheu! Pater mi æterne, ſuſcipio in me, & me onero omnibus peccatis miſeri iſtius Theotimi, ad ſufferenda tormenta, imò & mortem ipſam, vt ab ea ſit ipſe liber, & non pereat ſed viuat: moriar ego, dummodo viuat ille, crucifigar ego, modò is glorificetur. O ſupreme cordis Ieſu amor, quod vnquam cor ſat piè & dignè te poterit laudare?

Sic intra pectus maternum cor eius diuinum præuidebat, diſponebat, merebatur, & impetrabat omnia beneficia, quibus fruimur, non ſolùm in genere pro omnibus, ſed & in ſpecie pro vnoquoq; mortalium: quin & eius dulcedinis vbera nobis præparabant lac eius motuum, illiciorum, inſpirationum & ſuauitatum, per quæ trahit, deducit, & nutrit corda noſtra in vitam æternam. Eius benefacta nos non accendent, niſi voluntatem æternam, quæ ea nobis deſtinat, & cor Saluatoris, quod per pœnas, & præſertim mortem ac paſſionem ſuam nobis ea meretur, reſpiciamus.

Montem Caluariæ eſſe veram Academiam dilectionis.

Caput XIII.

TAndem vt concludamus, mors & paſſio noſtri Saluatoris vt ſuauiſsimum eſt, ita & violentiſsimum motiuum ad corda noſtra in hac vita mortali animanda. Ita res habet: apes myſticæ in vulneribus huius Leonis de tribu Iuda iugulati, in partes diſſecti & dilacerati, ſupra montem Caluariæ excellentiſsimum ſuum mel colligunt & faciunt; & filij Crucis in admirabili ſuo problemate, quod mundus nullo modo intelligit, gloriantur: *de morte, quæ omnia deuorat, egreſſus eſt cibus noſtra conſolationis, & de morte omnibus fortiori exiuit dulce-*

dulcedo mellis amoris noſtri. O Jesu Saluator mi, quàm amabilis eſt tua mors, ſiquidem illa eſt ſupremus effectus tui in nos amoris!

Sed & in cæleſti gloria poſt motiuum bonitatis diuinæ, cognitæ & conſideratæ in ſeipſa, motiuum amoris noſtri Saluatoris erit potentiſſimum ad rapiendos Beatorum ſpiritus in dilectionem Dei: in cuius rei ſignum in transfiguratione, quæ fuit velut teſſera præcedanea gloriæ, Moyſes & Elias loquebantur cum Chriſto de exceſſu, quem ipſe Chriſtus in Hieruſalem erat completurus. Certè de exceſſu aliò non loquebantur, quàm de exceſſu amoris, per quem vita rapta fuit Chriſto dilecto, vt daretur dilectæ Sponſæ. Vnde mihi imaginor, quòd in cantico æterno ſingulis momentis læta hæc acclamatió repetetur. Viuat Mariæ Filius, quem vicit, vt vires ſuas probaret & faces, amor.

Theotime, mons Caluariæ, eſt mons amantium. Omnis amor qui non trahit ſuam originem ex paſſione Saluatoris, eſt friuolus & periculoſus. O infortunata mors ſine amore Saluatoris! ô infortunate amor, ſine morte Saluatoris! amor & mors ita inter ſe permixta ſunt in paſſione Saluatoris, vt vnum ſine altero in corde haberi non poſſit. Supra montem Caluariæ non poteſt haberi vita ſine amore, neque amor ſine morte Redemptoris. Sed extra illum quidquid eſt, aut mors æterna eſt, aut æternus ardor: ſed & omnis ſapientia Chriſtiana conſiſtit in bona electione; in qua ritè facienda, vt te adiuuarem Theotime, hoc ſcriptum confeci.

Hinc amor, hinc ardor Stygis eſt, æternus vterque:
Vret mortales ille, vel iſte rogus.
Elige mortalis; nam morte electio ceſſat.

O amor æterne, anima mea te requirit, & æternùm te eligit. O veni, ô igitur veni Sancte Spiritvs, & corda noſtra igne tui amoris accende! vel amare, vel mori; oportet mori & amare; mori omni alteri amori, viuere ſolius Iesu amori; vt non moriamur morte æternâ, ſed viuamus in æterno tuo amore, ô Saluator animarum noſtrarum, cantemus perennè: viuat Iesus, amo Iesum, viuat Iesus, quem amo, amo Iesum, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc Theotime, quæ gratiâ & fauore charitatis ſcripta ſunt tuæ

chari-

charitati, opto vt taliter inhæreant cordi tuo, vt charitas hæc inueniat in te fructum ſanctorum operum, non autem folia encomiorum: Amen. Sit Deus benedictus. Terminaui autem, vt vides Theotime, & concluſi totum hunc Tractatum verbis, quibus S. Auguſtinus admirandum ſermonem, quem habuit de charitate coram illuſtri hominum cœtu concluſit & terminauit.

Finis libri duodecimi & totiùs tractatûs.

Ad Maiorem Dei, Matris Virginis, Patriſque Nutritij Joſeph Sponſi fideliſſimi Gloriam.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Abnegatio ſui. 371. 213. 531. 265. 260. 290.
Abrahæ ſacrificium nobis imitandum. 555. & ſeq.
Actus amoris affectiuus, & effectiuus, affectiuus multiplex & inſcrutabilis. 229. & ſeq. nobilitantur ab obiecto. 31. omnes Chriſtus exercuit. 465.
Admiranda quędã non imitanda 358.
Actus Amoris ſummi & infimi ſubinde ab imperfectis & perfectis eliciuntur. 429.
Affectiones ſenſuales duodecim. 7. relictæ ſunt pro exercitio virtutum, nunquam omnino extirpantur. 387. & ſeq. diminuunt imò extinguunt amorem diuinum. 27. ſubſunt voluntati, 1. & ſeq. diuerſimodè. 4. ſubſunt amori. 9. Paſſio zeli ſe obtegunt. 462. in Chriſto propaſsiones vocandæ. 9.
Affectiones rationales quadruplices. 13. contrariantur ſenſualibus. 12. 32. & ſeq ſubſunt voluntati, & amori diuerſimodè. 1 4. 9.
Afflictiones ſpirituales quãtæ, & quales. 373 temporales in maius bonum conuertuntur. 66. 387.
Amor eſt complacentia voluntatis in bono per vnionem. 16. 25. ſimilis magneti. 17. ſimplicis approbationis ſeu velleitatis. 19 excitatur conuenientiâ rei amatæ, vt ei vniatur. 21. 22. 23. 24. 193. Vnio alia naturalis, alia voluntaria, & eæ ſe mutuo iuuant. 25. in homine debet eſſe ſpiritualis. 26. hæc impeditur à ſenſualibus affectionibus. 27. 30. & ſeq.
Amor dominatur & nomen dat omnibus affectionibus, & ipſi voluntati. 10. ſubiacet libertati arbitrij. 11. trahit in ſe ex re amata bonum & malum. 206. &c. 193. &c. eſt principiũ omnium motuum humanorum. 256. 299. cõparatur pomo Granato. 267.
Amoris differentiæ & gradus. 38. &c. Amor bonus & malus. 100 Amoris diuini complacentia. 193 Amoris diuini beneuolentia. 2:0. Amor bonus in corpus noſtrum. 141. Amor Dei humanus, ex ſe bonus, amiſsâ charitate, remanet vt inane ſimulachrum charitatis. 185. &c. eſt periculoſus & deceptorius. 187. &c. eſt larua ſanctitatis, quomodo dignoſcatur. 189. &c.
Amor ortum ſuum habet ex notitiâ. non menſuram. 239. & ſeq. in amando Idiota ſuperare poteſt Theologum. 241. & ſeq. inducit conformitatem amantium 325. eſt medium ſalutis: 73. omnibus inſpiratur, præcipitur. 74. 415.
Ad amorem Dei eſt in homine inclinatio naturalis. 44. non tamen potentia naturalis. 46. inclinatio illa

non eſt fruſtranea, 48. ſed arrha DEI. 49. eſt imbecilla. 76. vult DEUS à nobis amari. 73. & ſeq. præuenit nos ſuâ gratiâ. 75. & ſeq. poſſumus habere amorem excellentiſsimum. 81. & ſeq. non cogimur ad amandum. 84. ſæpe recuſamus illicia amoris. 78. Illicia ad amorem perducunt nos ad ipſam fidem, & charitatem. 112.

Amor DEI eſt vltimo genitus, prædominatur alijs amoribus. 14. eſt filius promiſsionis. 15. Amoris diuini primi motus ante fidem ſimiles auroræ. 88. & ſeq animaduerſi in conuerſione S. Pachomij. 90.

Amor ſoli DEO totus attribuendus, cum gratiarum actione. 174. & ſeq. in B. Virgine MARIA fuit incomparabilis. 140. In eadem ſomno non interruptus. 141 & ſeq. ſine alteratione. 320. ſine repugnantia interna, aut externa. 322. amore moritur. B. Virgo. 316.

Amor beneuolentiæ erga DEUM per deſiderium magnificandi DEUM. 210. & ſeq. abſtrahit ab oblectationibus terrenis. 212. & ſeq. attentos reddit ad diuinas perfectiones. 213. laudum cantica producit in amante inſatiabiliter. 214 &c. facit aſpirare ad cælum. 220. Inducit ad inuitandas omnes creaturas ad laudandũ Deum. 218. &c. inducit ad inuitandam Beatam Virginem. 223. Chriſtum Dominum. 224. &c. Ipſas Sanctiſsimæ Trinitatis perſonas. 226. &c. Hic amans anima conquieſcit. 228. 263.

Amor complacentiæ in DEO. 193. eſt noſtra hæreditas, DEI bona faciendo noſtra 194. eſt cœna, & refectio, in qua ſicut infantuli pendemus ab vberibus lactis, & vini. 197. 263. tradit nobis DEUM, & nos DEO 200. ſine faſtidio excitat ſui deſiderium ſemper maius. 201. eius vis ex compaſſione intelligitur. 204. & ſeq. In contemplatione paſsionis dominicæ condolentia, & complacentia amoris eluceſcit. 207. & ſeq.

Amor cõcupiſcẽtiæ exercetur in fide. 91. exercetur in ſpe. 97. &c. amor ſpei eſt amor concupiſcẽtiæ ſummi boni. 99. &c. cũ ſubordinatione noſtri ad DEUM, & ſubmiſsione. 101. eſt bonus; licet imperfectus. 99. exercetur in pœnitẽtia, 102. hæc ſine eo eſt imperfecta. 106. amor & dolor miſcentur in contritione & pœnitentia. 107.

Amor diuinus vtitur timore. 520. & ſeq. amoroſus timor. 451. vide Timor. Vtitur omnibus paſsionibus, & affectionibus animæ. 530. & ſeq. luctatur cum ijſdem, & amore proprio. 531. quomodo vincat. 532. vtitur irâ. 460. rarò triſtitiâ aut deſperatione. 534. Vide Triſtitia. Complectitur dona Spiritus ſancti 515. eiuſdem fructus duodecim. 527. Octo beatitudines. 529.

Amoris exercendi occaſiones obuiæ ample-

ampleꝺendæ, non expeꝺandæ extraordinariæ. 547. omnibus noſtris aꝺionibus applicanda amoris intentio. 549. Vide Intentio, Opera bona. Eius ſacrificium ſemel Deo faciendum cum Abraham. 555. Amoris motiua quinque. 558. ea adhibendi methodus triplex. 559 Amor exercetur in vltimo gradu animæ rationalis. 37. 93. 374. eius progreſſus per auxilia gratiæ. 125. & ſeq.

Amor cor tripliciter vulnerat. 268. dolor huius vulneris eſt amabilis & delicioſus. 269. 272. 228. in beatis qualis. 269. quinque amoris vulnera. 270. 271 272. 396. Languorem inducunt, nudos, egentes, ſolicitos amantes efficiunt. 273. & ſeq: qualiter S. Franciſco ſtigmata impreſſerit. 276.

Amor fortis vt mors, in amore mortui. 305. propter, & ex amore mortui. 308. comunicaturo pectus aperit. 316. vide mors.

Amor conformat nos diuinæ Maieſtati ſecundum capacitatem noſtram. 325. & ſeq ſubijcit nos Deo perfectiſsimè. 328. inducit in obſeruationem mandatorum Dei. 335. & ſeq. item Euangelicorum Conſiliorū. 343.

Amor diuini beneplaciti triplex. 371. in tribulationibus eſt ſecuriſsimus. 372. in ijſdem maximè oſtenditur, & quomodo. 373. eius gradus & operatio 373 eius puritas. 391. 396. vitiatur amore proprio 392. quomodo vitium hoc cognoſcatur. 393. eius fructus eſt gaudium. 396. inter tribulationes non agnoſcitur. 398. in tribulationibus immoritur diuino beneplacito. 299. & ſeq.

Amor Dei ex toto corde. 421. in cælo perfectus. 418. inæqualitatem perfectionis admittit in cælo, & in terra. 420. & ſeq. quarum aliarum rerum amorem admittat, 422. eius gradus quadruplices, 423. vide Præceptum primum Magis facit amare Deum, quam nosipſos. 443. producit amorem proximi 445. item zelum, & zelotypiam. 447. Amor præceptus. 415. qualiter adimplendus in hac vita. 418. Sine admixtione alterius amoris. 426. ſuper omnia in proſperis & aduerſis. 427. Rarus eſt. 428. Omnibus amoribus præferendus. 430. & ſeq. Innoteſcit ex oppoſitione luculēti amoris erga creaturam. 432. Appretiatiuus ſuperat ſenſibilem 434. Hic quandoq; appretiatiuum. 435. Etiā in re vili. 439.

Amor omnia Dei mandata obſeruat. 442. eſt virtutū anima. 477. omnes complectitur, & ſanctificat. 491. 469. 469 virtutum vices ſupplet. 493. eas perficit. 494. viciſsim non perficitur. 495. dominatum habet in omnes virtutes. 496. & ſeq. vide Virtus.

Amoris augmentum. 119. 81. 88. 112. 122. 125. 140. 144. 148. 420. & ſeq.

443.391.399.555. 193. 200. 218. 268. 426. 434. 320. 316.
Amoris decrementum. 162. 169. 392. 185. 189. 78. 422. 432. 439. 531. 543.
Animæ portio duplex, ſuperior, & inferior. 32. ſibi inuicem contrariantur. 34. non ſunt idem cum ſenſu. 35. animæ rationalis quatuor gradus rationis. 35. explicantur ſimilitudine templi Salomonis 36. in vltimo gradu rationis, quæ fit per ſimplicem intellectus intuitum, & purum voluntatis ſenſum exercetur fides, ſpes, amor. 37. 93. 374.
Anima pluribus occupata remiſsius operatur. 27. quantos in amore progreſſus faciat per auxilia gratiæ. 125. & ſeq. in dilecto liquefit per contemplationem. 263. præ dilecto omnia ei deſipiunt. 265.
Appetitus ſenſitiui motus. 7.
Aquila cum nutrice Virgine in rogo docet mori cum Christo. 303.
Auxilia gratiæ motiuum amoris diuini. 75. 122.

B.

Beneficia DEI motiuum Amoris. 75. 122.
Beneplacitum diuinum eſt obiectum Indifferentiæ. 377. excitat in nobis laudem DEI. 368. conformitatem cum DEI voluntate. 370 Etiam repugnantibus inferioribus potẽtijs. 381. & ſeq.
Bonum, & pulchrum. 2. es 294. Boni, & pulchri imago eſt ſol, & DEUS. 295.

C.

Caſus fortuiti fiunt conſilio DEI. 61.
Charitas nominanda eſt Amor. 40. eſtque incomparabilis. 115. omnia ei ſubſunt; illa nemini. 340. Minimus charitatis actus in cælo maximum huius vitæ antecellit. 139.
Charitatem augent minima opera bona. 122. & ſeqq.
Chriſtus primogenitus Creaturarum, et Caput Eccleſiæ 62. & 65. Chriſti Incarnatio primò decreta deinde reliqua. 63. deinceps Chriſti Paſſio. 64.
Chriſtus Sacrificator ſuiipſius. 467.
Chriſti in Paſsione indifferentia, & & afflictio. 379.
Chriſti Paſsio motiuum Amoris diuini. 561.
Chriſtus in opere Redemptionis omnes Amoris actus exercuit. 463.
Chriſtum ſequi. 371.
Cognitio DEI. 145.
Commiſeratio vnde oriatur. 205. Vim complacentiæ amoris diuini declarat. 204.
Conſenſus noſter à gratiâ, diſſenſus à voluntate pendet. 86.
Conuenientia inter DEUM & hominem. 41.
Contemplatio. 237. Tribus modis fit. 246. Differt à meditatione tripliciter.

citer. 237. 242. 247. Se mutuo perficiunt. 238. Vni oculo & crini comparatur. 242. Viuaciores affectus elicit. 244. Fit cum delectatione. 247 Cōparatur inebriationi. 248. Media ad contemplationem. 248.
Contemplationis diuerſi gradus. 260. modi varij permanendi in præſentia DEI. 261. & 262. eam impedit nimia ſuper ſe ipſam reflexio. 257. Inter occupationes non minuitur. 258. 543. Quamuis eius ſuauitas minuatur. 259. In contemplatione anima colliqueſcit. 263. In eâdem conquieſcit anima abſque alia operatione. 252. In ſe ipſam adunatur & recolligitur. 249. & ſeqq.
Cor durum & molle. 253 vtrumque æquè aptum Amori diuino. 539. & ſeqq. vide natura.
Conſiliorum Euangelicorum obligatio. 344. & ſeqq. & 349 conſilia magni facienda. 347. cuilibet aliqua obſeruanda. 348. dantur in ijs gradus perfectionis. 349. Actus heroici ſunt de conſilio. 350 differunt à Præceptis. 338. amplectenda cum ordine charitatis. 339. Conſilium Religionis vnâ ſolidâ deliberatione ſatis ſtabilitur. 355. In conſilijs ſequendis neceſſaria eſt conſtantia. 356. Oppugnantur à Dæmone. 357. peccatur contra conſilia. 345.
Creatio & conſeruatio motiua diuini Amoris. 60.
Creaturæ ſpeculum attributorū DEI. 51. & ſeq. 54. 58.
Curioſitas perniciosa in ſecretis diuinis. 72. & 177. & 181.

D.

Damnati in Iudicio DEUM clarè videbunt, et tabeſcent, quod amare non poſsint. 417.
Deliberatio ad ingrediendum Religionem qualis eſſe debeat. 355. 366. de minutis rebus qualis. 364.
DEUS fons gratiarum, & finis. 136. vnica quies animæ. 263 249 251. & ſeqq. in hac vita perfecte attingi non poteſt. 137. Vide vnio cum DEO. Decretorum diuinorum ſeries. 62. DEI cognitio ad amorem trahit 145.
DEUS pollicetur liberè mercedem bonis operibus. 485. Laude noſtrâ non eget, & tamen præcipit. 215.
Dei laus in Creaturis. 218. In Beatis in cælo. 221.
Dei zelus pro nobis quantus, & qualis. 449. & ſeqq. vide zelus.
Pro DEO zelus hominum triplex. 453. & ſeqq.
Deus neminē deſerit niſi deſertus. 80.
Dei bonitas motiuum Amoris. 51. & ſeqq. vult amari. 73.
Dei ſimplicisſima, & infinita perfectio. 52 & ſeqq. Conditor vniuerſi 54. & ſeqq.

Dei prouidentia. 58. & ſeqq. Vide. Prouidentia.
Deſiderium præcedens amorem ſuauiorem reddit. 146. & ſeqq. Eſt initium Amoris. 541. & vnionis cum Deo. Vide, vnio. Radix omnium bonorum. 542. Suffocatur à deſiderijs terrenis. 543.
Deſiderium laudandi Deum. 112. 214. & 218. facit nos aſpirare ad cælum. 220.
Diuitiæ Mandragoris comparatæ. 440. & ſeq. zelum & inuidiam prouocant. 453.

E.

Ecſtaſis infra, & ſupra ſe. 28. differt à raptu. 292. Spiritualis triplex. 293. dependet ab amore, ſeq; inuicem perficiunt. 295. poſſunt ſeparari. 296. Sacræ & vanæ ecſtaſis differentia. 297. Ecſtaſis continua eſt obſeruatio mandatorum, & conſiliorum. 298. & ſeq. eſt ecſtaſis ſecura. 300. noui, non veteris hominis 301.

F.

Fidei certitudo omnibus certitudinibus prædominatur. 91. & ſeqq. Naſcitur ex amore veritatis propoſitæ. 93. Fides detegit obiectum amoris. 94. & ſeqq. 145.
Pro fide mori. 318.

G.

Gratiæ abundantia & varietas. 70. Nulli deeſt. 171. & ſeqq. Inæqualitas gratiarum datarum non curioſè inueſtiganda. 82. Non officit libertati animæ, quam trahit. 85. Non reſpondemus ei ad æqualitatem. 81. Alias ſanctiſsimi futuri. 82. Hinc S. Franciſci humilitas. 83 Gratiam excitantem prohibere non poſſumus, poſſumus tamen non conſentire. 86. & 77. & ſeqq.
Gratiæ cooperantibus nihil pertimeſcendum. 132.
Gratiarum ſeries pro perſeuerantia. 134.
Gratia ordinaria, & extraordinaria. 84
Gratia excitans promouet vſque ad fidem, & charitatem, &c. niſi obſtaculum ponatur. 113. Inter eam, & conſenſum eſt morula. 112. Specialis ad res arduas neceſſaria. 128. Quid operetur poſt lapſum. 125. Quid, vt perſeueremus in gratia. 130.
Gratiæ fons, & origo eſt Redemptio. 135. Auxilia gratiæ motiuum amoris diuini maximum. 73. 122.
Gratia Redemptionis longè ſuperat malitiam primæ præuaricationis. 66. Imo ſtatum Innocentiæ. 67.
Gratia Redemptionis præſeruatiuè B. Mariæ Virg. applicata. 68. Aliter aliJs. 69.
Gloria æterna motiuum Amoris. 144. & ſeqq.

Honor

Digitized by Google

H.

Honor eſt in honorante. 214.
Hoſpitalitas, & Hoſpitalia. 349.
Heroici actus ſuadentur: eorum exempla. 350.

I.

S. Patris Ignatij Exercitia. 551.
Indifferentia. 375. Eius obiectum eſt Beneplacitum Dei. 377. 382. Præſtat reſignationi. 376. Extendit ſe ad res omnes. 378. Eius praxis. 380. Eius puritas. 391. Non adimit curam rerum agendarum. 383. Succeſſum Deo committit. 384. Virtutes promouet. 387. pro commiſſis negligentijs pœnitentiam ſuſcipit, eamque tranquillam. 383.
Iraſci ſine peccato non eſt cuiuſque, ſed illuminatorum. 460.
Inſpirationum diuinarum efficacia. 351. Modi varij. 352. Quomodo admittendæ. 353. Bonarum inſpirationum notæ ſunt, Conſtantia. 355. & tranquillitas. 359. & 363. Extraordinariæ, 354. Planè extraordinariæ, quæ admirandæ potius, quàm imitandæ 358.
Intentionum uarietas in agendo. 509. Nobilior non poſtponenda ignobiliori, alias peccatur. 511. Suprema eſt charitas. ibid. Sit pura ex plurium virtutum motiuis in charitate Dei adunatis. 512. Praxis eam applicandi. 549. Triplex. 550. Repetenda quotidie ſæpiſsimè. 553. Quomodo formanda in arduis. 554

M.

Manſuetudo. 360.
Matutinum noctu decantatum Iuuenem conuertit. 352.
Meditatio. 233. Comparatur gemitui Columbarum, 235. Excitat affectiones. 236. Eſt mater Amoris. 237. Se mutuo perficiunt. 238. Vide Cõtemplatio.
Meritum. 122. 483. 503. 505. Vide opera bona.
Miſericordia vnde oriatur. 204. &c.
Mors eſt tranſitus. 401. In gratia, eſt donum Dei. 133. In morte iuſti ad vltimum amoris gradum, quẽ poſſunt, conſcendunt. 138. Mors improuiſa. 305. Mortui in, per, & propter amorem Dei 305. & 308.
Mortui ex amore Dei. 310. 311. 313. 316. 317. 318. Mors Chriſti motiuum amoris Diuini. 561.
Motiua quinque amoris. 558. ea adhibendi methodus triplex. 559.

N.

Natura nulla amori diuino inepta, 539.
Natura mitis ſuauius: aſpera ſolidius amat. 540.
Naturalis inclinatio ad amandum Deum, 41. 44. &c. eſt arrha, 48. eſt debilis. 76. Naturales inclinationes ad virtutes non ſunt virtutes 490.

Noui-

Nouitius. 385.

O.

Obiecta mouent potentias 144.
Occaſiones præſentes amoris diuini arripiendæ, non expectandæ extraordinariæ. 547. Quomodo futuras imaginari ſibi liceat. 190.
Occupationes inutiles impediunt amorem Dei. 544. legitimæ minimè impediunt. 545. 546.
Opera bona minima augent gratiam. 122. & ſeqq. Eorum meritum. 483. Vnde accipiant. 484. & 486. Non tenebatur Deus mercedem operibus polliceri. 485. Paganorum imperfecta. 497. Peccatorum mortua. 503. Iuſtorum, recedente gratiâ, emoriuntur, redeunte, reuiuiſcunt. 505. Operibus qualis præfigenda intentio. 549. 553. 554.
Oratio. 231. Eſt manna, ſilentij colloquium. 132. Iuſtificat. 111. Vnit Deo. 279. Idque varijs modis. 282. 284. 286. Vide, Vnio. Meditatio, Contemplatio.

P.

Pater æternus generat Filium. 150. A Patre Filioq; procedit Spiritus ſanctus. 152.
Peccatum mortale extinguit charitatem. 169. Veniale minuit. 162. mortale bona opera mortua facit 502. quæ nunquam reuiuiſcunt. 507. Contra Conſilia quale, & quotuplex. 345.
Perſeuerantiæ donum. 130. Quale ſit. 134. Quanto tempore finiatur. 131. Cooperantibus gratiæ nihil timendum 132.
Pænitentiæ varia genera. 105. Perfecta includit propoſitum reparandi offenſam. 102. Imperfecta cenſetur, quæ non includit amorem Dei. 106. Peccaminoſa, ſi excludat. 107. Quandoq; prouenit ex amore proprio. 386. Ex motiuo charitatis profecta reconciliat Deo. 108 Eius qualitates. 109. 110. & 111. Non ſit inquieta, 385. & 537. Impiorum nō deſperanda. 388. Si nihil proficimus, aliò nos transferamus. 389.
Præceptorum diuinorum pulchritudo. 336. Præceptorum & Conſiliorum differentia. 338. Primum quàm ſit amabile. 415. Quomodo in cælis, & in terra adimplendum. 418. Adimpletio in hac vita quadruplex. 425. vide, Amor præceptus.
Prouidentia Dei circa Creationem & Redemptionem mundi. 62. 58. & ſeq. Non curioſè inueſtiganda. 72. 177. 181.
Præſagia 95.

R.

Redemptio maximum diuini amoris motiuum. 65.
Reſignatio. 375. 380. & 378.

Sacri-

S.

Sacrificandum arbitriũ hominis Deo. 555.
Sanctitatis larua. 184. Quomodo dignoſcatur. 189.
Scientia inſeruit Deuotioni. 242.
Somnus quomodo capeſſendus. 141. Somnia B: V. 142.
Spiritus ſancti dona ſunt media ſalutis. 515. Sunt charitas. 516. Scala Iacob. 517. Duodecim fructus Spiritûs. 527.
Sperare, & aſpirare. 98. Spes. 99.

T.

Tentationum illicia triplicia, quomodo ſuperentur. 167. Tentat Dæmon ſuggerendo multa, aut ſupra vires. 355. aut extraordinaria. 547.
Timor. 451. Naturalis. 523. Supernaturalis 524. Eius proprietates. 518. Filialis, & ſeruilis. 519. Seruilem pellit Charitas perfecta alterius vitæ. 520. 522. Inſeruit charitati in tentationibus. 521. 523.
Tonitrua ſunt voces, & minæ Dei. 523.
Triſtitia ſecundum Deum. 534. Quid operetur Triſtitia ſæculi. 537. Triplex. 535. Quomodo repellenda. 537.

V.

Virtus Deo grata. 473. Naturâ ſuâ temporali tantum mercede digna. 459. & ſeqq. In Ethnicis vilis pretij. 470. 497. In peccatoribus Catholicis ſemiuiua. 472. per charitatem redditur gratiſsima Deo. 474 Maximè Fides, Spes, Religio. 475. Aliæq; à charitate imperatæ. 477. Sine Charitate merito carent, nec reuiuiſcunt. 502. Quomodo aliæ reuiuiſcant. 503.
Virtutum anima eſt charitas. 480. Quomodo charitatis dignitatem virtutes participent. 495. & minores maioribus virtutibus adæquentur. 482. Virtus perfecta non eſt ſola. 487. Virtutes apparentes. 490 497. Quomodo &, quâ moderatione amplectendæ, quæ ſunt conſilij. 343 355. Quanti faciendæ. 347. earumdem neglectus. 345. Quomodo inſpirentur ordinariæ. 351. & extraordinariæ. 354.
Vita ſpiritualis eſt continua ecſtaſis. 298. & ſeqq. Ad eandem exhortatio. 302. & ſeqq.
Vnio cum Deo pura. 288. auocat ab externis ad opera obediētiæ. 290. Maximè apparet in tribulationibus. 370. Fit per reſignationem, & indifferentiam. 375. Praxis huius indifferentiæ. 380. Summè deteſtatur peccata 388 Reuocat Peccatores. 389. Diuinæ Iuſtitiæ æquè, ac miſericordiæ acquieſcit 390. Vide voluntas.
Voluntas Dei eſt, quod ipſe vult. 330.

Non tollit libertatem in cauſis liberis. 331. Eſt pax, & vita Chriſtianorũ. 341. facillimè cognoſcitur. 364. Etiã in minutis rebus. 365. Voluntatis diuinæ Bonitas, & ſapientia nos ad conformitatem cum Deo adducit. 367.

Voluntatis noſtræ cum diuina conformitas acceptat media noſtræ ſalutis. 333 Conformat ſe ex amore Dei præceptis diuinis. 335. Eadem ſuauia facit. 337. Inducit in amorem Conſiliorum. 341. Et obſeruationem. 343. Conformat ſe inſpirationibus diuinis. 351. &c.

Voluntatis noſtræ cum diuina abſoluta conformitas. 363.

Voluntatis noſtræ ſacrificium Deo exhibendum cum Abrahamo. 555.

Voluntas humana ſibi mortua quomodo per diuinam regatur. 401. Quomodo ſine motu ſuo moueatur. 404. Quâ diſpoſitione, quidquid ſibi euenerit, accipiat. 407. & ſeqq.

Voluntatis propriæ perfectiſsima expoliatio. 411. & ſeqq.

Z.

Zelus & zelotypia. 447. Differt ab inuidia. 448. Zelus Dei pro nobis quantus. 450. Zeli noſtri pro Deo officium triplex. 453. Ratione moderandus. 456. Zelo vti non eſt cuiuslibet; ſed magnorum virorum. 460. Triplex zeli vſus, ſecuriſsimus in tolerando. 463. Zelus ſimilis eſt charitati, quæ patiens eſt, benigna eſt, &c. Zelus ſancti Pauli, vt fieret anathema. 464.

Errata.

Errata.		Correcta.
fimul.	f. 7. l. 22.	ſimul.
Niu initæ.	f. 78. l. 21.	Niniuitæ.
Inter videre.	f. 91. l. 17.	Interuidere.
difndentia.	f. 190. l. 18.	diffidentia.
& comedat.	f. 197. l. 9.	vt comedat.
dulis.	f. 207. l. 19.	dulcis.
& &.	f. 207. l. 23.	&.
ab ab.	f. 227. l. 3.	ab.
meditartes.	f. 235. l. 24.	meditantes.
orationm.	f. 249. l. 11.	orationem.
teſtitudinis.	f. 249. l. 19.	teſtudinis.
eins.	f. 251. l. 4.	eius.
nonnnllis.	f. 270. l. 5.	nonnullis.
iugreditur.	f. 293. l. 15.	ingreditur.
Alios.	f. 317. l. 11.	filios.
ſuum.	f. 317. l. 21.	die ſuæ Aſcenſionis.
fiij.	f. 318. l. 17.	filij.
cuiuſqnam.	f. 319. l. 27.	cuiuſquam.
illa.	f. 319. l. vltima.	illi.
ex arbuſculæ.	f. 337. l. 17.	ex arbuſcula.
tuâ nobis.	f. 345. l. penult.	recede tu â nobis.
ab ex tempore.	f. 439. l. 14.	ab eo tempore.
hæreditates.	f. 503. l. 27.	hæreditatis.
per vnico.	f. 503. l. 31.	pro vnico.
ſuffire.	f. 513. l. 8.	ſubire.
ciuitacula.	f. 28. in præfa.	ciuitatula.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google